

THOMÆ BARTHOLINI HISTORIARUM ANATOMICARUM RARIORUM

Centuria I et II.



HAGÆ COMITUM
Ex Typographia ADRIANI VLACQ. 165



Auguſtiſſime Rex

DANIÆ, NORWEGIÆ, &c.

Dn. FRIDERICE III.

Pie, Felix, Invicte,

DOMINE CLEMENTISSIME.

GRatias Majeſtati Tuæ pro incolumitate patriæ & literarum noſtrarum agere ſicut neceſſarii officii & ſubjectiſſimæ devotionis, ita audaciæ foret inſolentis. Enimverò neque ingentibus Tuis in exulantem ferè patriam meritis verba ulla invenio quæ ponderi ſuo ſufficiant, & tantam Majeſtatem nullam facilè oratio aſſequitur. Sed quia in Regio & avito ſolio voti magis ſubjectorum ratio & voluntatis verſatur, quam impar excelſæ Majeſtatis laudatio, ingrati famam aut indulgentiæ Tuæ

ſeveritatem, dum gratias votis expleo,& ſubjectiſſima voluntate imperii Tui æternitatem veneror. Receperunt à Majeſtate Tua literæ noſtræ fidem, & fauſtis bonorum omnium acclamationibus, Daniæ Tuæ procuraſti quicquid ubique generoſum vel gignit natura, vel efformat induſtria. Sciant præſentes & ſequuturi, ita demum inter mortales virtutem affluere, amari pietatem, torpentes Muſas excitari, ſi in Palatia admittantur, & ex Principum moribus ſubditorum virtutes fluere. Conſurgunt in Majeſtatis Tuæ venerationem Cathedræ noſtræ, quibus Auguſtâ Tuâ præſentiâ non ſemel ſalutare ſidus illuxiſti. Vidit Auguſta ora Anatomicum Academię Tuę theatrum & obſtupuit, teque præſente naturæ exultantis ſentiit facilitatem. Æternam ſtudiis noſtris

ſtris auguramur felicitatem, quibus favet Majeſtas, & audentius Naturam didicimus ſollicitare, ſui prodigam, quia Reges amant. Divinos gratus favores excipio & exoſculor, mecumq; ordo literatus, etiam poſterorum nomine, quibus utraque Reſpubl. Tuo, Rex Magne, auſpicio emendata tradetur & perfecta. Aſſurgimus venerabundi, & genua Tua inceramus. Pedibus Tuis Muſas noſtras innocentiſſimas advolvimus, quarum utilitati in perpetuum conſuluiſti, ut in futuri currentiſque ſeculi invidiam animos de Tua Majeſtate ſecuros erigamus. Nos colimus, nos amamus, magna noſtri fiducia, majore tamen Tui, qui ideò Rempublicam regis, ut hæc ſolus merearis. Quidquid igitur diligentior cura longo ſeculorum & naturæ ſilentio hactenus obliteratum

nobis aperuit, quidquid infracto ſtudio invenimus, ad aram Auguſti Tui Nominis & Throni Regii æternitatem ſuſpendimus. Sint quanquam pro magnitudine Majeſtatis Tuæ minora omnia, dignum tamen erit Tui Numinis benignitati, perpetuo favore in Regio Tuo Lycæo nata & adulta clementer tueri, ne unquam perfidæ invidiæ ſuccumbant. Tibi, Inclyte Rex, rariſſimo Regum exemplo, & invidendo cœlorum pignori, quod nobis exorata diu Numina concrediderunt, rariora Naturæ ſpectacula ſubmiſsè offero, refero propria, quæ ſerena manu in Auguſto Muſæo & verè Regio non ſemel exhibere infra Majeſtatem non putaſti. Quia majora non poſſum, reddo Tibi, Rex, tua, qui omnia mea cum Reipubl. ſalute Tibi Patri Patriæ, incolumitatis noſtræ ſtatori,

ri,

ri, ſemper debebo. Per Tuam Te Majeſtatem rogo, indulge clementer immodico fortaſſe voto, ut literarum noſtrarum & Naturæ honorem auctori ſuo commendem. De cætero indulgentiâ Regiâ & clementiâ inæſtimabili tanto utar modeſtius, quanto pleniorem quotidie experior. Deus Te nobis præſtet, Friderice Auguſte Principem, Te ſemper optavimus, Friderice Auguſte, Te Reſpublica requirebat, Tu verè Princeps. Sis felicior Auguſto, ſis melior Trajano.

Serus in Cœlum redeas, diuque
Lætus interſis populo Danorum.

Hafniæ Cal. Jan. Æræ Chriſtianæ cIↃ. IↃc. LIV.

Sereniſſimæ T. Majeſt.

Subjectiſſimus

THOMAS BARTHOLINUS.

Lectori curioſo S.

SI tantum apud mortales præcepta poſſent, quantum exempla, operam certè in hoc opere luderem. Cæterum arti noſtræ evenit, quod hominum moribus. Magis illi exemplis flectuntur præeuntium, quam præceptis, & ſapientiam vitæque innocentiam ex ſapientum exemplis metiuntur; hæc oculis obvia facile perſuadent, illa, niſi exemplis præcipientium jungantur, precium ſui amittunt antequam impreſſa ſint veſtigia. Ars Medica præceptorum diu laboravit multitudine, quibus imbuti immerſique difficilius ad verum eluctantur. Exemplorum apud multos uſus exolevit, qui certiſſimam obſervationum fidem lubricæ rationi & natis in cerebro præceptis ſubjiciunt. Falluntur hi niſi fallor ego, & vanâ artis ſpecie, velut ægri ſomniis, deluduntur. Ad experientiæ normam, fallere neſciæ, exigenda ſunt præcepta,

cepta, ut vel immota firmentur, si naturæ consentiant, vel corrigantur, si solam pro se habeant auctoritatem. Fuere non pauci qui rem istam æquiore lance expenderunt, & in exemplis occupati magna nominis celebritate majoreque literariæ Reipubl. commodo posteris profuere. Plura tamen restant, quæ scire expedit & videre, antequam perfecta Medicæ artis & fida oculis scientia exstruatur. Plerique enim in conjecturis & majorum dictatis, velut veterno sepulti, placidè acquieverunt. Ego verò, ut cœptam olim publicum juvandi voluntatem in exemplis quoque exercerem, inter mille occupationes publicas, quæ me opprimunt, & luctum domesticum quo undiquaque affligor tam diuturna charissimæ conjugis ægritudine, quam tristi recordatione fratris desideratissimi Jacobi Bartholini, *Professoris Sorani designati, quem verum candoris, pietatis & diligentiæ exem-*

plar invida nuper fata nobis & publico eripuerunt, denique valetudine prorſus proſtrata, ne ullo aut hujus injuriæ, aut illorum acerbitatis, aut iſtorum multitudinis ſenſu tangerer, Anatomicas hiſtorias celerrimo calamo, clariſſimorum Virorum ſuaſu, & urgentis Bibliopolæ rogatu, tanto libentius in chartam conjeci, quod hactenus in patria tot Viris inclyta utiliſſimam hanc artis noſtræ rationem viderim neglectam. Simplici & incompta dictione res ſum perſequutus, ut viſæ ſunt & actæ, ſine pompa aut fuſiore epicriſi, quam, neceſſariam licet, temporis operæque parcus doctiorum induſtriæ reliqui. Sunt hic ex infima plebe complures à ſplendida purpura remoti, ſed ab illuſtri cauſa perpetuitatem merentur. In pleriſque fidem meam obſtringam, oculos manuſque oppignerabo, pauciſſima ad auctores ſuos relegabo, qui de dubiis rogentur. Nomina multorum ſine invidia

aut

aut contemptu, quorum causas procul habeo, nonnunquam silentio involuta leguntur, quod se nominari æquo animo non omnes patiantur. In reliquis ita me gessi, ex Hippocratis jurejurando, ut quæ inter curandum, aut medicinam minimè faciens, in communi hominum vita, vel vidi, vel audivi, quæ in vulgus efferri non decebat, ea arcana esse ratus, siluerim. Hanc instituti constantiam quisquis æstimaverit, quisquis candidè laudaverit, ad reliquas Centurias edendas animum est additurus, si Deus valetudinem, si negocia ocium per vices indulserint. Interea, mi Lector, vale, summumque inter homines, quibus nuda virtus placet, certamen puta, ne quid diu lateat, seculis profuturum. Hafniæ XXVIII. *Decemb. anni jam exeuntis* CIↃ. IↃ. CLIII.

Cata-

Catalogus Operum
THOMÆ BARTHOLINI
hactenus editorum.

1. *Anatomia Parentis Novis observationibus & figuris locupletata. Lugd. Bat,* 1641. *apud* Fr. *Hackium in* 8. *Hanc Germanico idiomate edidit* D. Simon Pauli, *Hafniæ in* 8. 1648.

2. *Anatomia secundùm locupletata. Lugd.Bat.*1645. *apud* Fr. *Hackium in* 8. *Gallicam* D. Abrahamus Pratæus, 1646. *Parisiis divulgavit, in* 4.

3. *Anatomia tertiùm ad sanguinis Circulationem Reformata cum novis Iconibus. Lugd. Bat.* 1651. *apud Fr. Hack. in* 8. *In Belgicam linguam transtulit* Thomas Staffart, *ediditque Leidæ* 1653. *in* 8.

4. *Anatomica Aneurismatis dissecti Historia, Panormi apud Alph. de Isola.* 1644. *in* 8.

5. *De Vnicorun Observationes Novæ. Patavii apud Iul. Crivellarium* 1645. *in* 8.

6. *De Monstris in Natura & Medicina. Basileæ apud G. Decker,* 1645. *in* 4.

7. *De Angina Puerorum Epidemica Exercitationes. Lutetiæ apud Ol. de Varennes,* 1646. *in* 8.

8: *De Latere Christi aperto Dissertatio. Lugd. Bat. apud Io. Maire,* 1646. *in* 8.

9. *Antiquitatum veteris Puerperii Synopsis. Hafniæ apud M. Martzau.* 1646. *in* 8.

10. *De Luce Animalium Libri* 3. *Lugd. Bat. apud* Fr. *Hackium,* 1647. *in* 8.

11. De

11. *De Armillis veterum Schedion.* Hafniæ apud M. Martzan, 1647. in 8.

12. *Anatomicæ Vindiciæ contra* C. Hofmannum. Hafniæ apud eundem 1648. in 4.

13. *De variis Reipub. Christianæ morbis.* Hafn. apud eundem, 1649. in 4.

14. *Cygni Anatome ejusque* Cantus. Hafniæ apud G. Lamprecht. 1650. in 4.

15. *Collegium Anatomicum Disp. 18. adornatum.* Hafniæ, 1651. in 4.

16. *De Cruce Christi Hypomnemata* 4. Hafn. apud M. Martzan. 1651. in 8.

17. *De Lacteis Thoracicis in Homine brutisque observatis Historia Anatomica.* Hafn. apud M. Martzan. 1652. in 4. Londini apud Oct. Pulleyn, 1652. in 12.

18. *De Lacteis Thoracicis Dubia Anatomica.* Hafn. apud eundem, 1653. in 4.

19. *Vasa Lymphatica nuper in animalibus inventa.* Hafn. apud P. Hakium, 1653. in 4.

20. *Paralytici N. T. Medico & Philologico Commentario illustrati.* Hafn. apud M. Martzan. 1653. in 4.

21. *Historiarum Anatomicarum Rariorum Centuria* Prima & Secunda. Hafn. apud P: Haubolt, 1654. in 8.

22. *Epistolæ & Epigrammata variis in locis edita.*

Plura sequentur.

VIRO

VIRO IMCOMPARABILI

THOMÆ BARTHOLINO

Med. Doctori & P. P. novum opus edenti.

EXcutiat Natura sinum: quæ denique restant
 Barthline auspiciis non patefacta tuis?
Omne patet cœlum, series patet abdita rerum
 Omnis, & arcanis symbola clausa notis.
Te duce nil terris fas est mortale recludi,
 Nil pigro abstrusum delituisse situ;
Te duce, quicquid obit, quicquid lethale per orbem
 Pullulat, ad vitæ semina prima redit;
Te Medicina ducem, sibi te facundia poscit,
 Illa sibi totum flagitat, ista sibi:
Ingenio, rerum per amœna, per aspera ferris,
 Materiesque arti non placet una tuæ,
Sive Machaoniæ lassarunt vulnera vires,
 Seu tenerum blando concinis ore melos,
Seu pubescentum decus & nova gloria campi,
 A te Flora suas quærit & auget opes,
Seu relegens patriæ passim miracula terræ,
 Condis inexhaustæ nobile mentis opus,
Ille tuus, quicquid natura recluserit, aut ars,
 Eruit, ingenio suppeditante, labor.
Qua gradimur, monumenta, tui, fructumque laboris
 Aspicimus; quicquid discimus omne tuum est.
Sic Boreâ poteris, gelidâque habitare sub Arcto,
 Quaque patet mundum demeruisse tibi:

Iamque

Iamque adeo nullos nescit tua fama recessus,
Magna licet, meritis sic quoque fama minor.
Illa per immensum vastis ambagibus orbem
Cum socio pridem sole peregit iter.
Vtque alibi levis ire comes sublimibus ausis,
Et rarò magnis parcere Livor amet,
Te plausus, te deliciæ, te vota bonorum,
Te favor & patriæ publicus ambit amor.
Salve, magne decor mundi, ter amabile sidus,
Et nostro exortum grande sub axe jubar:
Per te prisca fides, per te felicia surgunt
Secula, & auspiciis invaluere tuis;
Musa tenet Sceptrum, terris Astræa revisit,
Priscum Barbaries nihil nisi nomen habet.
Osculaque alternis Themis & Clementia libant,
Et graditur socia cum Pietate Fides:
Hæc scriptis calamoque probas, hæc exprimis ore,
Visque tuis similes moribus esse libros.
Dî tantum servate decus! domus inclyta crescat,
Et gemat hoc raptum non nisi sera caput:
Qui nondum pictis prima lanugine malis
Pene puer scripsit quæ stupuere senes;
Qui juvenis, qui Vir, cunctas percensuit artes,
Nescio quid faciet (sit tamen oro) Senex.

V. BERING.
Reg. Historicus.

THO-

THOMAS BARTHOLINUS, Casp. Fil. D.
MED. et ANATOM. IN ACADEM. HAFNIENSI
PROFESS. REGIUS. *Ætatis 35. A°. 1651.*

Carl. van Mander pinxit.



Ionas Suiderhoef sculpsit.

THOMÆ BARTHOLINI

HISTORIARUM

ANATOMICARUM RARIORUM

CENTURIA PRIMA.

HISTORIA I.

Vagitus Uterinus.



OPeris hujus exordium vagitus erit, qui nativitatem omnium statim excipit & antevertit sæpe. Quotquot sumus nuper nati initia vitæ deflemus, & contracto vultu tristia futuri temporis fata præsagimus. At præcedere nascendi horam, vagitumque edi in utero inter rara Naturæ numeratur. Exempla peregrina afferam, pariter & domestica. Duo habet *Andreas Libavius* part. 2. sing. de Argentinense & Rotenburgense. De illa ita ad eum perscripsit *D. Leonardus Doldius*: Cum Argentinæ nuper apud fratrem agerem, certò relatum est, uxorem sartoris in vicinia illius fœtum utero adhuc gestantem hunc ipsum

vagientem cum aliis audivisse, non procul absente partus tempore. De Rotenburgeusi ad Jubarim idem superaddit: In nostro oppido Anno 1596. 12 Nov. qui fuit ante partum quadragesimus secundus, parentes fœtus feminei vagitum vicies perceperunt, & sequenti quoque die bis, mortua in partu mater, filiâ adhuc superstite. *Livius* Princeps Romanæ historiæ conditor, infantem in utero matris Jo. triumphale narrat clamasse. *Mart. VVeinrichius* c. 26. de Monstr. auctor est in urbe Bresla infantem triduo antequam ederetur in lucem, nullo ad exitum parato aditu, flere auditum esse. Refert *Caussinus* L. 3. Hierogl. §. 2. ex dieb. Canic. coll. 4. de infante nato in Rascato duobus cornibus monstroso, ploratum 14. diebus auditum antequam nasceretur. In Misnia & Rotwilæ ad Nicrum idem accidisse Anno 1546. ante bellum Germanicum, quod inter Carolum Quintum & Principes Imperii exarsit, prodidit *Iobus Fincelius*. Numerum vagientium sua observatione auxit diligentissimus *Sennertus* L. 4. Prax. p. 2. S. 2. c. 8. fuisse nempe Calendis Mart. Anno 1632. in oppido Wittebergensi feminam, tum ultra undecimum mensem gravidam, quæ ipsa, ut & maritus ejus, infantem aliquoties ante partum plorantem audiverint. Et superiori anno in suburbio feminam filium peperisse, qui triduo ante partum ploraverit, & annum tantum vixerit. In uxore D. Monæi, & D. Salmuthi, & D. Groenevvolti

nevvolti similia notat *A. Deusingius* de fœt. gen. p. 3. S. 1. §. 49. Ipse aliorum vagituum ero testis, mecumque multiscius *Salmasius*, qui eorundem meminit in Resp. ad *Beverovicium* de Calculo p. 198. Versabar tum in Belgio 1640. quum prope Vesaliam de femina quadam ferebatur, quæ tum per triennium integrum uterum gestarat, cujus fœtus à multis fide dignis vagire dicebatur. Alia Nobilis femina Leydæ narrare solebat, uxorem fratris sui cum instaret tempus ejus partitudinis, dum esset in lecto marito accubans, accidisse vagitum infantis in utero adhuc conditi, ohstupefactamque excitasse virum dormientem, qui & ipse capite intra lectualia posito eum audierit, mulierem verò perterritam paucos post dies enixam esse. Hæc alii Soles subministrarunt. Urbs nostra sicut laudatis civitatibus nulla recedit, ita nec insolentis hoc naturæ prodigium ignoravit. Taceo priora tempora quæ memoriæ nostræ se subduxerunt, & Christiani 2. Regis Danorum vagitum, quem utero materno clausus ediderat, ut testantur Annales nostri. Constans fama est, idem aliis contigisse, adhuc superstitibus.

Notum cunctis inquilinis & communi ore percrebuit, ineuntem annum 1648. simili augurio initiatum. Uterum jam ab octo mensibus gestaverat uxor naturæ prope templum Holmianum bono corporis habitu prædita, nec annosa. Supervenit autem ultimo gestationis termino,

quod nec ipsa speraverat, nec alii. Secura de partus felicitate mulier, dum festa solennia exspectat, pridie Natalium Servatoris, & Calendarum anni sequentis, & Epiphaniarum, totidem vicibus fœtum secretis suis conclusum tanto sono clamare audivit, ut à vicinis exaudiretur: Ad insuetum vagitus exemplum concurrunt catervatim & vicini noti & ignoti alii rei novitate exciti. Sive ad congerendam multitudinem & domus vilioris precium, hæc astu confinxerit, vulgus enim, ut *Tacitus* loquitur, superstitiosum plus plerunque fingit, quam invenit, quod omnia mira credat quæ tuguriis minus sint frequentata: sive veræ naturæ fuerit ostentum, ad omnes sanè rei auditæ pervenit admiratio. Mulieris interim custodiam accuratam imperat sapientissimus Magistratus, ut de vagientis nativitate certius deinde constaret. Fama interea mendax quæ eundo crescit, varia parturientis fata divinat, judiciisque præmaturis naturæ tempus antevertit. Aliis monstrum enixam horrendum biceps, aliis utraque manu ferulas monstrantem fingentibus. Ita sapere sibi quisque videbatur antequam esset necesse, idque à natura exigere, quasi in consilium vocati, quod nunquam intenderat. Monstrorum numero abundamus, nec portenta voto sollicitanda, quæ in foro quotidiè oculis obversantur. Natura sapiens invidit immaturis divinationibus parem votorum successum, ut se & potentiorem votis no-

strís

ſtris oſtenderet, & minus quam mortales monſtroſam. Inter varias igitur exſpectantium ſollicitudines tandem maturo partu prægnans ſana femellam ſine vehementi dolore enixa eſt; ſanam beneq; conformatam adhuc cum matre ſuperſtitem. Atq; ita falſa monſtri exſpectatio exſpiravit. De fide hiſtoriæ nemo ambigat. Ego, qui rumori parum credere ſoleo, pro certo affirmare poſſum, talia narraſſe Matrem; ſed an vel illa finxerit quæ nunquam audivit, vel ſomniaverit quæ vigilans voluit, cogor ignorare, quia hic quæſtus illi fuit multo uberrimus. Sententiam ſuper hac re ab amicis rogatus, non dubitavi pro Natura pugnare. Averſatus enim ſemper ſum miracula, ubi ratio naturam inducit & experientia. Vagitus vel verus eſt vel vagitui ſimilis. Vagitum æmulari poteſt quivis vel ſonus vel flatus in utero prægnantis concitatus, qualem paſſim Autores noſtri deſcribunt. De Uteri inflatione nullum dubium. In ipſis autem gravidis hunc ſonitum audiri, eadem ſuadet ratio, majorq; ob clauſum uterum neceſſitas. Exempla quoque acclamant. *Dreſſerus* p. 646. Chron. Sax. C. *Gemma* 7. Coſm. annotavit, Anno 1555. in Thuringia duobus diebus in partu laborantem mulierem, 26. Junii hora tertia matutina puellam peperiſſe, moxq; edito partu flammam ex utero egreſſam magno ſonitu inſtar bombardæ maximi fœtoris. His addantur ſimilia ex noſtro Lib. I. *De Luc. Anim.* C. 18. De Margaretha

uxore Georgii Wolzer refert *Matthias Cornax* Enchir. Conſ. cum partus tempus adeſſet, in ipſo pariendi conatu fragorem quendam in ea increpuiſſe ſonorum, à quo vivacitas infantis amplius deprehendi non potuit. Credamus autem verum fuiſſe vagitum. Hujus cauſas dabimus naturales, Inſtrumenta nempe & aërem. Soni inſtrumenta in embryonibus tam ſunt perfecta, præſertim partui vicinis, ut omnes ſtatim ac nati ſunt, vagitum edant. Aer verò tantillus vel per venas ſubminiſtratur, vel tranſpiratione inducitur, vel in ſanguine concitatur ſpumoſo, vel per uterum inverſo prope partum fœtu ingreditur. Patulum quippe eſt os embryonis, & ore alimentum in utero trahit, quod *Hippocrati* olim viſum, nuper ab *Harvejo* fuſius probatum de *Gen. Anim.* Exerc. 57. & à nobis *de Lact. Thorac.* 10. Incitantur ad vagitum ob doloris quemcunque ſenſum, ſive uteri anguſti, ſive dentium prurientium, ſive extinctæ matris. Ita ægrè ferebat Wittebergenſis ille fœtus undecimi menſis inducias. Altera Veſalienſis impatientior trium annorum moræ erat. Monſtrum Yſtadienſe cum dentibus natum, dolore in utero ad vagitum fuit compulſum. De vagitu pueri extinctâ matre recitat hiſtoriam *Io. Matthæus*, Quæſt. Med. 5. Weiſſenburgi uxor Simonis Kreuter in nonum menſem gravida, ſupervenientibus pariendi doloribus exſpiravit: cumque adſtantes putarent, fœtum quoque exſpiraſſe

ſpiraſſe in utero, mortuam matrem more ſolito in terram poſuerunt. At verò poſt aliquot horas vagitum audiunt. Accurrentes matrem quidem mortuam, filiolam verò optimè valentem ad pedes matris devolutam reperiunt. In noſtra femina, fœtus robur & magnitudo, alimentique largioris & liberioris ſpiritus deſiderium, loci anguſtia, & ad exitum ſperatum denegata primo conatu auxilia, brumæque humidioris injuriæ, mater gravidationis ſuæ negligentior cuſtos, & expedita conformatricis promptitudo, vagitum extorſere, quemadmodum his aliiſque de cauſis in ovo, ſolidâ teſtâ munito, pullum pipire ſcimus. Unde fruſtra ſunt ſuperſtitioſi quidam, qui ex vagitu hoc, quem naturalem diximus, Reipublicæ malè ominantur. Non vagitus, ſed peſſimi mortalium mores, & divorum contemptus Reſpublicas evertunt. Vagientes & ſibi & matri & Reipublicæ ſubinde felicia portendunt. Sibi, quia robur indicat & perfectas ad partum accelerandum partes, doloreſque judicandos. Matrem bonæ ſpei eſſe plenam jubet vagitus, vivere fœtum & ad promovendum partum ſic ſatis eſſe validum. Reipublicæ & Principi fauſta eſt acclamatio. Sic ille vagiens apud *Livium* Jo. triumphale ceciniſſe fertur. Quod ſi ſiniſtro augurio auditi nonnunquam ſint vagitus, caſui potius adſcribendum quam conſilio Naturæ. Emendentur in melius mores, me ſponſore, nulli vagitus nocebunt.

HISTORIA II.

Anatomæ Hydropicæ.

MUlieris Hydropicæ in vico S. Petri habitantis abdomen in tantum excrevit, ut ulnæ nostratis cum quadrante altitudinem æquarit, maximè ad ſiniſtrum latus vergente tumore. Ex aperto poſt mortem abdomine ſangnineum ſerum fœtens mediam Tonnam implevit, quam cadaveri ſubjeceramus, quo exhauſto detumuit. Omentum & peritonæum putridum fruſtillatim excerpebantur. Inteſtina omnia ad dextrum hypochondrium erant detruſa, ut initio inteſtinis caruiſſe apparuerit, ſiniſtrum verò aqua ubertim repletum. Hepar à nativa bonitate nihil defecit, at lien minor. Chirurgus Paracentheſin inſtituerat, ſed abdominis muſculos non pertranſiit vulnus, ut ſecantibus nobis viſum. Sectioni mecum adfuit *D. Henricus Fuiren,* Conſobrinus fraternis mihi nominibus amandus.

HISTORIA III.

Bubonocele Lethalis.

FEmina 40. annorum in vico Laurentii Biórnii curæ meæ olim ſubjecta, ex onerosâ ſitulæ aquâ plenæ geſtatione, de dolore inguinum conqueſta

questa est. Huic successit Bubonocele sinistri lateris, quæ brevi post ruptâ tunicâ prorupit, ex qua profluxerunt omnia alimenta assumta & lumbrici: Vulnere eo solidato, remansit Bubonocele, sed cum dolore ventris diu perseverante flatibusque continuis aggravato. Urgebant maximè illi quando decumbebat, redeuntibus nempe ad interiora intestinis. Existimavit animalculis impleri ventrem huc illuc liberè divagantibus. Ego verò tactu percepi flatibus ex obstructione aliquot dierum deberi hoc tormentum, cui matutinis quoque horis vomitus succedit. Injecto clystere, sublata obstructione, sedatisque doloribus, recurrebat tamen per vices solitas tumor sensibilis cum murmure, quumque in abdomen se recondit, murmure præsente, valdè torquebatur; à cruciatibus verò libera erat, quando ad exteriora magna sui mole relabebatur. Antequam reponi intestina commodè possent, futurisq; malis provideri, auctor fui ut discussis flatibus intestina distendentibus, expurgarentur fæces, putredinis fomes. Lumbricos enecandos & educendos remediis huic pesti dicatis tam interioribus, quam exterioribus. Cæterum nimia in absentem maritum pietate, qui aulæ negociis impeditus aberat, omnia in adventum ejus differre constituit, quo post octiduum reverso, eadem vespera ad plures, doloris vehementiâ, misera abiit.

HISTORIA IV.

Ovum peperit Mulier.

PArtus Humanus ſæpius ab ordinaria Natura lege recedit, monſtraque ſubſtituit. Nota res omnibus. Sed ovum ex utero loco fœtus humani excludi, hactenus inauditum. Hujus tamen mirandi partus exemplum 1638. Norwegia noſtra ſuppeditat. Anna quædam Amundi filia, uxor Gudbrandi Erlandſonii, quæ ſæpius ante humanos fœtus feliciter enixa fuerat, gravida iterum maximis doloribus bina ova peperit gallinaceis ſimillima. Fractum ex illis unum. Alterum verò ad ſummum Virum *D. Olaum VVormium*, decus Academiæ, tranſmiſſum, in cujus Muſæo cunctis exhibetur viſendum. Tam ſimile gallinaceo, quam ovum ovo, niſi quod non ita candidum ſit propter temporis diuturnitatem, & contrectantium manus. Non ignoro fidem huic partui denegaturos plurimos, qui vel non viderunt ovum, vel obſtetricias manus parturienti Annæ non commodarunt. In rei igitur veritatem teſtes advocamus fide dignos & religioſos, qui ſignatis literis teſtantur, quod breviter nos retulimus. Ut conſpectior ſit fides noſtra, operæ pretium duxi autographum illorum, linguâ vernaculâ apud laudatum *VVormium* aſſervatum, hic tranſcribere:

Nos

Nos infrascripti Ericus Westergard, Rotalph Rakestad, & Thor Venes, coadjutores Pastoris in Parochia Næss, notum facimus omnibus, quod Anno 1639. 20. die May ex mandato Domini Præpositi in Romerige Dn. Pauli Tranij Pastoris in Niæss, investigatum iverimus partum monstrosum in Sundby, quem peperit honesta femina Anna Amundi filia, uxor Gudbrandi Erlandsonij, quæ hactenus mater fuit XI. liberorum, inter quos ultimus editus est Anno 1638. 4. Martij. Hæc verò Mater ægrotare cœpit Anno 1639. 17. maximisque cum cogeretur ventris doloribus, ad se vicinas vocavit, consilii capiundi causa, sed eodem die circa vesperam, iisdem præsentibus ovum peperit gallinaceo prorsus simile. Quod cum fregissent feminæ præsentes Anna Grim, Elin Rudstad, Gyro Rustad, Catharina Sundby, vitello & albumine communi ovo prorsus respondere animadverterunt. Hinc 18. April. circa meridiem adstantibus iisdem secundum peperit ovum, figurâ nihil prorsus à priori differens. Retulit verò mater, feminæque præsentes id confirmarunt, dolores hujus partus graviores fuisse omnibus quos in aliis perpessa erat puerperiis, qui etiam lecto eam detinebant, pari temporis tractu. Hanc fuisse tam matris quam adstantium confessionem, in præsentia Dn. Præpositi sigillis nostris testamur, in Parochia Næss, anno & die ut supra.

(L.S.) (L.S.) (L.S.)

Ovum

Ovum hoc pro Magico habet Magnus *Vormius*, quippe astu Dæmonis multa aliena in corpore humano & inducuntur & formantur. Primò autem dubium mihi est, an ex utero prodierit, vel alvo, quod forsan non ita accuratè discernere potuerunt nec puerpera ipsa inter tot dolores, nec adstantes feminæ. Dubitandi ratio hæc est, quod ex alvo nonnunquam ova visa prodire. Refert enim *Salmuth*. Cent. 2. Obs. 7. per clysterem ex femina quadam Lipsiensi rejectam massam quandam, instar ovi gallinæ, sed crustæ admodum mollis, in qua aperta vermis biceps, oculis micantibus linguam vibrans. Ex falsa forsan imprægnatione conatu vehementi ovum in intestinis genitum per alvum exclusit. Quod si revera ex utero provenerit, notum conceptum humanum ovo esse simile si crustam excipias, quod psaltria illa apud *Hippocratum* docuit, & eruditè ab *Harvejo* Lib. de Generatione animalium probatum. Potuit autem irritus esse hic conceptus, propter easdem causas, quas in aliis conceptibus afferunt Medici. Medusæum caput, seu monstrum ex humano capite undique capillorum loco, & barbæ anguibus horrente, in ovo gallinæ inventum recenset *Paræus*. Cujus generationis duplicem imaginatur sibi rationem Cl. *Licetus* lib. 2. de Monstr. c. 87. sive quod homo ad eam dementiam pervenerit, qui gallinæ Venere abusus fuerit; sive quod gallina alicubi terræ nuper impactum virile semen devo-

devoraverit, menſtruum ſanguinem, ac ſerpentis ova comederit, gallove rabido ſuccubuerit.


HISTORIA V.
Anatome ſolennis 1649.

QUum Menſe Martio in Theatro noſtro Academico præſentibus Auguſto Danorum Rege *Friderico* III. Domino noſtro Clementiſſimo (cui ex animo precamur, ut ſic ullum Dii ament, quemadmodum ille nos) Regni Proceribus, & ſpectatoribus omnium ordinum honoratiſſimis, cadaver virile pro ſolenni Anatome diſſecarem, boni habitus & robuſti, inter alia ſingularia inveni in ſiniſtro cordis ventriculo tria fruſtula adipoſa & lenta & candicantia, ex nimio, ut arbitror, cordis calore & ſanguine unctuoſo effecta: Præterea valvulam in vena Emulgente dextra nullam, & quum omnes partes tam interiores quam exteriores ſanæ eſſent, ſolos pulmones flaccidos torridoſque coſtis adhærentes. Hepar ſupra modum magnum, libras civiles tres, lienem vix Uncias XII. cum dimidia pendentem. Pulmones ideo credidi vitium contraxiſſe, quod frequentior Nicotianæ uſus, deſtillationes ex capite ad hos concitarit. Nec noxa ulla nigrorisve ullum veſtigium in cerebro apparuit, quanquam nimia Tabaci ſuctione hic homo apud plurimos innotuerit. HI-

HISTORIA VI.

Anomalus tumor oblongus in inguine puellæ.

OBerrabat hic ad ſtipem colligendam puella, nata Neoburgi Fionum, à me diligenter examinata. Habet hæc jam à ſeptem annis tumorem anomalum cum apendice oblonga inſtar colli anſerini fibroſâ, femini dextro adnatum. Caput ipſum tumoris, ſimile puerili capiti, inſenſibile, ex carne informi, cum cute rubicunda, collum



verò femini annexum, ſenſu exquiſito præditum, velut nervoſum. Tribus abhinc annis abſciſſum fuerat,

fuerat, capite informi & collo ad pubem usque penitus ablato, vulnusque solidatum; sed post paulò specie verrucæ iterum protuberavit, ut jam ad mali granati magnitudinem caput excreverit. Redditura lotium ad dextrum latus tumorem removet obsequentem, quia à sinistris pudendum. Caput incisuras quasdam ostendit, oculos, & nasum exprimentes, ut multis primâ fronte imposuerit infantem ea corporis parte sibi adnatum, quo etiam titulo stipem emendicavit. Foramen in capite ori æmulum, pervium visitur, unde humor stillat, quo obturato, quod vitio corporis ægri subinde evenire narravit, morbis infestatur. Subsidet idem & extenuatur cœlo pluvio aut nebuloso, dolorque urget collum, quod versus inguina intumescit. Tumoris ista rudior icon.

HISTORIA VII.

Mercurius ex mamma cancrosa stillans.

OCcultus cancer dextram mamillam honestissimæ Matronę Helsingorensis invaserat. Biennio exacto in manifestum tumorem attollebatur. Consultus Medicus Eruditissimus laminam plumbeam imponi coutinuoque gestari suasit, alternis diębus Mercurio leviter oblinitam, sequutus

tus exemplum *Galeni*, Guidonis, Paræi, aliorumque. Assistentium verò culpa evenit, ut laminæ nimio Mercurio oblitæ plus damni quam commodi ægræ attulerint. Crevit interea cancer, & ad suppurationem pervenit, unde usus laminæ improbatus. Rupto ex se tumore cessarunt nonnihil cruciatus, sed vehementiores mox redierunt & pungitivi in omnem dimensionem aucto cancro. Admirationem meretur, quod ex Carcinomate Mercurius sensim & satis magna copia exstillarit per laminam olim imbibitus, qui vicinas partes suo splendore inumbravit, imò ex scapulis integra cute exsudarit. Auream ego laminam imponi jussi, quam Mercurius sequi solet, & ulceri auream turundam.

HISTORIA VIII.

Monstrum Ystadiense.

HOnesta Matrona Maria Jacobi, uxor Jani Jacobi Ystadi Scanorum enixa est 3. Dec. 1649. puellam monstrosa facie. Corona caput cingebat carnea, sanguine plena in cirrhos intorta, in summo capite clausa mitrę instar. Ex sinistra gena propendebat congeries flavorum pilorũ. Aures latæ, sed triangulares. In occipite alia corona eminebat huc illuc moveri apta. Frons nulla. Oculi nuces juglandes æquabant, ut à ciliis tegi nequiverint.

In-

Incurvus nasus & ad latus alterum intortus. Os rotundum semperq; hians, duobus dentibus molaribus ornatum. Vagitu horrendo grandiorem mentiebatur ætatem. Cætera optimè conformata. Testabantur præterea domestici, ante partum vagitum ter edidisse, modò submisso, modò elato sono. Postridie nativitatis exspiravit. De horum fide *M. Andreas Nicolai* Ystadiensis Pastor, & *Dn. Iacobus Iani*, conceptis verbis testantur.

HISTORIA IX.

Caprimulgus.

TRes infantes Pastoris Fionensis Lyckisholmi, quod nobile est prædium Perillustris Cancellarii Regii Dn. *Christiani Thomæ* Sehsted, Equitis Aurati & Senatoris Daniæ Amplissimi, Mecænatis nostri, in cubiculo consueto dormientes, insueto ploratu & inquiete non ita pridem turbantur, quod se mulgeri à quodam sentirent: Puerorum suspicionem firmarunt papillę diligentius à Parentibus tractatæ, quæ lactantis feminæ in morem eminebant. Ad averruncandum fascinum hoc, alexipharmacis amarisque aliis illitæ fuere papillæ. Hinc umbilicus illorum tam vehementi suctione atterebatur, ut non tantum manifestè promineret, sed & oris sugentis magnitudinem impresso velut vestigio monstraret. Extra

cubiculum hoc delati infantes ab omni amplius ſuctione immunes requieſcebant, præſertim ulnis geſtati. Ferunt conclave illud infeſtum exciſo ſambuco exſtructum eſſe, quod pro omine infelici vulgns noſtrum interpretatur. Noſtrates hujuſmodi ſuctores Wetter vocant, quibus nævos ſubinde in ſcorbuticis erumpentes adſcribunt. Ferè his ſimiles ſunt ſtriges veterum, de quibus *Ovidius* l. 6. Faſt:

Nocte volant, puerosque petunt nutricis egentes,
Et vitiant cunis corpora rapta ſuis.
Carpere dicuntur lactantia viſcera roſtris,
Et plenum poto ſanguine guttur habent.
Eſt illis Strigibus nomen: Sed nominis hujus
Cauſa, quod horrenda ſtridere nocte ſolent.

Et Caprimulgus, qui *Bellonio* l. 1. Obſ. c. 10. cuculi in Creta eſt magnitudinis, capris infeſtus, ut ex uberibns lac nocte exſugat. Unde ad ſpectra tranſlatæ voces. Coptis Βερσελια, h. e. Mater puerorum, Caprimulgus appellatur, qui inſidiatur pueris dormientibus, teſte *Kirchero* part. 3. Lex. Copt. Hebræis *Lilith*, quod apud *Eſaiam* c. 34. 14. *Pagninus* ſtrigem reddit, *Danica* verſio Wätte, meliùs quam *Hieronymus*, qui Lamiam voluit, planè diverſi à nocturnis inſidiatoribus generis. *Rabbinis* Lar familiaris, & ſpectra nocturna. Judice *I. Laur. Anania* l. de Dæmon. dæmon eſt femina quæ infantibus inſidiatur. Occurrunt illi hodie Ebræi his verbis in pariete ſcriptis, *Adam, Chava,*

Chutz,

Chutz, Lilith. h. e. procul hinc esto Lilith. Mulierculæ superstitiosæ nostrates statim antequam infantem nuper natum in cunis reponant, huic Caprimulgo occurrunt allio, sale, pane & chalybe, vel instrumento incisorio ex chalybe, sive in cunis posito sive supra ostium. Certè de allio prodidit *Q. Ser. Sammonicus*, ad striges conducere. Sed de infantum fascinis, nos datâ industriâ egimus in *Antiquitatibus Natalitiis*.

HISTORIA X.

Glis à puerpera editus.

FEmina quædam primaria ante annos non ita multos Helsingoræ, de tempore partus certa, ad puerperium omnia componit, conducta obstetrice, instructis cunis, adornatis crepundiis, fasciolis ligatis, votis Genitæ Manæ nuncupatis. Sed tumidus venter ultimo mense subsidere visus, quem tamen, ne famam de se sparsam imminueret, farctis vestibus insolitam amplitudinem auxit. Instante partus momento, prægressis consuetis parturientium doloribus, enixa est animalculum gliri grandiori simillimum, quod magno adstantium feminarum stupore ingenti celeritate antra cubiculi petiit, nec amplius visum. Nolim certam feminarũ fidem suspectam reddi, quia monstrosos fœtus multorum experientia confirmat. Videantur

tur Obſervationum libri, inprimis *Salmuthi* Cent. 1. Obſ. 62. 66. *Zacuti* lib. 2. Obſ. ad 140. aliorumque longâ ſerie hîc neutiquam advocandi. Narravit mihi Baſileæ Iohannes Naborowsky Nobilis Polonus, Amicus magnus, vidiſſe ſe in patria piſciculos duos ſine ſquammis à Muliere editos, qui ſimulac ex utero prodiiſſent, in aquis vicinis aliorum piſcium more natabant.

HISTORIA XI.

Anatome Olai à lingua bubula ſuffocati.

SUeno Olai Vardbergenſis, juvenis robuſtus, ſed pallido faciei colore, annorum x i x, in familia Arnoldi Bernhardi Scribæ Curiæ Hafnienſis, cum in cœna convivis juſſu hoſpitis inſerviret, linguæ bubulæ fruſtulum in patina reſiduum clam & feſtinanter ori injecit, unde ſtatim vox ſublata & reſpiratio, nec caro deglutita conatu ullo aut vi ulla potuit elici. Antequam advocatur Chirurgus, ſtrangulatur. Poſtridie cadaver apertum fuit, me, D. Fuirenio, & duobus Chirurgis Martino Sixio, Chriſtiano Wineke præſentibus, aliiſque Medicinæ candidatis, inventumque eſt fruſtulum illud linguæ bubulæ pondere Unciæ unius cum dimidia, inter Epiglottida & laryngis rimulam ſe inſinuaſſe, totamque laryngem obturaſſe

raſſe tam arctè, ut vix manu eximi potuerit, unde mirum non eſt ſubitò & vocem ceſſaſſe & periiſſe reſpirationem. Oeſophagus quanquam ex vicinia comprimentis carnis anguſtior fuerit, ex ventriculo tamen potum regurgitantem per os nareſque defuncti admiſit.

Pulmones à naturali defecerant ſtatu, colore lividiores, & flaccidi, unde color lividus faciei, & dubio procul exiguum vivendi ſpacium ſuperfuiſſet, quanquam voracitas defuiſſet. Hepar ſolidum, & liene duplo majus.

Quia autem eodem die ante fatalem cœnam & biberat liberalius, & cibum ſumpſerat, credidi viſuros nos venas lacteas. Nec ſpes me aut opinio fefellit. In aperto enim meſenterio viſæ illæ hinc inde diſperſæ lacteo colore & ſucco, ſed numero pauciores ob cœnam parcam. Cætera indagare religio adſtantium vetuit.

HISTORIA XII.

Fœtus in utero exſiccatus.

ATtigerat paupercula femina Helena Mauritii filia Eggelſtedi in Parœchia Thoelange Scanorum geſtationis ſuæ terminum, nempe hebdomadas quadraginta, accitaque obſtetrice Benedicta Andreæ Suenonis Lucinam invocavit. Inter has autem curas & apparatus, tumor ventris

remisit, nec ullum fœtus vitæ indicium dedit, ut sensim gracilescens puerpera exstinctum in utero fœtum suspicaretur. Transactis dubia sollicitudine hebdomadis novem à definito partus tempore, infantem sequioris sexus peperit omnibus membris perfectam, sed carne omni nudatam, sola cute cum ossibus residuis. Fassa est, se octo ante puerperium diebus languidam in furnum irrepsisse, ibique nihil tale cogitantem in partu fuisse deprehensam præsentibus in eodem tugurio mulierculis Bodilda Olai Jani, Christina Jani Medes vicina, Helena Petri Aasteds, & Benedicta Andreæ Suenonis obstetrice, quæ jurejurando hæc visa sibi confirmarunt. Observavit autem Helena, de qua loquimur, extinctum fuisse in utero embryonem 18. hebdomadibus, novem ante partus legitimam horam, & totidem post, attestantibus Matronis illi familiaribus, inprimis Conjuge M. Andreæ Nicolai Pastoris, qui ipse & fœtum exsiccum vidit & ad sepulturam procuravit.

HISTORIA XIII.

Guttæ sanguineæ ex gena manuque menstruatæ.

HOnestissima & speciosæ formæ Femina, mihi nota, habitu plethorico, & à copia sanguinis dolo-

doloribus capitis sæpius afflicta, quia ordinatus subinde mensium fluxus parcior justo est, sæpius facto experimento observavit, si menstruorum tempore leviter cutem sinistræ manus aut dextræ genæ fricet, guttulas sanguineas cum impetu saltuque prolici. Ne falsi arguar, quanquam perspecta mihi in his sit referentis fides, amando lectores ad *Salmuthi* Cent. 3. Obs. 18. ubi maculas rubras, morsibus pulicum similes in utraq; manus volâ copiosè erumpentes in honestissima quoque Matrona P.A.D. annotavit quotiescunque fluxus menstruus instaret. Facilè igitur in nostra ob cuticulæ subtilitatem & sanguinis calidioris copiam attritu calidæ manus pori dilatantur, provocaturque fluidus sua sponte cruor.

Historia XIV.

Anatome puellæ nuper natæ Anni 1650.

Expositam in Templo B. Virginis puellam nuperrimè natam, & à Matre Medea pejore, invidente alienam fœtui vitam, cui propriam in utero concesserat, obtorto collo jugulatam, in Theatro nostro Anatomico publicè in Consessu plurimorum Mense Martio dissecui, ut dissimilitudinem nuper natæ ab adultis demonstrarem spectatoribus. In hac plurima notabam, lectorum oculis haud indigna.

1. Funiculus ulnæ nostratis longitudine adhuc cum vasis umbilicalibus pendulus perviusque sanguine recenti stillabat.

2. Urachus impervius stilum nec à superis nec inferis admisit.

3. Copiosa in abdomine pinguedo candicans & in thorace.

4. Nulla sub recto musculo vasa mammaria aut Epigastrica.

5. Nullum planè omenti vestigium, quia nullus illius in embrione usus. Quanquam enim ventriculum & intestina publico coctionis munere defungi admittamus, à membrorum tamen complicatione, & uteri calore foveri possunt.

6. Ventriculus vacuus juglandis nucis capacitate. Vas breve nullum conspicuum.

7. Intestina tenuia, inania & contracta, flavo colore tincta qua vesiculam bilariam tangebant.

8. Cœcum intestinum oblongum & intortum, sed teres, apertum quidem sed sine excremento.

9. Valvula coli manifesta, circulo membraneo colon spectans.

10. Colum intestinum cum recto repletum tumidumque erat excrementis nigris crassiusculis, prope ileon flavis. Meconium dicuntur hæc excrementa, quæ à tertia coctione non prima cum Authore libri *de Carnibus* deducit *Aquapendens* l. 2. de Form. fœt. at *Riolanus* l. 6. Anthrop. à melan-

melancholico lienis sanguine derivat. Posse tamen ex prima coctione in ventriculo intestinisque separari, alibi probavimus, siquidem chylum ipse fœtus in ventriculo assumptum consumat.

11. Pancreatis ductum, nisi per fibrillas, nequivimus discernere. Cohærebat ille duodeno osculo suo, quod adacto stilo ex duodeno inveni quidem.; sed ob valvulam penetrare non potui.

12. Lien exilis, ventriculo par.

13. Hepar mole sua universum sub diaphragmate spacium implebat.

14. Vesicula fellis oblongior quam capacior, colore à bile alieno.

15. Succenturiati renes, seu Capsulæ atrabilariæ grandiores, renibus pares, sed triangulares, totæ excavatæ capacitate latâ cum humiditate serosa & sanguinea, adipe pauciori quam renes, donatæ.

16. Aberat arteria spermatica dextra, sinistra ab aortæ trunco ortum trahebat.

17. Nullæ in mammis adhuc glandulæ, sed pinguedo sola, cum papillæ rudimento.

18. Renes ex plurimis glandulis majoribus distincti, sed obscurius, quod fœtui esset solet proprium.

19. Pericardium copioso liquore cruento refertum.

20. In corde anastomosis inter venam cavam & arteriam venosam ampla & manifesta. Sed cana-

naliculum non inveni quanquam diligenter quæsitum. Forsan, quia amplior anastomosis sola sanguini in sinistrum ventriculum devehendo sufficiebat.

21. Thymus supra cor triplici glandula majori eminebat, per quas vena cava adscendens ferebatur. Fulcrum enim est vasorum, & siquidem in ipsis glandulis dissectis nulla vasa magna conspiciebantur, difficilè creditu est ibi sedem effervescentiæ in ira esse.

22. Pulmones utrinque in tres lobos divisi, sed sinister pulmo demissior. Colore vario flavescente & candido, non rubro. Variis denique filamentis Mediastino alligati.

In sceleto differentiam non addo, quia sæpius hæc demonstratur, & *Anatome* nostra *Reformata* passim prostat.

HISTORIA XV.

Maculæ in corpore menstruatæ.

Scorbuticam puellam curavit nuperis annis felicissimus D. *Olaus VVormius* in ædibus Claudii Corvini Prætoris urbis Hafniensis, cui mensium tempore, ubicunque ostiola venarum in manibus, facie, labiis, aliisve partibus erant, maculæ nigro purpureæ pisi instar eminentes emergebant, menstruis ipsis ex voto fluentibus,

hisque

hisque finitis evanescentes. Pro Scorbutica ab illo feliciter sanata est.

HISTORIA XVI.

Menses ex pedibus fluentes.

ANcilla Viri cujusdam apud nos Reverendi & Clarissimi, operibus culinariis defatigata in pedum tumorem incidit, quo rupto, diligenter expurgato ulcere, convaluit. Instante verò mensium periodo solitâ, sponte sua tumor rursum disruptus, sanguinem copiosè profudit, quod sæpius eodem modo contigit. Sanguis quippe, qui propter vasorum uterinorum obstructionem, à consueta via fuit exclusus, aliam elegit eamque ob tumores prægressos debilissimam. Solet ita natura unius defectum alia ratione compensare, præsertim in evacuatione feminis ad salutem necessaria. Memini I. *Dominicum Salam* Patavii Theoricum summum mulierem quandam Plethoricam per sectionem salva tellæ curasse, cui ex angulo oculi fluebant menstrua. Similia nerrat *Mercatus* l. 1. de M. M. c. 7. & *Dodonæus*, qui Obs. c. 15. per lacrymas vidit emanare. Per dentis alveum aliæ purgatæ mulieres si credimus *Heurnio* & *Hollerio*, perque os observante *Benivenio*, per vomitum, teste *Salmutho* Cent. 2. Obs. 18. & nares. Ex digito manus apud *Valesium* & *Mercatum*, pedis apud *Zacutum* in Obs. denique per urinam

urinam & animam & anum, ſicut memoriæ poſterorum prodiderunt *Platerus* l. 3. Obſ. *Salmuth.* Cent. 3. Obſ. 36. ne alios numero plures afferam. Patent in omnes partes vaſa ſanguinea, & ductum jubentis naturæ, ſi opus, libenter ſequuntur.


HISTORIA XVII.

Lac in ſanguine puellæ.


PUella quædam nubilis ſuppreſſis menſibus laborans lac ſolitas huic ſexui delicias hauſit. Advocatus ego ad provocandos menſes venam Saphænæ incidendam curavi, inſtante nempe ſolito fluxus tempore, intermedio verò venam cubiti. Hanc antequam ſecari ſibi permitteret, pridie lac more ſolito ſumpſit, unde in ſanguine pelvi excepto, lac loco ſeri conſpiciebamus. Exiſtimabam putridi ſanguinis hoc eſſe indicium, ſimile enim ſerum ſæpiſſimè in ſanguine ſcorbuticorum obſervari: Sed ipſum me in viam reduxi. Si credimus Practicis, lacteus hujuſcemodi in ſanguine color ex putredine, calidi nativi notat extinctionem mortemque præſentem. Puella autem noſtra optimè convaluit. Periculum prætereа diſſuavit D. Jacobus Janus Archiater Regius, Amicus ſuſpiciendus, qui ſimile lac in alia puella affirmavit ſe obſervaſſe. Igitur quantum


com-

Polypus Cordus









conjectura assequor, ex lacteo thoracico ramo prope jugulum ramulus sive in arteriam sive venam cavam implantatus lac istud haustum ad venæ sectionis locum cum sanguine potuit deferre.

Historia XVIII.

Pulsus arteriarum, Carotidum auditus.

Palpitationis cordis tam subinde intendi, ut ab adstantibus pulsus ejus exaudiatur, aliàs observatum fuit. Mulier juvencula Hafniensis omnibus virtutibus instructissima, Affinitatis vinculo mihi conjuncta, continuis subinde capitis doloribus divexata, pulsum arteriarum Carotidum in capite adeò sensit aliquando vehementem, ut è longè dissito loco sonus, horologii instar, audiretur. Ex errhinis multum sublevata quidem, sed auditus ferè remansit difficultas, Causa autem flatibus adscribenda, sanguinis copiæ, cum arteriarum duritie.

Historia XIX.

Vomitus sanguinis in Prægnantibus.

Notæ mulieres mihi nonnullæ optimi alioquin habitus, sed plethoricæ, quæ quoties uterum gerunt, toties molestissimis vomitibus nau-

nauſeabundæ non cibos ſolum & quicquid aſſumpſerunt, ſed ipſum ſanguinem magno conatu rejiciant. Dubium de ſanguine, unde emanet. Forſan in ſanguineis abundans cruor & à nutritione fœtus ſuperfluus, quum per uterum intercluſus ſit exitus, ſuperiora petit, quemadmodum per os, nares, oculos, extremoſque artus menſtruum ſanguinem expurgari ſcimus. Vel quod ab utero diſtento lien comprimatur, exprimaturque per vas breve ſanguis ad ventriculum. Verior autem ratio eſt, meo judicio, quod in ſummo vomendi conatu venulæ quædam in faucibus rumpantur. Nam ferè brevioris colli feminas huic vomitui cruento obnoxias obſervavi. Et plerumque exigua ſanguinis copia cernitur. Novi Viros qui venulis his ab acri ſanguine ex jugularibus venis à calido capite redeunte eroſis, cruentam ſæpe ſalivam ſine vomitu aut tuſſi exſpuant, nullâ aut in ventriculo aut pulmonibus noxæ manifeſtâ ſuſpicione.

HISTORIA XX.

Lactis ex nimio vagitu defectus.

IN Vico S. Petri mulier annoſa habitat, duodecim liberorum Mater, qui omnes tamen fatis conceſſerunt. Nullis enim per biduum ſuperſtes vixit, excepto unico, qui quinque attigit hebdoma-

domadas. Caufam repentinæ omnium mortis in nimium vagitum conjicit ipfa Mater, quo & ademptum fibi in mammis lac queritur, & vagitu perfeverante cum lactis defectu deficere quoque vitam. Vagitum autem à Caprimulgis inductum fuperftitiofa credit. Cæterum feftinanti morti debentur, quod non benè nati fint, nec Diis ridentibus. Sunt pueri qui interni corporis quodam vitio ob occultos dolores tam diu miferis ejulatibus vagiunt, donec inedia confecti, vel convulfione, vel denique alio infortunio animam tenellam emittant. Lactis autem in uberibus defectum & mœror animi, & vigiliæ, & intermiffa fuctio provocant.

HISTORIA XXI.

Vomitus cruentus inftante morte.

PUellulus femeftris ævi, confanguineus meus, matre febri ardente detenta natus, excoriatione totius coporis à primis incunabulis perpetuò ferè vexabatur, quæ per vices fedata, recrudefcebat, donec interioribus ardore eodem æftuantibus miferè tandem, immaturo fato, fummo Parentis præclari cordolio ad vitam meliorem tranfierit. Id fingulare fuit, quod fanguinis copiam per os reddiderit antequam beatam animam efflaret. Nempe nimio æftu acribufque humoribus didu-

diducta vaſa pulmonaria facilè extremo illo mortis niſu ex corde onerato & ſe liberare annitente purpuream animam emiſerunt. Aliam à capite hæmorrhogiam in Apoplecticis obſervamus, de qua alii.

HISTORIA XXII.

Luxatio coſtarum ſponte ſanata.

OPtima Natura medicatrix, vias curandi ſine ratione invenit, ubi nullæ ſunt. Filius minorennis Viri Religioſi & Clariſſimi, ab interno fluxu ſiniſtras coſtas inferiores diu habuit luxatas, ut viſu tactuque facilè malum diſcerni potuerit. Varia Medicorum & Chirurgorum remedia ſprevit ſemiluxatio, quibus tandem ita attritæ fuere vires pueri, ut febricula ſit accenſa: Per μετάστασιν circa ſpinam eodem latere dolente puſtula erupit, qua rupta ſenſim tantum peccantis materiæ, (luxationis cauſa) evacuabatur, ut coſtæ luxatæ ad ſolitam articulationem ſua ſponte redierint, ulcere per ſe ſanato & puero optimè convaleſcente, ſicut ex optimo Parente accepi, rerum Medicarum haud imperito.

HISTORIA XXIII.

Anatome steatomatis prope vesicam.

BArtolus Olai civis Hafnienfis in platea Boreali anno ætatis 36. circa inguina in hypogaftrio finiftro tumorem geftavit exiguum, qui fenfim tractu temporis in magnam molem excrevit, durus ad tactum & inæqualis, donec urinæ fequeretur fuppreffio, maximo ægri incommodo & dolore ad decem nonnunquam protracto dies. Fruftra variis adhibitis medicamentis, quæ fors obtulerat aut amicorum confilium, modò calculum pellentibus, modò ferum educentibus, univerfum corpus extenuatum præter finiftrum pedem tumidum, tandemque cum urinæ incontinentia diem fupremum miferè claufit. Tumoris in vivo varius perhibebatur ftatus; modò enim furfum vadere vifus, modò deorfum, modò tribus locis difperfus, unde fufpicabantur æger & affiftentes viva animalcula interius condi. Quem fcrupulum viduæ ut eximeremus, precio & pollicitationibus cadaver 3. Febr. 1651. aperui præfentibus D. *Henrico Fuiren*, *Marco Schmid*, *Michaele Lyfero*, *Nicolao Veftio*, aliifque Anatomiæ peritis.

Primò in hypochondrio finiftro verfus inguina tumor palpantibus patebat ingens ad umbilicum ufque protenfus, & undique durus, nifi quod um-

bilicum versus punctum molliusculum suppurationis quam præ se ferret speciem. Pes sinister cum crure tumidus, reliqua omnia membra extenuata.

In aperto abdomine sani musculi, sed peritonæum putridum sine ullo omenti vestigio. His remotis prope sinistrum vesicæ latus tumor ipse comparuit capitis virilis magnitudine, firmiter vesicæ adnatus, recto intestino & ossi pubis, ut sine læsione partium illarum separare fuerit nobis impossile. Externa forma oblongior & ovalis, sed inæqualis crystallorum instar vel matricis calcedoniorum, splendens velut glacies. Interior facies solida sine cavitate erat. Hinc inde tamen exilibus meatibus serum continentibus pertusa, cavitasque una superiori parte sanguine plena, qua mollities externa fuerat. Substantia steatomatis mollis butyro congelato æmula, sed prorsus singularis, non cartilaginea, non adiposa, non glandulosa, non carnosa. Vitreæ pituitæ concretæ haud absimilis. Ostetrix quædam, quæ spectatum venerat, uberibus vaccæ comparabat. Existimabam primo intuitu vesicæ esse appendicem, qualem in *Casauboni* cadavere *Thorius* descripsit, sed cavitas deerat, nec ulla cum vesica illi intercedebat communio, præter adhæsionis. Vesica ad latus dextrum lotio turgida. Eâ dissectâ grumos quidem sanguinis in fundo invenimus, nullum autem ad steatoma communem ductum. Mirum

rum autem non eſt, quod ſuppreſſione urinæ miſer æger laboraverit. Ab incumbente enim gravi ſteatomate orificium veſicæ comprimebatur. Reliqua inteſtina ſurſum erant protruſa. Lien exilis. Cætera ſcrutari per præficas non licuit,

In externis ſteatomata deſcribit *Severinus* de abſc. l. 3. diverſi ponderis. Nulla ferè notat in internis, nec tantæ molis, ſicut noſtrum. *Fallopius* non malè originem horum refert ad ſiccam pituitam, qualis hæc videbatur, & melancholiæ portionem, de quo videatur idem *Severinus* l. 3. c. 4. Idem *Fallopius* in ſteatomate à ſe aperto, medio liquorem quendam cryſtallo & adamante lucidiorem reperit. In noſtro cryſtallus videbatur concreviſſe, ut *Tumor Cryſtallinus* appellari poſſit; referebatque exactè ſplendentem vaſorum Lymphaticorum, à nobis inventorum, faciem. Unde materia hæc ſit congeſta, non æquè manifeſtum. Non videtur per tranſudationem à veſica aut Meſenterio, quia craſſior eſt liquor hic, niſi à partium membranoſarum frigore ſit condenſatus. Forſan per arterias Iliacas depoſita fuere excrementa ſanguinis. Corruptus enim ſanguis atrophiam induxit. Hinc pes ejuſdem lateris intumuit, repletis venis adſcendentibus ſanguine pituitoſo, & per ſteatoma retardata non nihil ſanguinis circulatione. Ex meſenterii glandulis excretum in abdomine ſteatoma lib. XVIII. obſervavit *Tulpius* lib. 2. Obſ. c. 32. An vicina vaſa Lym-

phatica nostra, copiosè circa pelvim vesicæ sparsa congesserint crystallinum liquorem, vel rupta fuerint, Eruditis relinquo dijudicandum.

HISTORIA XXIV.

Vulnus Ventriculi.

PUella grandiuscula Fridericiburgi in ædibus Materteræ suę improvido bombardæ minoris globulo à juvene fortè bombardam exploraturo petitur. Vulnus sinister latere ad ventriculum penetrat, unde dolores maximi, vomitusque cibi in cœna nupera ingesti. Turunda vulneri immissa fuit longiuscula, quæ cum extraheretur, adhærentia folia viridia ex acetario ejusdem cœnæ assumpto, secum ducebat. Sequenti manè dolorum satura obiit.

HISTORIA XXV.

Nasus duplex.

ADvenit Hafniam ex Scania Mulier cum filiola bimula, elegantis quidem formæ, sed naso deformi. In dorso nasi prope oculorum confinia carnosus tumor adnatus cernebatur, qui secundi alicujus nasi speciem referebat. Exilem tumorem ex utero materno exportarat, qui aucta deinde

deinde ætate per arterias ibidem conſpicuas incrementum ſemper cepit. Urgebat Mater ſectionem, me repugnante, partim ob oculorum viciniam, partim denique ob teneram ætatem.

HISTORIA XXVI.

Cancer genarum.

EX Provincia Selandiæ noſtræ Steffnsherret/ ad nos delata puella octo annorum à cancro miſerè in genis deformata. Siniſtram genam totam cum media naſi parte conſumpſerat, ſiniſtramque maxillam ſuperiorem pariter & inferiorem exederat. Diuturna opera Chirurgus Coagianus eo rem jam deduxerat, ut ceſſaverit gangræna, curatumque ſit ulcus malignum. Sed omnes internæ oris partes patulæ conſpiciebantur, lingua extabat abſente maxillæ fruſtulo, unde loquela impedita, & alimenta liquida inſtillari debebant. De reſtauranda parte conſultatum fuit. Chirurgiam Curtorum, neceſſariam quidem, tentandam tamen non exiſtimabam, quod ſcarificandæ eſſent partes recenti gangræna adhuc crudæ, quocunque irritamento facilè reditura. Labia utrinque hiantia fibulas averſabantur, partim quod muſculus naſi orbicularis eo in latere defuerit, partim quod nimio à ſe ſpatio genarum muſculi & labiorum diſtarint. Foramen enim patulum

facilè latam manum admittebat. Meum igitur consilium fuit in tanta loquelæ alimentorumque assumendorum difficultate, ut artificio quodam deficiens pars in maxillis resarciretur, sive gypso sive lamina aurea argenteave inducta, ad formam malarum & maxillarum efficta, ut os eo loco patulum claudi posset, & lingua haberet ad quod pro voce formandâ articulatâ allideretur, adeoque externæ injuriæ aliæ averruncarentur.

HISTORIA XXVII.

Lac in Virginibus.

NUperis annis in Blekingia Scaniæ Provincia Puella quædam nubilis stupri accusabatur, expositique infantis mater traducebatur. Videbatur suspicionem conceptam lac augere, quo mammæ sororiantes diffluebant. Illa verò ad causæ æquitatem & innocentiam provocatura, unico argumento judicum sententiam suspendit. Naturalem enim sibi lactis esse proventum prætendebat, & à primis incunabulis semper familiarem. Puellæ fidem firmavit frater illius minorennis, qui pari ubertate turgidas lacte papillas produxit. Magistratus jussu res ad Medicos Hafnienses devoluta est, qui & exemplis & rationibus inducti virginibus nonnullis incorruptis lac asseruerunt, adeoque puellam intentato crimine liberandam

uno ore censuerunt. Qui lactantium Virorum & puellarum historias amat, *Anatomen* nostram *Reformatam* adeat, ubi plura ejus sensus retulimus.

HISTORIA XXVIII.

Hydrocephalus.

IN Comitiis Hafniæ 1650. celebratis Janus quidam puer annorum quinque, Patre Jano Jani in Insula Danorum Samo natus, ulnis Matris Annæ Nicolai difficulter gestatus à nobis diligenter visus fuit. Erat puero tantæ molis caput, ut tria adultorum superarit, in circumferentia ulnam æquans cum quadrante, duasque spithamas altum. Frons adeò elevata, ut oculorum orbitæ mediam faciei partem occupare viderentur. Nulla verba articulata proferre, nec ciborum quidquam masticare potuit, quia superior dentium series longè ab inferiori propendebat. Os perpetuò madebat sero copioso affatim ex capite affluente, unde continuâ siti æstuans injecto potu recreatur. Nec pedes sustinendo corpori pares erant, optimè alioqui conformatis membris reliquis, nisi quod doleant ad tactum pedes, & clamore insigni contrectantium manus deprecetur. Accuratè autem caput expendentibus, Hydrocephalus apparuit, similis illi quem *Severinus* de Abscessibus depictum exhibuit. Hunc tamen

caput minus eſt rotundum, angulis in fronte hinc inde protuberantibus. Suturæ laxatæ omnes, à ſummo capite ad occiput, & in utroque capitis latere. De ſimili Hydrocephalo videndus *Smetius* l. 10. Miſcell. pag. 578.

Matri pauperculæ, quæ undecim liberos ſine labe tali pepererat, quum hunc utere gereret, præter conſuetum morem gravia omnia evenerant, uteruſque adeò intumuit, ut prono in terram corpore progredi fuerit coacta. Natus verò nuper infans ſequuturæ infelicitatis ſignum dedit. Caput quippe in acutum ſuperius adſcendebat, quod faſciis ligaturiſque ad ſanam formam reducturi, dolores infanti miſello auxerunt. Spretis igitur vinculis omnibus in omnem partem ſua ſponte caput ſe dilatavit.

HISTORIA XXIX.

Linguæ in variolis Uſus.

LInguæ humanæ & ſalivæ inſolitum uſum non ita pridem muliercula propalavit. Occupaverant variolæ Epidemicæ univerſam faciem tenelli filii Pl. Reverendi & Clariſſimi in urbe noſtra Viri, & oculis minitabantur exitium. Fruſtra aliis tentatis, Nutrix dolore infantis commota & commiſeratione, lingua propria oculos pueri lingebat, ſicque reſeratis oculis, abſter-

absterſaque ſanie convaluit infans morti antea relictus, & publicis ex ſuggeſtu precibus expiatus.

HISTORIA XXX.

Abſceſſus in Spina.

PUer annorum quatuor, cum Matre, auxilii cauſa ad nos Hafniam venit. Artus inſigni atrophia marcidi, vix pollicem meum craſſitie æquant. Capitis informis magnitudo Hydrocephalum, ſi ſupervixerit, niſi me fallit augurium, brevi minitatur. His malis accedit abſceſſus in ſpinæ dorſi & lumbaris confinio prægrandis. Mater ſollicitis precibus, quod hinc omnem malorum cauſam evacuari ſperet, apertionem abſceſſus flagitat. Diſſuaſi ego, mecumque Chirurgus experientiſſimus Martinus Sixius, imminere enim, illo aperto, vitæ periculum. Illa contra impatiens longioris moræ, omnia malle, quam diuturnos filii cruciatus ſine auxilio protrahere. Præmiſſo igitur Prognoſtico, ita volentre Matre, ſcalpello apertus fuit doloroſus tumor. Multo pure cum ſanguine profluente, caput viſum detumeſcere, ſed tertio die exſpiravit. Credo abſceſſum iſtum ad ſpinalem medullam perveniſſe, cerebrique corrupti fuiſſe productionem.

HISTORIA XXXI.

Purulentus Capitis Tumor.

PUella x v. annos nata textoriam artem in ædibus fabri lignarii Hafniæ exercens, non tam Hydrocephale, quam Pyocephale laborare videbatur. Caput tumidum inprimis in sincipite, & ad tactum molle. Palpebra dextra superior eodem humore inflata oculum tegebat. Chirurgi servus tumidæ palpebræ emplastrum imposuit, quo ruptus abscessus magnam purulentæ materiæ, candidæ & crassiusculæ copiam, mensuram integram de facili implentem, profudit. A meridie vocati *D. Simon Paulli*, Ego,& Mag. Martinus Sixius,plus expressimus puris sanguineo colore tandem tincti, unde dextra capitis pars visa detumescere. Quantum oculis discernere potuimus, à pericranio cutis pilosa erat divulsa, communisque sinus à loco pone aurem dextram ad dextram palpebram commeabat, quia illâ parte compressâ pus copiosius per palpebræ foramen egrediebatur. Narrabat puella diebus x i v. hunc congestum esse abscessum sanis sensibus, sine ulla præcedente causa sibi cognita.

Ex re nobis visum fuit, propter oculorum viciniam, ne his natura assuescat, ut abscessus in adversa capitis parte aperiretur, post sinistram aurem

rem prope Parotides, quo aliàs excrementa ſolent à Natura amandari; nullum ibi læſi muſculi metum, & fluitantem interius materiam intento quaſi digito viam monſtrare. Interea arcto vinculo conſtringendam palpebram malè affectam. Aperto loco auris ſiniſtræ, præter ichoroſum ſanguinem nihil admodum prodiit, ſed ex externo oculi angulo pluſculum puris, unde petiis conſtricta loca vicina, ut ad poſteriora capitis contenti humores deducerentur. Hinc & ſiniſter frontis tumor remiſit, & pro lubitu palpebram antea collapſam impeditamque aperiebat, metu læſi muſculi levatoris ſublato, ſenſimque omni materia purulenta evacuata, ad ſanitatem priſtinam ęgra rediit.

HISTORIA XXXII.

Anatome ſolennis 1651. ſuſpenſi furis.

ANatomen Virilis cadaveris Helſingoræ ob furta ſtrangulati menſe Februario & Martio publicè in Theatro Anatomico repetii, hominis certè proceri, ſanguinei, habituque corporis robuſto. Notatu digna hæc inveniebantur.

1. Pyramidalis muſculus ſiniſter, major dextro.

2. Nulla inter vaſa Mammaria & Epigaſtrica Anaſtomoſis.

3. Peri-

3. Peritonæum pinguedine hinc inde conſperſum.

4. Omentum, ad pubem ûſque univerſum abdomen, omniaque in eo excepto hepate, tegit, inſinuatque ſe inteſtinorum gyris, profundius tenuia involvens. Uncias XII. cum dimidia pendit.

5. Muſculi Recti ex unica coſta vera oriuntur, tanguntque leviter alteram, qua muſculo ſerrato ſubſternuntur, nothas nuſquam attingunt.

6. Nigrore conſpurcatus ventriculus, qua lieni vicinus vas breve excipit.

7. Vas breve duplex, ad ramum ſplenicum tendens.

8. In duodeno vena duodena conſpicua.

9. Meſocolon ampliſſimum alligans colon ubique & rectum, ab Omento diſtinctum.

10. Jejunum plenum.

11. Pleraque inteſtina rubicunda, carnis inſtar. Longa 19. Ulnas, quum ipſum cadaver trium eſſet ulnarum, adeoque ſexies præter propter corporis æquabant longitudinem.

12. Cœcum 8. digitos transverſos longum.

13. Pancreas tres palmos longum, ultrá duodenum extenſum, & ad lienis latus ſe reflectens. Unde ductus ejus novus longiſſimus, ubi ad duodenum pervenit, patebat quidem orificio ſuo in duodenum flavo colore tinctum, ſed ultra ad longiorem pancreatis appendicem progrediebatur, ibi-

ibique in duplicem ramum dividebatur, donec ad extrema desineret. Par circa lienem ratio.

14. Lien parvus, & orbicularis, non longus.

15. Hepar mole maximum, V librarum cum dimidia.

16. Renes duos palmos longi, lati digitos quatuor.

17. Capsula atrabilaria dextra pyramidalis, sinistra triangularis obtusior, ampla cavitate donatæ. Illa venam à Cava, hæc ab Emulgente arteriam mutuabatur.

18. Arteria spermatica utriusq; lateris ab aortæ trunco, à quo hæmorrhoidalis externa descendebat. Vena utraq; ab Emulgente, sinistra major quam arteria, cum infinitis anastomosibus. Vena hæmorrhoidalis externa ab Emulgente sinistra.

19. Media vesicæ membrana planè carnosa, ut musculi meritò nomen mereatur.

20. Circa urethræ exortum abscessus sanguifluus comparuit.

21. Vesiculæ seminales variis implicitæ gyris, instar intestinorum, sed distinctis capsulis cavis, quæ continent humorem liquidum crassum, nempe semen, quod decimum post diem obscurius evasit & crassius.

22. Costa tertia thoracis dextra crassitie duas alias æquabat, versusque sternum bifida, ubi foramen in duplici divisura effecit.

23. Copiosissimus in Mediastino adeps.

24. Pe-

24. Pericardium firmiter undique annexum cohærentibus membranis ipsi Mediastino.

25. Musculus serratus anticus minor thoracis, nullas serratas monstrabat divisiones.

26. Vena ἄζυγος ab exortu deorsum per medias dorsi vertebras labitur, & utrinque ramos intercostales spargit.

27. In Pleura pinguedo copiosa secundum costarum numerum, quam venæ transeunt.

28. Cor X. digitos transversos longum, ubique & circa basin & conum adipe refertum.

29. In arteriolis à corde parum remotis truncumq; aortæ transcendentibus, inter tunicam externam & internam sanguis concretus crassusque, & niger instar Aneurysmatis ibidem collectus.

30. Inter venam arteriosam & arteriam magnam canaliculus conspicuus calami scriptorii densitate, ejusdem cum arteria substantiæ, non pervius.

31. Pulmones grandes, variegati, cœrulei, rubore insperso, marmoris instar, leves & spongiosi, sanguine spumoso tam pleni, ut non tantum externæ venæ tumidæ ubique in membrana apparerent, sed in dissectione cordis demonstrantem me ferè impedirent.

32. Natta in capite. In hac denso involuco aperto latebat farinacea materia. In aliis Nattis ex se ruptis, purulentam observavi.

33: Cartilagines laryngis ferè osseæ.

34. Ple-

34. Plexus Choroides præter vasa habebat plurimas vesiculas.

35. Ventriculi cerebri multa aquæ copia abundabant, sicut & nervorum principium spinam ingressurum.

36. Nervi optici in exortu manifestè cavi, stilo pervii & oculis:

37. Processus cerebelli vermiformis obtusus vixque apparens.

38. Clavus in pedibus folliculo constabat cum tenui liquore ad articulum apertus.

HISTORIA XXXIII.

Calculi ex naribus & Pulmonibus.

LApillos in variis visceribus generari exempla testantur, apud Practicos obvia. Nobis de capite & pulmonibus jam erit sermo. In Dania nostra Virgo Nobilis ex naribus calculos emunxit forma & magnitudine dactylorum. Ita narrante Matrona Nobilissima & Eruditissima *Brigitta Tottia.* Ex capite prodiisse id fuit indicium, quod hanc plerunque excretionem dolores capitis præcesserint.

Mulier alia non infimæ conditionis cum tussi lapides ex pulmonibus expuit, à me apud *D. Thomam Bangium*, Theologum Summũ, visos. De tussi lapidea videatur *Zacutus Lusitanus* l. 1. Prax. Adm. Obs.

Obſ. 95. 96. & calculis in Pulmonibus *Platerus* l. 1. Obſ. *Dodonæus* c. 23. Obſ.

HISTORIA XXXIV.
Sudor arenularum.

ILluſtris quidam Vir, Regius in Selandia Præfectus, calculo & Arthritide, domeſticis hoſpitibus, ſæpe obnoxius, ſubinde in largiſſimum ſudorem ſolvitur, quo non ſerum exſudat, aut ſueti per poros liquores, ſed, quod mireris, manipuli arenularum, quas inducta manu abſtergit. Quotidianum id nobili Viro, & à Medicis ſaluti illius excubantibus viſum perſæpe, teſtis mihi eſt fidè digniſſimus D. *Olaus VVormius.*

HISTORIA XXXV.
Dentes continui.

TAm rarum credo in Anatome, continuum unumque in ore reperiri dentem, quam ſeriem triplicem. Utriuſque tamen prodigii naturalis proſtant exempla. Ferunt Herculem triplicem dentium habuiſſe ordinem. Conſtans fama fert, in Ludovico XIII. Rege Galliarum, duplicem in una maxilla ſeriem, loquendi promptitudinem impediviſſe. Simile de Mantichora prodit

Solinus.

Solinus. Lamiæ in Musæo exuvias suspensas possideo, cujus fauces quinque dentium acutissimorum & contrario situ sibi obversantium, ordo distinguit. Lupo marino non extrema tantum maxillarum acutis dentibus sunt aspera, sed molaribus palatum interius infra & supra armatur.

Dens continuus solusque non ita tritus. Imperante Divo *Christiano IV.* cujus gloriosos annos dum introspicimus, quid immortalibus factis meritus sit, non interrogamus: Ex Groenlandia cum classe Regia barbari quidam illius terræ frigidæ incolæ Hafniam advecti, ut ignota jam lingua nostratibus innotesceret. Inter hos barbaros quidam unum continuumque dentem totam extremitatem maxillæ implentem curiosis exhibuit spectandum, sicut locuples testis mihi est *D. Thomas Finckius*; Avus omni veneratione honorandus, in cujus ædibus sæpius crudis carnibus patrio more vescebantur. De Pyrrho idem accepimus, quod os continuum pro dentibus habuerit, exili notâ discriminante singulos.

Historia XXXVI.

Testiculus in abdomine latens.

Visa mihi in urbe nostrâ muliercula tenuioris fortunæ, tribus infantibus divitum ostia sollicitans, quorum unum in tergo gestat, alterum

uberibus appendit, tertium manu ducit. Primus quem in dorso excipit, quanquam ætate reliquos superet, ad gressum tamen est impeditior. Causa tardioris incessus videtur in testiculum alterum conjicienda, qui à prima nativitate abdominis interiori cavo inclusus, foris cerni nequit. Testem in inguine latente describit quoque *Platerus* lib.2. Obs.

HISTORIA XXXVII.

Pterygium singulare.

DIuturna indicis digiti exulceratio in Illustris Viri generoso filio, barbitonsorem diu exercuit, emplastris timidis insistentem, quibus pus nec imminui potuit, nec expurgari. Non infelici mulierculæ remedio tandem curatus digitus & absterso pure sanatus. Remansit tamen nudi ossiculi prominentia, quam *Carolus le Sage* Chirurgus Regius apprehensam forcipe statim sine dolore sequacem extraxit, impositoque cerato facilè patulum in digito hiatum clausit. Credidi extremi articuli ossis esse partem, ille in ulcere enatum os suspicabatur. Firmavit opinionem meam impeditior digiti motus, de quo æger querebatur. Articuli autem defectum in motu quocunque unguis supplevit. A Panaritio seu Pterygio vulgari eo differt discrimine, quod nulla unguis hic facta sit jactura.

Historia XXXVIII.
Singularia multa in Anatome secunda 1651.

CApite truncatum Mense eodem Martio, pro Anatome Augusta, jussu Regio adornanda, evisceravi. Vir fuerat melancholicus, firmo tamen corporis habitu & succi pleno. Nisi grave sit lectori, quæ tum observavi in homine hoc singularia, præsentibusque spectatoribus demonstravi, iterata lectione hic repetat:

1. Abdominis pinguedo pallida accuratè universum ventrem investiebat, transversos digitos duos densa.

2. Lien exilis rotundusque, qualem in priori notabam.

3. Pancreatis ductus eodem osculo in duodenum patebat, quo cholidochus, sed amplo.

4. Omentum amplum, priori par.


5. Intestinum cœcum quinque circiter transversos digitos assequebatur. Apertum muco excrementitio scatebat crasso, cui vermis oblongus tenuisque immixtus, & officulum halecis cernebatur.

6. Emulgentia vasa præter solitum luxuriabant. Dextra vena duplex, simplex sinistra. Arteria emulgens dextra unica, sinistra trifida, quarum infima ab Iliaco ramo dextro oriebatur.

 7. Pro-

7. Producti ab anteriori renum parte Ureteres triplici ramo post exitum divisi. Unde & confusa ferè caruncularum substantia propter varium Ureterum lusum.

8. Capsula atrabilaria dextra major & longior, duplici cavitate ampla, una rotunda, altera ad latus oblonga & angusta: Sinistra latior sed brevior. In utraque cavitate parietes tingebantur nigrore quodam.



Ut clarius ad oculum omnia pateant, figurâ festinanti hæc exprimi curavi.

9. Per spinam nasi musculus extendebatur secundùm illius longitudinem, nusquam ante à me visus. Videbatur propago & appendix carnosa musculi frontalis, hoc enim elevato movebatur ille.

10. Musculus labii superioris longus ab osse Jugali ortus appendicem quoque mittebat ad alterum ejusdem labii musculum cum naso communem.

11. Inter musculos radii duos illos parvulos *Casserii* non inveni, negatos quoq; à *Riolano*. Unum tamen vidi triangularem à summo cubito ortum & desinentem circa medium ejusdem carnoso fine & augusto, qui nullius musculi cogniti fuit portio, quos omnes diligenter ante separavi.

12. In minimo digito pedis flexorem musculum observavi singularem, longum & teretem à tibiæ capite exortum, duobusque tendinibus circa insertionem divisum.

13. In lumbis juxta musculum Psoas, alius musculus comparuit à nullo hactenus observatus. Ex parte majori musculo Psoas subjacebat, sed exterius ad latera magis vergens. Initium idem cum majore Psoas, carnosum, inserebaturque carnosus in superiorem ossis Ilii marginem posterius, ubi Iliaci inferni est ortus. Existimavi usum hujus esse, ut pulvinaris instar majori substerneretur, siquidem os Ilii ex se immobile,

vel ut os idem ſuſtineret, ne nimium ſtante homine oneri eſſet.

Tantam muſculorum ubertatem & varietatem non memini in alio unquam me vidiſſe. Homo verò hic, dum in vivis erat, compacta membra motuum agilitate facilè & cum robore verſabat. Et ne ſpermaticorum vaſorum diverſitatem fruſtra credamus fuiſſe, homini audio jocum *Plautinum* convenire: *Quicquid amavit, amavit teſtibus præſentibus.*

HISTORIA XXXIX.

Bibo Melitenſis.

NOn ſemel cum ſtupore vidi Bibonem quendam Melitenſem, Petrum nomine, qui paſſim publica artificii ſui dedit ſpecimina. Hic epotis 20. vel 30. aquę cyathis pro lubitu ſpectantium celeriter revomuit, & inſtar ſalientis ex ore frontis modò ſingulos cyathos ordine replevit, modò univerſam aquam ad pedes 20. & amplius rejecit. Præterea, pro cujuſque ſpectatoris arbitrio, non aquam tantum limpidam reddidit, ſed variis coloribus & ſaporibus differentem, modò aquam Roſarum, Sp. Vini, vinum Hiſpanicum, rubrum, album, &c. ſingulosque cyathos ſingulari ſuique generis potu implevit eodem vomitu. Fatebatur autem jejuno ventriculo vel vacuo felicius ſuccedere expe-

experimentum, si enim post prandium statim vocaretur à Magnatibus, cogi se prius ingestum cibum removere antequam ventriculum tanta copia aquæ replere posset. Expressurus hoc modo haustos liquores, sola manus pressione, abdomini vel thoraci, rem confecit. Ut magiæ suspicionem evitaret, publicèq; artem quæstuosam exercendi impetraret licentiam,& Pontifici Maximo Urbano VIII. Romæ,& Cardinali Richelio Parisiis,& Principi Auriaco Hagæ secreta sua revelavit. Passim alii artificium hoc imitati sunt, sed non pari successu & dexteritate. In Belgio feminam Ebræam ea quoq; arte nummos vidi collegisse. Alius Belga nuper Hafniæ eundem vomitum exercuit, Serenissimoque Regi artis suæ datis speciminibus, publicè soluto precio cunctis prostabat. De artificii ratione sæpius orta mihi dubitatio, & multum se curiosi torserunt. Duo enim concurrunt, quæ miranda videntur. Primò vomitus voluntarius, deinde varia liquoris evomiti tinctura.

Vomitus ex motu ventriculi voluntario pluribus familiaris, si vel duplex sit ventriculus, ut in ruminantibus, vel ventriculi membrana exterior, quam in vomitu principem concurrere existimant quidam, carnosior sit. Duplicem ventriculum non credo habuisse Bibonem, partim quod non ruminarit, partim quod removere coactus fuerit ante, omnia in ventriculo contenta, quàm denuo biberet. Igitur carnosa fuit ventriculi substantia,

& musculosa, non membranea, ut pro voluntatis imperio moveri potuerit. Ita suspicatur quoque *Petrus Castellus* Prof. Med. Messanensis, Amicus meus, pluribusque deducit Lib. 1. Emet. c. 8. Certè nonnullos novi, qui fumum Nicotianæ liberaliter deglutitum, quando volunt, impressa hypochondriis manu, revomunt. Notus hoc artificio Nauta Hafniensis. Romæ quoque in foro Navonæ visus mihi persæpe Persa quidam, qui omnibus spectantibus Tabaci fumum copia satis magna ingessit, & quando jubebatur, pleno impetu ex ore rejecit, etiam spiritum vini, quem in precium spectaculi persolvimus, superbibisset. Huic igitur & Biboni Melitensi ventriculus motu voluntario ob musculosam substantiam moveri potuit.

Major de liquorum variorum tinctura difficultas. Fuere qui crederent, vitra hujusmodi coloribus fuisse imbuta. Ille verò Melitensis non tantum cyathos aqua diligenter eluit, sed à spectatoribus cyathos recepit, ut sine fraude se agere testaretur, & gustandos liquores præbuit quos evomuerat. Aliqui putarunt, vesiculas in ore certis locis recondi, plenas aquis coloratis, quas edoctus sit pro lubitu dentibus premere & aperire. Alii aliam rationem commenti sunt. Nam aquam colore vini rubri evomiturum credunt præpotasse extractum ligni Brasiliani, quo, aquæ mixto, color vini rubri inducitur: Eundem autem liquorem jam tinctum si vasculis aceto vel limonum succo

per-

perunctis excipiatur, evanescere rubicundum aquæ colorem, & subluteum reddi, viderique vinum generis alterius. Denique alii, qui per rimam occultam, fraudem furtivis oculis speculati sunt, pro certo mihi affirmarunt, non eructari ex ventriculo varios liquores bibitos, sed continuum ulcus in palato servari, fontanellæ instar, per quod secundum colli ductum plumbeum canalem ad inferiora deducit, vestibus tectum, cui canali varias vesiculas alligavit diversis liquoribus repletas, ex ore per tubulos pressos exsilientibus. Canalem ut commodius tegat ex collo descendentem, thoracis seu colli vestimentum elatius gerere. Nec improbabile esse, ut fucum adstantibus faciat, poculum unum solum vel alterum aquæ haurire, cæteros verò cyathos quos simulat se evacuare, ita esse conflatos, ut vacui licet, videantur tamen ob crassitiem, aqua pleni. Quidquid sit, siquidem artificium solis Magnatibus detegunt, liberè nobis conjectandi relinquent potestatem, & de fraude suspicandi. Quanquam enim bibitum liquorem pro arbitrio possint rejectare, nunquam tamen inducar ut credam liquores distinctis coloribus aut in ventriculo tingi, aut separatos evomi.

HISTORIA XL.

Capilli virides.

NUllos in corpore humano enasci pilos viridi colore enitentes hactenus credimus. *Cardanus* culpam refert in pilorum densitatem lucidi coloris minus capacem. Sed & flavi sunt multorum, & virides Psittacorum plumæ. *Scaliger* credit propius se ad rationem accedere, quod color quilibet non conveniat cuivis plantæ, ideoque nec pilis. Cæterum nec hic color ab homine est alienus. Humiditates nonnullæ corporis sunt virides, ut bilis porracea & viridis, cur non excrementa humorum, quales pili, simili colore lucerent? Bina apud nos extant exempla. Pluribus abhinc annis nequitia barbitonsoris, Nobilis cujusdam barba & hoc & aliis coloribus fuit infecta & defædata. Vidi ipse in urbe nostra Virum, viridi capillitio luxuriantem. Et ferè virides efficiuntur metallorum fusoribus, quibus hic fortassis adfuerat: Nonnunquam ab insita bile. Ita de Antonio Maria Catabeno narrat *Marcellus Donatus* in Hist. Med. ob ætatem grandem cano, plurima bile sanguini permixta in corpore redundante, non solum cutis auriginosum colorem incurrisse, sed & canos luteo colore ad viridem inclinante productos.

HISTORIA XLI.

Pilorum abſciſſorum cum vivente conſenſus.

AN vivant pili, & totius corporis more nutriantur, diſputant Phyſiologi, & Anatomici, qui videantur. Quanquam verò nec vivant nec viventis corporis more alantur, ſingularem tamen inter ſe alunt conſenſum, ſympathia mirabili, quæ omnibus cognato genere intercedit. Hujus rarum in patria habuimus non ita pridem exemplum. Ex vulnere capitis cæſim facto cutis capitis piloſa Viro cuidam fuit detruncata. Curato vulnere piloſam illam cutem exſiccatam idem aſſervavit, ſuorum æſtimator. Vergente deinde ætate cum ſano capite & vivo aut calveſcente aut caneſcente, capillitium quoq; exſiccatum, ciſtæ incluſum, & pilos canos oſtendit, & tandem, ſicut poſſeſſor, calvitiem. Si meæ relationi fides deneganda, Magnorum illam Heroum teſtimonio firmabo, qui ſe nominari, quando opus, forſan æquo animo ſunt laturi. Partis vivæ cum alia conſenſum Chirurgia Curtorum docet. Ineſt & vitâ caſſis ſympathiæ commercium. Quo fundamento nititur Tranſplantatio morborum. Vulgus ſuperſtitioſum ſedulò cavet, ne vel ungues vel pilos refectos obvios cuivis linquat, poſſe enim mago-

magorum arte, vivis corporibus, ex quibus ſunt decidua, illos morbos induci, quos excrementa patiuntur. Sed hæc illis relinquamus, quibus nullum ſtabile judicium. Illorum enim, ut eleganter Octavius apud *Minucium Felicem*, prout inſida ſuperſtitio ſpargitur, ita dubia opinio facilè diſſipatur,

---

HISTORIA XLII.

Puellæ hirſutæ & barbatæ.

PUellam ſex circiter annorum Hafniæ vidi, & poſtea in Belgio, quam Parentes circumferebant, & cuivis ſoluto precio monſtrabant, toto corpore hirſutam, piliſque candicantibus horrentem. Ex aurium quoque cavitate interna cirrhi longiores propendebant haud inelegantes, mentum barbatum pilis ejuſdem candoris, manum tranſverſam demiſſis. In prædio Nobiliſſimæ Matronæ Elinæ Marſuin in Fionia noſtra, non diſſimilis mulier degebat pulchra facie, ſed barbâ prolixâ flavente & lunatâ. Viſitur Bononiæ in Muſæo *Aldrovandi* effigies feminæ, ſimilis Helveto maximè barbato. In Gynecæo Archiducis Auſtriæ viſa quoque pridem juvencula 30. annorum, quæ à teneris annis ante menſium eruptionem barbam Viri in morem promiſſam cum myſtacibus alebat. Alioquin glabro feminæ nitent men-

quia

to, quia ut *Tibulli* illud paucis mutatis usurpem lib. 1. El. 9.

Carior est auro virgo, cui levia fulgent
Ora, nec amplexus aspera barba terit.

Et menstrui sanguinis opportunitate excernuntur excrementa, quæ in Viris per barbæ ubertatem absumuntur.

Historia XLIII.

Pili in nonnullis valdè prolixi.

HAbent pili certum in plerisque crescendi terminum, in nonnullis mediocritatem excedunt. Uxor militis Dani in bello Cæsariano crines pubis tam habuit prolixos, ut pone tergum potuerint complicari. Alvarus Semedus Lusitanus Pater Soc. Jesu, Procurator Japonensis & Chinensis, Romam pridem redux, barbam ad pedes protensam gestabat, baltheo majoris commoditatis gratia subinde constrictam. Effigiem qui amat, reperiet Erudito illius libro de *China* præfixam. *Iohannis Pierii Valeriani* Vir hic meritissimus Apologia pro uberrima barba indigeret, nisi Cynicus præivisset apud *Lucianum*, qui Theseum laudat, quod barbamque & comam habere ei placuerit, nec ei solum, sed & veteribus omnibus, quorum nullus sustinuisset crinem deponere, nihilo magis quam Leo quispiam se tonderi. In uni-

universum verò idem negat se æmulaturum seculi hujus homines, qui poliunt & lævigant singulas corporis partes, ac ne secretiorem quidem ullam, ita ut Natura instituit, se habere sinentes.

HISTORIA XLIV.

Arenarum esus.

PRimarii Civis Hafniensis filia, tenera adhuc ætate, libenter arenas clanculum ingerebat devorabatque sicubi arripiendi dabatur occasio. Solo insuper lacte sitim sedabat, spreta cerevisia domestico potu. Hinc morbo oborto ex imbecillitate ventriculi hujusmodi rebus non assueti, per tubulum cantharo infixum cerevisiam saccharo temperatam sugendam dedit Mater, de salute filiolæ sollicita. Potum vomitus excepit, quo duriusculam massam excrevit, ex arena & lacte firmiter invicem compactam. Sic sana, adhuc magno Parentum gaudio superstes vivit.

HISTORIA XLV.

Anatome Aurigæ subitò in curru exspirantis.

ANno cIↄ Iↄ cLII. principio Februarii mensis ob inconstantem aëris temperiem, multi in urbe inopinata morte subitò exstinguuntur. Inter hos auriga *D. D. Iohannis Reseny* tum Theologi Summi.

Summi, mox Selandiæ Episcopi, in curru exspiravit. Nomen juvenis erat, Æschillus Erici, nati tum annos X X X. Longo autem tempore conquestus fuerat de abdominis doloribus ad jugulum adscendentibus, ut subinde se crederet suffocari, nec levamen ante sensit quam presse thoracem & abdomen manu comprimeret, vel opposito fulcro sublevaret. Insperatæ mortis investigaturus causam, consensu Heri, præsentibus ipso Venerando *Antistite*, *D. VVormio*, M. Joh. *Resonio* juniore, & *M. Lysero*, cadaver aperui, & sequentia notavi:

1. In abdomine omentum invenimus putridum, cum ingenti fœtore.

2. Hepar ingentis molis, ut utrumque hypochondrium ferè impleverit; colore sano, sed duriusculum, inprimis sub ensiformi Cartilagine.

3. Lien exiguus infra ventriculum, fibris membranisque mirum in modum vicinis partibus connexus & implicitus. Figura singularis. Referebat enim renes bubulos vel suillos, quatuor vel quinque lobis distinctus.

4. Ren sinister cætera sanus, incumbentis lienis impressum servabat vestigium. Liene uterque major.

5. In abdomine inter membranas plerasque hinc inde vesiculæ à flatu excitatæ.

6. Cœcum intestinum in sinistro hypochondrio, colo adhærebat.

7. In thorace pulmones sicciores, ad livorem tenden-

tendentes. Sinister mediastino adnatur. Prope gulam & dorsum inflammati, sicut & ipsa gula, unde vivus post cibum sumptum de dolore ibidem loci ingenti non immeritò conquerebatur.

8. Cor inusitatæ magnitudinis & quovis bubulo majus.

9. Dextra cordis auricula amplissima, sex digitos transversos lata, sanguine turgida. Sinistra verò contracta, vix nucem æquans minorem.

Patet hinc facilè mortis causa. Pulmones enim exsucci ad motum inidonei per venosam arteriam sanguinem non admisere per circulationem hac iturum, unde stagnans in ventriculo dextro & auricula dextra hominem suffocavit. Quo accesserunt flatus ex abdomine, qui presso diaphragmate & angustato corde, spiritum intercluserunt.

HISTORIA XLVI.

Vermes ex Phtisico.

DEsperata Phtisi diu pressus Vir Nobilis, tandem fatis cessit. Ex ore naribusque defuncti corporis, innumeri prodierunt vermiculi rubro capite, quos ex pulmonibus corruptis emanasse suspicor, vel vesicula singulari, cui in vivo homine inclusi fuerant. Ferali arca concreditum cadaver iisdem vermicellis scatebat, cunctis stupentibus.

HISTORIA XLVII.

Vermium Vomitus.

NAuſea & ad vomitum facilitas Mulieri Helſingoranæ per tempus aliquod fuit moleſta. Lacticiniis præparandis & pro menſa adornandis occupatæ aliquando, ſponte ſe vomitus obtulit, qui urgere magis, quò lacticiniis propiores eſſent vultus. Prodiit eo vomitu frequenti nauſea intentato, vermis longior, rubra ut videbatur lingua; quem ad ſterquilinium prius condemnavit terrore percita, quàm accuratius poſſet examinari. Excreto eo frequens nauſea ceſſavit.

HISTORIA XLVIII.

Ex caſu mors.

PRolapſus ex tecto novi Sphæriſterij Hafnienſis Architectus Valentinus, ad contignationum prominentias dextrum thoracis latus offendit, unde ſequenti die mortuus. Nulla in corpore univerſo contuſionum aut fracturæ veſtigia apparuere. In ſolis coſtis dextris obſervatum leve indicium. Sine omni dubio, caſu iſto violento preſſæ coſtæ, vaſa cordis, pulmoneſq; ita attriverunt, ut motus ſanguinis circulandi fuerit impeditus;

vel ſanè ex ſpirituum in capite confuſione, & ſanguinis ad ventriculum nobilem protruſione, Apoplexia orta, quemadmodum puerum illum Eutychum in Actis Apoſtolorum, eo modo exſpiraſſe credimus.

HISTORIA XLIX.

Urina ex inguine profluens.

ALius Juvenis Gymnaſij Otthoniani alumnus olim ex columbario trium contignationum decidens, hypogaſtrium in lateres ſubjectos impegit. Quo caſu, ſive veſica ſive Ureteres fuerint læſi, poſt urinæ ſuppreſſionem, tandem ex inguinibus ſua ſponte apertis, urina ſpacio decem & quatuor dierum fluxit copioſiſſimè, donec interiori vulnere, quodcunque fuerit, naturæ providentiâ, ſolidato, urina conſuetam urethræ viam capeſſeret. Ab illo tempore benè valere hominem, amici ejus & commilites mihi affirmarunt.

HISTORIA L.

Os in corde Phtiſici diſſecti.

RUſticum valetudinarium & toto corpore emaciatum Hafniam ſuperioribus annis miſit Illuſtris Matrona, *Brigitta Tottia*, rarum ſexus illius

lius exemplum, ut quando naturæ morbidæ debitum persolvisset, aperto cadavere causa morbi innotesceret. Imaginatus enim sibi Rusticus fuerat, in pratis dormienti insectum aliquod per os intrasse, ex quo ventris Tormina sint subsequuta, & sinistra valetudo. Revera autem Phtisi laborabat. Postridie adventus, ante ullum medicamentorum usum, fatis concessit. In aperto cadavere hæc observata:

1. In epistrio aperto prope lineam albam, heterogenea inter peritonæum & musculos livescens excrescentia erumpebat; dissecto verò peritonæo fatis valido, mediocris seri copia, non graveolentis effundebatur.

2. Omentum usque adeò tenerum & contractum, destitutum propemodum omni pinguedine, nullis refertum glandulis, ut duriusculè tractatum, fatisceret illicò.

3. Hepar prægrande & florido nonnihil colore. Vesicula fellis distenta seroso magis quam bilioso ichore.

4. Lien pugni in modum contractus, prætumidus, fæculentissimo sanguine refertus, oppidò scirrhosus; Pari constitutione Pancreas, sed subalbicans adhuc.

5. Ventriculus valdè contractus, vix duarum librarum potulentæ materiæ capax, Intestina explorata, pellucida, nihil præter aquosa continebant.

E 2 6. Tho-

6. Thorace aperto, non minor ſeroſorum vis, imò major quam ex aqualiculo, ubertim ſcatu-riebat, ſed non ex utroque latere. Obſervabatur enim dextram thoracis partem, ſiniſtram abdominis pejus habere. Nam quamvis tam dextra quam ſiniſtra pulmonum pars hinc inde liveſcentibus maculis, variegata pictaque eſſet: Tamen ſiniſtra horum libera, libero motu moveri potuit, dextra verò penitus dextræ pleuræ annata firmiſſimè erat, ita ut vix digitorum manuumque opera à pleura divelli poſſet.

7. Spatium quod inter pulmones & diaphragma vacuum interjacet, in ſiniſtra quoque thoracis parte vacuum, ſed in dextra ſeroſis limpidis liquoribus ſcatebat.

8. Cor tam erat vaſtum, ut ſæpe in bobus non majus ſit aut ponderoſius, cujus dextra auricula pyris volemis longè major. Siniſter ventriculus nondum diſſectus inſolito durior ad tactum erat, hinc ſuſpicio nata iſtic loci cartilaginem deliteſcere, ſimilem iis quæ in cervorum cordibus reperiuntur: Nec ſpes fefellit, nam ad radicem aortæ cartilago triquetra & propemodum cordis picti figuram repræſentans, vel literæ Y, inventa fuit. Spongioſum verò nonnihil eſt os, & friabile calculis nonnullis per urinam excretis, haud abſimile.

9. Pericardium ne guttulam quidem ſeroſi humoris continebat.

Os

Os hoc cordis insolitum in Musæo servo, dono *Simonis Paulli*, meritissimi in Theatro Anatomico prædecessoris mei, qui rarissimæ dissectioni 5. Oct. 1642. Hafniæ præfuit.

HISTORIA LI.

Variæ in Juturis Capitis observationes.

PRæter ossa illa parva in sutura Lambdoidea, à me in Anatome Reformata, in æternam magni inventoris gloriam, Wormiana nuncupata, alia observavi in variis craniis, quæ in Musæo meo suspensa asservo, ubi variè quoque ludit Natura tam in numero suturarum, quam formâ.

In prima calvaria officulum conspicitur in confinio suturæ sagittalis & Lambdoideæ, quem locum triangulare sibi solet eligere. Est illud oblongum non triangulare, quinque circiter eminentiis donatum, quod undiquaque suturis circumvallatur.

In eodem cranio sagittalis sutura, aliàs sagittæ instar recta, obliqua visitur non solum prope Lambdoideam, sed & prope coronalem, ubi officulum singulare constituit.

In alio cranio furis à me dissecti, duplex est sutura Lambdoidea, & inter utramque Lambdoideam sita sunt ossa satis magna, quatuor conspectiora, ita tamen ut occipitis os præ reliquis pro-

mineat, magiſque protuberet quam ſincipitis oſſa. Non memini ſimile cranium aut vidiſſe, aut ab aliis accepiſſe. Sutura Coronalis in alio cranio utrinque verſus ôs temporum includit os orbiculare, quod inſulæ inſtar, ſuturis tanquam mari cingitur. Ubi notandum quoque inter hæc oſſicula & oſſa temporum non extendi ulterius coronalem ſolito more, ſed eſſe abruptam, quaſi munimenti inſtar aut Caſtelli oſſicula hæc ſuturæ apponantur. Tanta cum ſit ſuturarum diverſitas, oſſiumque inter ſuturas ſitorum, non miror à ſuturis deceptum *Hippocratem*, & ſubinde in vulneribus cranii infelices eſſe Chirurgos noſtros.

In ſutura ſpuria temporali viſitur quoque oſſiculum tale, ſimili ſutura ſpuria incluſum. Suturæ ipſæ veræ tam habent diverſos in ſingulis craniis ductus gyroſque, ut non facilè differentiam illarum deſcribere valeam. Quædam ſerras ſive dentes ſimplices æmulantur, eoſque vel breves vel oblongos, vel incurvos vel rectos, vel acutos vel obtuſos, vel latos. Quibuſdam dentes mirè inter ſe ſunt contexti, latèque invicem implexi. Nonnullæ infinita oſſicula rotunda, arenarum in modum, gyro involuto complectuntur. Sed hæc in diverſis craniis, quæ poſſideo, facilius intento digito monſtrare poſſem, quam lectorum oculis ſubjicere legenda.

Historia LII.

Vomitus miraculosus rerum Variarum.

Mirandum profectò casum referam cujusdam puellæ præstigiis, ut videtur, Dæmonis in Norwegia irretitæ.

Puella Anna Erici circa festum Martini 1649. domo hora septima vespertina egreditur cum conserva Birgitta Jacobi, negocia matrisfamilias expeditura. Vix pedem extulerat, quum in area visum illi fulgus oculos perstringere, cui, quamvis sereno cœlo & quieto, turbo sociabatur. Perterrita conservam acclamat, se ægram fatetur. Vix eloquuta in lipothymiam incidit, dumque humi sternitur magna ante os musca videbatur volitare, & per fauces urgere descensum. Infertur in ædes pro mortua, & Epilepticorum insultus imitatur. Morbi idea inprimis rara. Quandocunque passa est hoc symptoma, placidè inter domesticas operas in syncopen lapsa, continuis horis aliquot occluso ore recubuit quieta, oculisque clausis, & elevato thorace morientium suspiria videbatur trahere. Paucis hebdomadibus ante Paschatis festum, dolor acerbissimus dextrum manus pollicem invasit, qui deinde ad universum transiit brachium, donec foramine in dextra mamma aperto sedaretur.

XXVIII. Aprilis ſequentis Anni, Dominica Miſericord. poſt meridiem, magnam ſanguinis nigri copiam evomuit, mox acuti ligni fruſtulum, cærulei panni ſerici laciniam filo viridi conſutam, in qua tria plumbi fruſtula recondebantur; vitri fruſtula duo, tres amygdalæ, tria fiſtulæ Nicotianæ fragmenta, ſilices præterea albos. Oculati teſtes præſentes erant Janus Olai, Eraſmus Eggelbertus, & Brigitta Canuti.

XXIX. April. ſubitò rurſus veſpertinis horis, miris comprehenſa angoribus, alia præſentibus Paſtore loci, ejuſque conjuge, Guldbrando Annevoldi, Toſtelo Annevoldi, & Paulo Olai, eructavit, nempe ſpinam, marſupium lineum crinibus humanis conſtrictum, in quo fruſtulæ aliquot carnis crudæ recentiſque reperiebantur acutis lignis hinc inde inſperſis, duas deinde ſpinas acutas, mox atram glebam cum lapillo candido, & corrigiam ſemidigitum longam. Hinc ad quartam ſequentis diei horam ſine cibo requievit. Reverſa ad ſe, advocatoque Presbytero, rurſus evomuit ligulam lineam digiti longitudine tribus nodis, in quorum medio acicula hærebat intorta cum palea bifida, in altero quoque acicula incurva. Succeſſit poſtea alia palea luto illita, cui lamina ſtanni erat inducta.

II. Maij circa veſperam præſentibus Theodoro Bermandtz, famulo Locotenentis Bockor Kuhwurchels, Thuano Chriſtierni, Brigitta Canuti & Jo-

& Johanna Budeis, vomitu prodiit lapis pondere Drach. 3.

III. Maji in præsentia Pastoris ejusque uxoris exspuit peram coriaceam crinibus humanis circumductam, pulvere pyrio repletam. Omnes autem vomitus summi dolores comitabantur.

VI. Maji ad noctem usque 20. & 21. Junii mediocri usa valetudine, ad domesticos labores prompta rediit. Sed exinde rediere anxietudines, jactationes, & dolores, unde circa diluculum sinistra mamma exulcerata multum profudit cruoris.

Tertio post die sacra synaxi summâ devotione usa, querebatur ventum quendam vi pectus penetrare quoties spiritum duceret, unde spem concepit brevi se morituram. Requievit, & brevi finito somno adstantibus dixit, promissam sibi in somniis quietem ad crastinam diei horam septimam, & tandem sanitatem, nec se dubitare quin Christus filii Centurionis Archiater, eadem potentia morbum præsentem tollere & velit & possit. Ita in sequentem lucem somno reddita, sed cum stertore velut in agone constituta. Excitata mammam suam observavit à priori ulcere prorsus sanam, nec ullum cicatricis relictum signum, nisi leve vestigium cruciatim inductum ab aciculâ, hunc in modum ✝. Hinc lecto relicto promptè negociis domesticis se accinxit.

XIV. Junij ſana alioquin, lectum repetere fuit coacta circa crepuſculum. Mox duo ſiniſtræ mammæ foramina ſanguinem confertim effudere. Hinc in ſequentem diem ſummis doloribus affecta quievit. Interea promiſſa ipſi fuit ſomnianti ſanitas horâ ſextâ, ſenſitque in gena ſiniſtra & mamma impreſſum digiti cujuſdam veſtigium. Poſt ſextam horam reviſit illam Paſtor cũ uxore dormientem, qui mammam ſiniſtram ſanam animadvertunt, relictamque duorum quaſi digitorum impreſſionem, per quinque quoq; dies perſeverantem. Convaluit his viſis & res ſuas curavit.

XIX. Julij manè oppreſſo corde tentationes mali ſpiritus exaudire ſibi videbatur ad deſperationem incitantis, cui tamen maſculo reſponſo, plena fide & in Deum fiducia ivit obviam.

XXIII. Junii inſtantes prævidit tentationes, quas animoſè precibus cum Preſbytero fuſis ſuperavit. Poſtera die apud ſe deprehendit luctam boni malique ſpiritus, Satanamq; duorum dierum inducias adhuc expetere; ſed reſponſum à Deo fuiſſe, horam duodecimam migrationi eſſe deſtinatam. Hinc à malo anxiè vexata, hinc inde vermicelli inſtar jactata, victrix tamen in hæc prorupit verba: Neque vita, neque mors, Angeli aut Dominatus ſeparabunt me à dilectione quæ eſt in Chriſto Jeſu Servatore meo. Poſtea quieti traditam inviſit paſtor, viditque in ſiniſtra gena expreſſam hanc crucis figuram:

Ejuſ-



Ejusdemque aliam in mamma. Ipsa quoq; excitata audivisse se referebat ex ore cujusdam: Ego sum verus Israëlis Medicus. Post horam rursus benè valuit.

XIII. Augusti in culina vespertino tempore in caput illius frustulum terrę decidit, in qua planta virens quinque foliis semidigitum alta, cum geranii specie, quam Storckeneb vocant, & alia floribus violaceis.

XV. Augusti circa diluculum insolitam sensit virium debilitatem, unde timoris plena Presbytero advocato fusis lacrymis referebat sibi in somnio significatum esse, siquidem dura mortalium sint ad mandatum Dei, Euangelii, ministrorum Divinorum obsequia, in se singulare exemplum hodie esse statuendum, lacrymas quippe suas in cruorem esse mutandas. Dum igitur in spectaculi fidem advocantur vicini, antecedente ingenti anxietate, lacrymæ ipsi confertim erumpunt horæ quadrantis medię spacio, moxq; ex oculis sanguis exsilit, qui abstersus sępius, statim fluxum repetiit. Deinde ex radicibus unguium sanguis erupit maximo dolore, deniq; ex apertis mammis cruor sat copiosus emanavit. Horę spacio hæc terminabantur præsentibus viginti testibus, qui actum cum illa jam certò credebant. Sed sedatis nonnihil symptomatis præsentes ita affatur: Mortalibus auctor sum, ut me sibi proponant exemplum, & pœni-

pœnitentia delictorum, dum licet, ducantur seriâ, ne similia his aut majora, vindictamque Dei experiantur. Quod si v: abjurato Diabolo vitæque impiæ nuncium remiserint, & Deo piè vixerint, germinabunt flores foliaque illorum in æternum.

His ita actis somno & quieti redditæ mamma penitus persanata, aliquot tamen diebus dolore in mamma oculisque perseverante.

De horum fide testatur propria manu Dn. *Paulus Nicolai Friis*, loci Pastor 17. Aug. 1650. ex ædibus Pastoralibus Lumbs in Guldbrandsdalen, & rei actę historiam ad Superintendentem Christianensem, *M. Henningum Stockfleth* perscripsit, qui, ut ad plures fama perveniret, eandem summo Viro D. D. *Olao VVormio* Hafniam transmisit. Cui volupe, similia admiranda apud *Benivenium* Obs. Med. c. 8. & *Henricum ab Heer* Obs. Spad. c. 8. 13. &c. aliosque repetat.

HISTORIA LIII.

Lacteæ Thoracicæ in Anatome Virili 1652. *primum quæsitæ & inventæ.*

IN Theatrum nostrum Anatomicum XIX. Februarii illatum est cadaver Infanticidæ, ad rotas alioqui condemnatum, sed clementi indultu Sacræ Regiæ Majestatis DN. FRIDERICI III. Domini nostri Clementissimi, furcæ permissum, ut

ut lacteos ductos novos commodius obſervaremus. Quod ut aſſequeremur, quarta ante ſtrangulationem hora cibus datus potuſque. Cadaver ſcorbuticum videbatur, melancholicum, & atrophiæ proximum. In carcere quoque malè tractatum. Pedum enim digiti Pernionibus pleni, & pollex ſiniſtri pedis gangræna affectus, quam ſuæ ſpontis Natura à ſana parte cœpit ſeparare. Glandulæ in inguinibus duræ tumebant, bubonum inſtar. Et in diſſectorum thoracis muſculorum ſpaciis ſerum fluebat copioſum. Crura maculis liveſcentibus ſcorbuticis ſcatebant, quales in pulmonibus quoque nobis apparebant. Alioquin Pulmones ſpongioſi & flaccidi, marmoriſque in morem variegati.

Pinguedo aut parca aut nulla in thorace & abdomine. Omentum putridum.

In meſenterio magnus Lactearum venarum numerus per omnia inteſtina, etiam cœcum ſparſus. Glandulę lacteæ innumeræ per totum meſenterium diffuſæ. Prope hepar fibrillæ ſplendentes multæ portam comitabantur, quas tum lacteas credidi, jam lymphaticas.

Reclinatis ad latus inteſtinis, vidi Novum Receptaculum Lacteum in ſuo ſitu ipſis vertebris lumbaribns inſtratum inter cavam deſcendentem & aortam in angulo fere, quem Emulgens dexter cum cava efformat. Candidum illud, exque eo rami lactei ad meſenterium & pancreas ejus derivati.

vati. Ablatis prorſus inteſtinis & cavâ ad ſuperiora reclinatâ, & aortâ quoque ad latus nonnihil diductâ, apparuit Receptaculum non unum, nec una cavitate præditum, ſicut in brutis, ſed ex glandulis duabus longioribus, invicem ſuperpoſitis, variiſque lacteis ſurculis commeantibus ultro citroque. Fibrillis aortæ adhærent, à qua tamen poſſunt ſeparari. Inferior candida, ſine cavitate manifeſta, ſubſtantia glandulosa, ſuperior altera rubicundior, ſine dubio morbi vitio corporiſque cacochymici, quales rubræ glandulę plures ſub iliaca arteria infra conſpiciebantur. Ex utraque diffundebantur rami lactei ad arteriam Emulgentem. Loco elatiori ſupra vertebram lumbarem primam alia glandula erat globoſa & candida; ex qua ad priores ramuli quoque diſtribuuntur.

Ex tribus hiſce glandulis lacteis rami majores emergunt ſurſum per diaphragmatis regionem circa ſpinam adſcendentes, aortamq; arcto nexu comitantes. Subinde uniuntur in itinere, præſertim circa vertebram primam lumborum, duodecimam dorſi, & undecimam, ubi ſolo ramo contentus lacteus ductus inter aortam nominatam & intercoſtales ramos venæ ἄζυγος, adſcendit. Denique circa axillarem venam inſertionem obſervavimus triplicē in ſiniſtro latere, in dexto nullam, quia ibi longior à corde venę eſt diſtantia, hic non item. Inſertio hæc candicantibus venis ſub coſta prima remotâ claviculâ conſpicua erat manifeſtiſſimè.

Atra-

Atrabilaria Capſula ſiniſtra digiti longitudine, cavitatem habuit, quæ vel XII. piſa caperet, nigro ſanguine plenam.

In corde arteriæ venoſæ tricuſpidibus valvulis ad ſingulas fibras cartilaginoſæ portiones ad robur apponebantur.

In aperto cranio ſupra duram Matrem prope falcem adnata erat excreſcentia piſo major cartilaginea, quæ in cranio veſtigium ſui impreſſerat.

Inter duram Matrem & piam in vertice lacuna viſebatur rotunda digiti capacitate, ſero plena.

Ventriculi cerebri ſani quidem, ſed ſero ſcatentes.

Ut ad oculum ſingula pateant ſubjungimus Figuras.

Figurarum Explicatio.

Fig. I. *Receptaculum ſeu compages novarum glandularum in ſuo ſitu exhibetur, eique annexa.*

a Hepar.
b Ventriculus reclinatus.
c Veſicula fellis.
d Inteſtinum duodenum.
e Pancreatis pars ſub duodeno, ad quam ſparguntur rami lactei ex glandulis Receptaculi.

f Glan-

f Glandulæ lumbares Receptaculi in ſuo ſitu junctæ.
g Inteſtina ad ſiniſtram revoluta.
h Ren dexter.
i Ramuli lactei ex glandulis in Pancreatis ſuperficie ſparſi.
k Coſtæ aliquot prominentes.
l Venæ cavæ deſcendentis truncus.
m Emulgentes venæ.

FIG. II. *Externa in alio capite humano lactearum inſertio viſitur.*

a Tripartita lactearum thoracicarum in axillarem ſiniſtram inſertio.
b Axillaris vena integra.
c Vena Jugularis externa.
d Clavicula ſiniſtra.

FIG. III. *Glandulæ novæ lumbares ſeparatæ, earumque rami lactei ad axillarem, exemptis viſceribus, monſtrantur.*

a Glandula ſuperior lactea nova.
bb Glandulæ duæ inferiores ſeparatæ, ramiſque lacteis invicem conjunctæ.
ccc Rami lactei ex glandulis adſcendentes.
d Solitarius ramus thoracicus.
e Emulgens arteria dextra ad ſiniſtrum reflexa, ad quam rami lactei ex glandulis progrediuntur.

ff Re-

ff Renes.

gg Arteriæ truncus descendens infra cor abscis-
sus.

h Spina dorsi.

i Lactea thoracica ad sinistram subclaviam sub arteria subclavia repens.

k Oesophagus dextram versus nonnihil reflexus.

l Glandulæ Thymi, quæ thoracicam lacteam abscondunt teguntque.

m Arteria subclavia abscissa.

n Valvula lacteæ thoracicæ, & interna lacteæ insertio.

o Valvula jugularis internæ.

p Axillaris venæ expansæ & per longum discissæ interior facies.

q Jugularis vena interna.

r Jugularis vena externa.

ſ Axillaris venæ ad brachium progressius.

t Costæ utriusque lateris.

u Vesica in suo alveo.

x Diaphragma utrinque resectum.

HISTORIA LIV.

Lactearum Thoracicarum in alia Anatome Furis 1652. ulterius demonstratio.

FUr Juvenis, boni habitus, ante fatalem chordam meo monitu, cibo vinoque fuit ad satieta-

tem paſtus. A meridie ejuſdem diei XXIV. Martii, in Theatrum Anatomicum importatus cultri noſtri aciem experiebatur.

1. Ad inquirendos canales lacteos digreſſus, ſeparatis viſceribus infimi ventris, reclinatoque dextro rene, inveni ſicut in priore, glandulas ſub appendice diaphragmatis pinguedini immerſas. A ſuperiori ramus protendebatur craſſiuſculus ad ſuperiora, cui ſe adjungebat alter ab inferioribus prodiens, ſicque junctim inter aortam & venam ἄζυγος gradiebatur ſolitarius, donec ad ſiniſtram declinaret claviculam, ubi ſub arteria ſubclavia & thymi glandulis ſe abſcondebat. Inflatus verò folle, apparebat manifeſtior, flatumque in axillarem venam ſiniſtram expulit. Apertâ igitur axillari, vidimus oſculum ejus unicum ſub internæ jugularis ingreſſum, & valvulam circularem tenerrimam oſculo præfixam, quæ pro vario flatus impulſu modò elevabatur modò concidebat. Reliqua quę de Lacteis Thoracis primi in homine obſervavimus, operoſius in Hiſtoria noſtra Anatomica de *Lacteis Thoracicis* publicè diducta Lector curioſus inveniet.

Præter hæc alia in ſubjecto ſano notabamus.

2. Hepar maximum arctiſſimè reni dextro ejuſque capſulæ adhærebat, nec non diaphragmati, & coſtis.

3. Veſicula fellis vacua, colore tamen ſuo flavo infecerat vicina inteſtina.

4. Ex-

4. Externos thoracis musculos separantes, vidimus ex mammariis effluere biliosum serum cum sanguine, sed ab hoc separatum.

5. In Thymi carnosioris dissecati medio cavitas insulpta satis conspicua & capax.

6. Cor maximum, bovino nulla parte cedens. Pulmones sani & cætera viscera, Renes insolitæ magnitudinis, & omnia ferè conspectiora.

7. In cerebro sinus tam ampli, inprimis superior falcis, ut vel digitum admiserint.

8. Musculus Psoas minor comparuit majori instratus, cujus principium carnosum sed angustum, finis in longum tendinem desinens.

HISTORIA LV.

Monstrum humanum Prestense.

IN civitate Præstôe Provinciæ Selandiæ natum est 1646. 19 Junii monstrum ex femina paupercula & honesta, quæ per plures annos cum marito piè vixerat, multosque liberos sanos adhuc superstites genuerat, postridie post sacrum lavacrum denatum. Ex ore amplo duæ prominentiæ sursum deorsumq; protendebantur sibi utrinq; occursantes, quibus omnis ex uberibus nutricis matrisve suctio impediebatur. Compressus nasus, frons lata, clausi oculi. Crines in capite intorti. In occipite rotundus orbis exstabat, medio puncto cœ-

ruleo, instar operculi figulini & colorati. Quotiens respirabat, intus forisque movebatur orbis, sine dubio propter copiam arteriarum hiante cranio in massa hac carnea dispersarum. Variis coloribus circulus iste distinguebatur, flavo, viridi, cœruleo, candido, & rubro, qui omnes in defuncto nigricabant. Colores ambiebant thori seu eminentiæ acutæ candidis punctis inspersis.

HISTORIA LVI.

Aliud Monstrum Velingense.

ALius prioribus annis Vælingæ oppido Scaniç nostræ puer vitam iniit in ædibus vicinis Pastoris Dn. Stephani Olai, parentibus tenuioris quidem sortis, sed honestis piisque, Patre Jano Benedicti, Matre Bodilda Jani, cui universum occiput cruentum, oculi bovinis majores, in medio frontis siti, aures Asininis similes, fune circa collum inflexo. Reliquæ corporis partes nihil monstrosi alebant, quemadmodum publicè testati sunt *M. Iohannes Arnoldi* de Fine Præpositus & Pastor Helsingburgensis & Dominus *Stephanus Olai* Pastor Vellingensis.

HI-

HISTORIA LVII.

De Fungis Cerebri.

FRacto vel contuso cranio fungi nonnunquam seu tumores laxi, mollesque adnascuntur. *Ingrassias* de Tum. p. n. tr. 1. c. 1. fieri scribit non secus ac fungus in lucernis hyemali tempore in elychnii vertice: Discooperta enim revelataq; cerebri membrana, quædam prius substantia gossipinæ lanuginis imaginem repræsentat. Deinde verò per halitum discussi vapores, fumiq; ob aëris frigiditatem in ea substantia conglobati paulatim ab interiori calore deuruntur, siccanturque donec fungo quoq; similis substantia appareat, alteratam esse ab aëre membranam significans. Alia similitudine generationem fungorum illustrat *Iohannes Langius* lib. Epist. Med. 6. quemadmodum in stipitibus arborum humores semiputridi per corticem extuberantes, in fungos coalescunt: Sic vulnerato cranio, humores cerebri affluere, (qui teste *Alexandro Aphrodisæo*) ossis frigore condensati in speciem fungi concrescunt. Sunt fungi qui sine noxa vitæ & emergunt, & decurtantur. *Cornarius* ad l. 1. Diosc. civis cujusdam meminit, cui ex fissa calvaria sex fungi in capite nucum regiarnm magnitudine enati, gestatique per annos 40. è quibus demum tres sua sponte deciderunt. *Schenckius*

kius quoque l. 1. Obſ. 45. refert ſe fungum mediocris caſtaneæ magnitudine ex capitis contuſione ad pubertatem uſque circumtuliſſe, qui deinde facilè ſcalpendo avulſus cute capitis poſt febrem ſua ſponte diſruptâ. Vincturæ preſſum tabeſcere monet *Paræus* l. 9. Oper. Chir. c. 19. Quomodo verò fungus rectè ſit tractandus, docet *Hildanus* Centur. 1. Obſ. 15. Sed curationem reddunt difficilem, ſi inſigni cranii vulnere læſa ſit membrana cerebri, vel ipſum cerebrum.

Extra portam Orientalem Hafniæ cum aliis ejuſdem familiæ à nefario ſicario vulnerata 1649. puella 4. annorum ingenti in capite vulnere proſtrata, cum inſigni cranii contuſione & fractura, patente cerebro, curatur à Chirurgo Urbis *VVilhelmo*, artis ſuæ haud imperito. Exactis ſex hebdomadis, me præſente, labia vulneris livida apparuerunt, fungique duo protuberabant nigricantes, cerebri in formam, anfractuoſi. Periculum abeſſe Chirurgus opinabatur. Ego vero ſphacelatam partem videns, malè ominabar. Fungorum fruſtula ſine dolore reſciſa. Sed paucis interjectis diebus, vulnerata obiit.

HISTORIA LVIII.

Fungus Cancroſæ Mammæ.

NUnquam ſatis demirari poſſum miſerandum cancrum, mammam ſiniſtram Marronę optimæ

mæ Hafnienſis, multis nominibus mihi quondam amiciſſimæ, occupantem. Enimverò poſtquam ex occulto tumore aucta indies magnitudine, exulceratus erat cancer, omnia auxiliorum ſprevit genera, quæ partim ex Methodo, partim Empiricorum ſuaſu fuerunt adhibita, unde brevi in tantum excrevit, ut ſummò perpetuoque ægræ dolore, univerſam ferè mammam ſiniſtram infecerit, largiſſimo ſubinde ſanguinis ſeroſi & melancholici, quo abundabat, fluxu interveniente. Labra ulceris inverſa & tumida fungi inſtar creſcebant, hianſq; ulceris orificium claudebant. Omni conatu fungo removendo intenti neque internis quidquam, neque externis promovebant. Cauſticis tandem indolentibus fungoſam carnem imminuerunt. Sed citius ferè renata, quam ablata, ſemperque recens ebulliens priorem mole ſuperavit; donec capitis mediocris magnitudinem aſſequeretur. Superat admirationem, quod fungus cancroſus in tantam molem unius diei ſpacio potuerit creſcere priori per cauſtica nuper exſtirpato. Variâ erat & indecenti formâ, valdeque inæquali ſuperficie, pro inordinata humoris atribilarii ebullitione, quæ quaſdam tuberis partes altius elevabat, quaſdam humilius, ut verè hydræ capiti aſſimilari poſſit, in unius enim particulæ abraſæ locum, plures fungi ſuccedebant, quibus hinc inde conjunctis informe cancroſi fungi genus mammam deformabat. Superveniente denique hæmorrhagia

ex ulcere profundo, ad ſternum penetrante, fractiſque duorum ferè annorumdolore viribus, placidè, multum à nobis deſiderata Matrona, exſpiravit.

HISTORIA LIX.

Fiſtula deglutita tertio die per alvum excreta.

MUſicæ peritus Scholaris quidam Coagianus, Nicolaus Eraſmius, animi recreandi gratia, ante oſtium hoſpitii ſui 1646. tibiam inflat ſeu buxum, ſeptem octove digitos transverſos longum. Accedens commilito, tibiæ poſſeſſor, inſtrumentum repetit. Ille verò non commotus monitis,in incepto perſiſtit. Hinc commilito aſtu fiſtulam apprehenſurus, fortè manu vehementius adacta in gulam per fauces tibiam intruſit, ut extrahenti digito amplius apprehendi non poſſet. Sanguinis ex faucibus ſtillicidium ſequutum. Poſtea quum vario conatu nec extrahi poſſet, nec deglutiri, tandem tamen in ventriculum delapſa, dextrum latus videbatur obſediſſe. Unde doloribus feſſus lectum petiit, & ſine alimentis tres dies noctesſque inſomnes tranſegit, latere dextro dolente, cui tibia inhærebat. Tertio die circa quartam horam pomeridianam ſine medicamentorum ſtimulo, per inferius guttur ſeu alvum ſua

ſponte

ſponte prodiit. Sedati ſubitò dolores, ut noctem ſequentem quanquam jejunus, pauco ſomno interpunxerit. Poſtridie ſanus ludum repetiit literarium, indeque octava hora redux potiunculam panis & cereviſiæ ægrè deglutiit propter fauces, quas tibia tranſierat, excoriatas. Poſtea planè convaluit, nullo in ventriculo aut faucibus nocumento, propria hæc confeſſione & firmavit & manu ſubſignavit. Tibia nihil damni in corpore paſſa, ad D. *VVormium* Venerandum Senem, tranſmiſſa, quam mihi aliiſque luſtrandam tractandamque non ſemel in Muſæo conceſſit Vir omni elogio major. Inteſtinorum gyros & anfractus ſinuoſos, octo digitorum tranſverſorum fiſtulam ſine offenſa pertranſiiſſe, profectò miror. Quanquam autem involuta ſint inteſtina, diſtendi tamen poſſunt & tranſeuntium commoditati variis formis inſerviunt. Nec à fiſtulæ glabræ lævitate ullum tunicis interioribus in robuſto juvene periculum.



HISTORIA LX.

Empyema in thorace puellæ.

POst catharrum diuturnum thoracis ſiniſtra pars in puella ſexenni Margaretha Munckia adeò intumuit, ut anterius & poſterius æquali tumore emineret, cum doloribus ingentibus & inquietudine. Utroque loco & antico & poſtico Apoſtema minabatur. Hinc conſilio communi D. *VVormi*, D. *Mothi* & meo, à Chirurgo *Martino Sixio* Emplaſtrum maturans illi in pectore parti applicatum fuit, qua maximè mollior protuberat. Maturo tumore pectus ſcalpello apertum mox infra papillam ſiniſtram, unde puris viridis fœtidique tanta effluxit copia, quæ librarum duas menſuras impleret. Tumor pectoris illicò remiſit, ſomnuſque nocte ſequenti quietior, & decubitus facilis in oppoſito latere antea denegatus. Hæc copia, hocque colore pus fœtidum bis in die ſpacio XIV. dierum evacuabatur. Segnius fluens promovebatur excitata tuſſi, & prono corpore. Interea per ſyringam cum melle roſato hordei decoctum injiciebatur ad thoracem mundificandum, & potio vulneraria cum pulmonicis præſcripta, quod ſiniſtrum pulmonem longo defluxu apoſtemate occupatum magna eſſet ſuſpicio. Tandem ternis menſibus ea curâ continuatâ, quan-

quam

quam levata doloribus videretur, ciborumque rediisset appetitus, recurrente tamen semper tussicula sicca, quam liquidi potus cujuscunq; guttulâ statim sedebat, in diarrhæam tandem octo dierum soluta est alvus purulentam & cruentam, admixtis subinde grumis parenchymate pulmonis similibus. Pectus hac via per materiæ evacuationem naturalem expurgatum credebatur, curatumque Empyema. Sed spe frustrati sunt Parentes, & puella sanitate. Tanta quippe evacuatione prostratis viribus, accedente pedum & faciei inflatione, sensim contabuit.

Historia LXI.

Secundinarum Puerperæ Anatome.

PLacentam uterinam seu Uterinum Epar diligenter in puerpera 1650. cum Umbilicalibus Vasis examinavi. Breviter hic signabo quæ mihi observata memini.

Placenta ipsa uterina ex fibrillis infinitis vasorum erat contexta, quibus sanguis instar parechymatis concreverat, qui facilè ut in aliis, poterat fricando separari. Inæqualis diversæque hinc inde consistentiæ. Glandulosa erat in tumulorum summitate, circa extrema ora attenuabatur, crassior in colliculorum medio. Nam figura ipsa quidem circularis sed inæquali circumferentia, in qua quinq; ferè observabantur prominentię justa serie

à se-

à se distantes, in quarum medio spacio chorion membrana crassior visebatur. Qua uterum spectabat aspera erat & rimarum plena, eoque locó incisa, fibras infinitas ostendebat ad venarum truncos tendentes. Longitudinem pes unus in diametro metiebatur. Altera pars secundinarum Membranæ sunt fœtum involventes. *Amnios* tenuis immediatè fœtum cingens, alba erat, mollis & translucens, paucis arteriolis & venulis donata inter duplicaturam ejus dispersis. Cohærebat Chorio ferè ubique, ptæsertim in extremitatibus, circa placentam & in placentæ medio, ubi vasa umbilicalia prodibant. Adhibita tamen diligentia à Chorio facilè separavi, & exsiccavi. *Chorion* amnio subjiciebatur orbiculari forma, ad modum placentæ. Epatis uterini cavam inferioremve partem obvolvebat, se ad illius capacitatem extendens, cui etiam vasa uterina firmiter connectebat. Interior facies glabra, sed asperior qua placentæ agglutinabatur.

Vasa Umbilicalia, arteriæ nempe & venæ, in placenta variis ramulis dispergebantur, interque se copulabantur per anastomoses, quas hic diversas observavi. Modò enim ramuli venarum & arteriarum se transcendebant crucis in modum tam interni quam externi: modò per insertionem jungebantur; modò ad latera congrediebantur; modò cochleari figura intorquebantur. Minimi vasorum ramuli in majores compingebantur, eo-

dem

dem modo uniti, sed obtusioribus anastomosibus, donec arteriæ ad quatuor ramos redigerentur; vena autem ad duos, qui in truncos sui generis è placenta emergentes, coalescebant.

Ita quidem in corpore placentæ vasa se habebant. Extra placentam verò omnia conjuncta in funiculo contorquebantur, ordinata circum volutione, quemadmodum strias in cornu Monocerotis videmus produci, quod opposita candela vel diei limine manifestius apparebat. Transparebant in hac convolutione hinc inde noduli & maculæ sanguineæ, in venis præsertim. Ad hæc spithamæ intervallo, mirabilis aderat textura, quasi confusi essent gyri. Præterea in exteriori tunica funiculi infinitæ secundum longitudinem incisuræ conspiciebantur, sanguine tinctæ. Funiculus in universum tres spithamas æquabat, crassitie digitum. Reliqua non addo, quæ communi Anatomicorum ore sunt decantata, & in Anatomiis extant.

HISTORIA LXII.

Mumia Danica.

Bitumine, Aloë, Myrrha, Croco, Cinamomo aliisque cadavera humana olim condita, & à putredine conservata, præsertim apud Ægyptios veterum plurimi tradiderunt, & recentiorum. Testantur

ſtantur Mumiæ ex Ægypto hodie allatæ, quæ ſeculis plurimis incorruptæ perſtiterunt. Vidi Patavii ſplendidam hujus generis Mumiam, unguibus auratis, & paſſim proſtant. At ſine conditura conſervari cadavera, non ita obvium quotidie. Feriis canicularibus 1649. cum amicis ex urbe noſtra profectus, in itineris tractu, ſepulchrum inviſi *Ioannis VVenſtermanni*, Viri quondam Strenui & Generoſi, 50. abhinc annis & amplius ſepulti, multorum diverſis narrationibus celebratum. Buſtum illius in ſubterranea templi cella ſub altare exſtructum. Templum vicinum eſt Nobili ejus prædio Oelſtrup, cujus fundi jam Dominus eſt Nobiliſſimus Vir *Lago Bilde*. Apertum monumentum ingreſſi, invenimus cadaver, tot annis ibi ſepultum, integrum, & Mumiæ inſtar induratum, pernę fumo induratę ſimile, carne cum cute exſiccâ firmiſſimè ſalvis oſſibus adhærente. Color mumiæ hujus obſcurior, odor rancidus, pondus exile, ut ab anicula decrepita portari, & manibus ſpectantium attolli poſſit facillimè. Barba rufa, crineſque decurtati. Aures integræ, ſed torridæ, lingua ſicca inter dentes ex ore prominens. Quia obœſo fuerat corpore, cutis hinc inde corrugata cernebatur, ſicca ubique, niſi in dextro humero, ubi oleaginoſus humor lardo æmulus exprimi potuit, quem ſequentibus tamen annis exſiccatum alii narrarunt. Quanquam pedibus extremis corpus truncatum ſit, juſtæ tamen eſt ſtaturæ. In eadem

dem crypta requiescit conjunx ejus Chtistina Beck, denatą demum anno 1630. An hæc incorrupta quoque adhuc supersit, incertum, quia arca feralis corio tecta integra visitur, quum duæ marito computruerint cum vestibus sepulchralibus. Quid putredinem ab hoc cadavere inhibuerit, ignorare cogor. Vulgus istius loci vel à Rege occisum, vel cum uxore discordem vixisse fabulatur. Sed passim apud nos hujusmodi Mumias terra condit, vi morbi defunctas. *Platerus* in Quæst. Physiol. nulla corpora in terris putrescere, sed potius in sicco elemento conservari existimat. Ratio hic diversa, quippe in crypta subterranea, non terram cadaver tangit, sed capulo includitur, ubi à calore putredinali facilè dissolveretur. *Io. Sperlingius* in Anthropol. Physica, violenta tantum morte extinctos putredine vitiari credit. Cœterum cur externæ causæ magis accelerent putredinem, quam lenti morbi & putridi, causam nullam video. Certę suspensi fures in patibulis rarò putrescunt, potius ita exsiccantur ab externo aëre & sole, ut Mumias referant. Quidquid sit, Mumia nostra tot annis salva mansit, sive loci siccioris beneficio, sive insita naturæ benignitate. Locum conferre ad citam tardamve corruptionem, non est dubitandum. Ita in Cœmiterio S. Innocentii Parisiis humata corpora 24. horarum spatio absumuntur, ossibus solis relictis. Tolosæ contra in fano quodam crypta est, in qua humati per 600.

amplius

amplius annos illæsi supersunt, cum pilis & cute candida, ut Nepotes avos suos longa serie dinoscere possint. Insito quoque corporibus balsamo plurimum deberi, perpetuæ lucernæ fidem faciunt. Et optima succulentaq; constitutione Venstermannus præditus fuisse videtur. Denique certa nonnullorum vespillonum observatione accepi, cadavera æstivis calidisque mensibus defuncta, citissimè putrescere, contra illa quæ hyeme terræ mandantur. Quam differentiam ex morbis quoque seu acutis seu chronicis pollinctores observant, à ratione haud alienam.

HISTORIA LXIII.

Anatomes Publicæ 1652. Observationes.

FAvente aëris frigore, strangulatum cadaver virile Mense Decembri publicis dissectionibus destinatum aperui, spectatoribusque innumeris præter consueta naturæ ostenta, hæc demonstravi inter secandum obvia:

1. Recti musculi abdominis binas tantum intersectiones habuere supra umbilicum terminatas. Circa ensiformem cartilaginem tertia media inceperat, mutila adhuc & in medio musculi desinens.

2. Pyramidales exiles carnei toti, sine funiculo ad umbilicum protenso.

3. Omen-

3. Omentum ſubtile & curtum pauca pinguedine obſitum.

4. Cœcum inteſtinum nuſquam comparebat. In Volvulo retrahi in Ileum vidit *Hildanus*, hic nullum illius veſtigium quocunq; oculos cultrumq; verteres. Quia uſus exiguus, illo commodè carere poſſumus.

5. In Angulo medio à cava & Emulgente ſiniſtro efformato aderant tres glandulæ Lactiferæ olim nobis obſervatæ, nullo ſucco plenæ, quia ante ſupplicium non fuerat cibatus. Hinc ventriculus plenè vacuus.

6. In hepate dextrum latus coſtis adnatum erat, & tunica eo loco ſine parenchymate, venis tamen transparentibus.

7. In liene parenchymate ſuo ſeparato, poſt *Highmorum* diligentiſſimum Anatomicum, vidimus, præter arterias, fibrillas infinitas, quas non potuimus ad arterias aut venas referre.

8. In vacuo ventriculo ſerum ſanguineum natabat. Latus rubicundum, qua vas breve inſerebatur. Vas ipſum breve ſimplex in liene terminatum.

9. In thorace dexter pulmo arctiſſimè coſtis odnatus erat totus, uti & mediaſtino, & diaphragmati. Diaphragma quoq; dextro latere coſtis largius accreverat, quam in oppoſito.

10. Mediaſtinum & Pericardium una erat membrana, nullamque inter illa diſtinctionem

deprehendimus. Videtur simile quid vidisse *Columbus* l. 15. de Rar. in Anat. in pericardij defectu. Vidi & ego aliàs in agnello pericardium sinistro cordis lateri adhærens, & utramq; membranam sinistro pleuræ lateri adnatam, deorsum protruso pulmone & diaphragmati incumbente.

11. In thorace Lacteus Thoraricus ductus circa ingressum in axillarem multiplex conspiciebatur.

12. Glandulis sub lingua inter membranas immixtum erat ossiculum exiguum, ab omni parte liberum.

13. Processus Vermiformis in cerebello nullus, ponsq; Varolij obtusioribus eminentiis duabus conspicuus.

14. Minor Psoas majori incumbebat, ut supra quoque visum.

15. Serratus musculus anticus major longius protensus ad costam primam, ut novum musculum Rhomboidem mentiretur.

16. In dextri brachij carpo decem ossa, in altero tantum octo.

HISTORIA LXIV.

Vermiculi in cerebro.

VErmes quacunq; corporis parte enasci satis notum. Ex naribus emungi exemplo probabi-

babimus. Catarrho molesto post febriculam vexatus Vir Magnus O. W. patriæ orbisque ornamentum, cum frequenti dolore capitis post cibum sumptum ingravescente, ex naribus emunxit vermiculum. In cerebro ab humorum putredine generatum extra omnem dubitationis est aleam. Pilulis Cephalicis levamentum sensit, & parco fumi tabaci usu. De se idem narrat *Smetius*. l. 10. Misc. p. 582. *Tulpius* de verme digiti longitudine l. 4. Obs. c. 11. In Ozæna in aliis quoque vidi. *Benivenius* Exempl. Med. c. 100. in Cephalalgia acuta palmo longiorem observavit, & *Zacutus* l. 1. Adm. Prax. Obs. 6. Siquidem autem ex naribus cum muco emunguntur, in cerebro generatos suspicamur. Ne gratis id dicamus, vermes in cerebro natos magnorum testimonio producemus.

Lutetianæ puellæ, in vico Delphino, annorum 12. curatis variolis, tantus capitis dolor supervenit, ut trium mensium curriculo nec dormire quiverit, nec requiescere, nullas dolore inducias concedente. Tandem cum rabida obiisset, statim aperto cranio deprehensa fuit universa cerebelli substantia in dextro, à reliquo corpore sejuncta, nigrâque tunicâ involuta. Rupta tunica nigra vermem vivum pilosum, duobus punctis splendidis loco oculorum, prodidit latentem, ejusdem ferè molis, qua reliqua cerebelli portio, qui duarum horarum spacio supervixit. Ano-

mali hujus abſceſſus oculatum teſtem laudo *Guidonem Patinum* Medicum Pariſienſem Eruditiſſimum, Amicum veteri candore & conſtantia honorandum,quod ipſum in Exercitationibus meis de *Angina Puerorum* olim profeſſus ſum. Pulchrè has obſervationes confirmat *Hollerius* l. 1. de Morb. Int.c. 1. qui audiri meretur: Quibuſdam, inquit, vermes generantur in cerebro. Id rarum eſſe ſcripſit Avicenna, quod tamen memoria noſtra viſum. Et cuidam Italo ex frequenti odoratu baſilicæ herbæ natus ſcorpio in cerebro, vehementes dolores longos, ac mortem deniq; attu-



HISTORIA LXV.

Vir ſine pene & podice.

MUlti in ipſa nativitate ſexum dubiis genitalibus tegunt, & obſtetricibus imponunt, maresq; cum ſint feminas ſe ſimulant, vel verſa vice. Utriuſq; caſus exemplum ad manus eſt.

Nata non ita pridem in Fioniâ noſtrâ puella præ ſe pueri ferebat ſpeciem, quia propendens clitoris membri virilis ſimilitudinem monſtrabat. Hinc maſculum Eraſmi nomen infanti inditum. Cum ætate verò exſiccatâ prominentiâ & contractâ, apertius ſexum profeſſa Annæ nomen priori adjunxit, vocataq; fuit Anna Eraſmia, mater

ter demum liberorum. Non absimile vidit *Platerus* lib. 2 Obs.

In Latio me præsente vagabatur Vir quidam annorum tum 40. robusto corpore & sic satis sano, qui ab ineunte ætate sine podicis penisq; nota vixerat. Quum nec pro mare nec femina à parentibus haberetur, huic tamen vicinior videretur ob virilis membri defectum, pro femina sacro baptismatis lavacro immersus Annæ nomen obtinuit, retinuitq; per reliquæ vitæ decursum. Vigesimo quarto demum ætatis anno largior barba genas investiens inter viros asseruit. Notanda in hoc prudentis Naturæ providentia, quæ, certis quanquam obstaculis impedita & anum pervium negaverat, & ductum urinarium, alio tamen medio Viri necessitatibus consuluit. Nempe duriores alvi fæces certis periodis finitaque ventriculi concoctione, per cornu ori imposito evomuit, quarum fœditatem saporisque molestiam grato potu aquave diluit, quam in hunc usum perpetuò secum circumferebat. Lotium ex pila quadam fungosa circa locum umbilici absentis enata, velut per spongiam stillando reddidit, & pro lubitu, velut lac ex papillis, expressit. Cætera sanus, nec feminas aversatus.

Frequens alioquin fæcum per os est excretio in Ileo, seu miserere mei, impedito nempe per intestina transitu. *Hildanus* in Obs. Chir. & *Salmuth* Cent 1. Obs. 88. fæces alvi per umbilicum

videre excretas *Horstius* Pater in Epist. Med. f. 19. feminam narrat, quæ ex vulnere pudendi clausas illas partes habebat, per triennium materiam aqueam singulis diebus per vomitum eructasse. *Rufus Ephesius* de Ren. Aff. quendam observavit, qui 12. annis urinam per intestinum longanonem reddiderat. Ex ano evacuata urina fuit apud *Benivenium* Obs. c. 7. Pene absumpto ex ulcere urina prodiit, quod *Platero* l. 2. Obs. & l. 3. credimus. Adeò diligenter unius rei defectum alia simili compensat Natura, nunquam magis æqua, quam quum maximè iniqua.

HISTORIA LXVI.

Frater pectori fratris connatus:

LAzarum Colloredo Genuensem Hafniæ primum vidi, deinde Basileæ 28. Annos natum, sed utrobiq; cum stupore. Fraterculus huic Lazaro in pectore erat adnatus, si rectè conjeci, osse xyphoide utriusque cohærente. Pes sinister solus illi dependebat, duo brachia, tres in manibus singulis tantum digiti. Vestigia pudendarum partium comparebant. Manus, aures, labia movebat, in thorace pulsus. Excrementa nulla minor frater excernit nisi per os, nares, & aures, nutriturq; eo quod major assumit. Unde partes animales & vitales distinctas habebit, quum & dormiat, sudet, moveatur, quando major vel vigilet,

vel

vel quiescat, vel siccus est. Uterq; etiam suo nomine ad baptismatis fontem insignitus fuit, major Lazari, minor Ioh. Baptistæ. Naturalia verò viscera, ut hepar, lien &c. utriq; communia erunt. Oculi clausi ferè Ioh. Baptistæ, respiratio minor, admotâ enim plumâ parum movebatur, admota verò manu exilem halitum calentem deprehendimus. Patulum ferè illi & hians os, dentibus prominulis, saliva perpetuo ferè madens. Caput videbatur solum omne alimentis in sui augmentum absumere. Prægrande enim & majus quam Lazaro, sed deforme, capillis supino situ dependentibus. Barba utriq; crevit, sed Baptistæ neglecta, Lazaro compta. Erat autem Lazarus justæ staturæ, corpore decenti, moribus humanis, & ad aulæ morem ornatus. Inducto pallio fratris tegebat corpus, fovebatque, nec monstrum intus condi primo alloquio diceres. Animo ubiq; præsenti videbatur, nisi quod de fato subinde sollicitus, mortem fratris timebat, quod se fætore & putredine exstinguendum quoque præsagiret, hinc magis in curando fratre quam se laborabat. Rarissimi Monstri effigiem à vero haud abludentem lectorum oculis sisto.

Historia. LXVII.

Cor bifidum.

Christophorus Gióe, Vir Nobilissimus, provecta

vecta ætate rerum rariorum erat amantissimus, & secretis Medicinæ apprimè deditus. Inter alia singularia, quæ humanissimus suis colloquiis nonnunquam interspergebat, narravit mihi, in Norwegia pridem à se visum latronem qui pœnas scelerum luebat. Quum extenteraretur à carnifice, cor habuisse singularis figuræ, mucrone non acuto, ut fieri solet, sed bifido ut distincti ventriculi menifestius externa facie apparuerint, dexter nempe & sinister, interjecto hiatu.

HISTORIA LXVIII.
Diabetes Calculosi.

INgens tormentum calculus, corporis nostri carnifex, præter alia symptomata, quibus miseros homines torquet, Diabeten non rarò provocat. Nolo aliorum exemplo fidem mereri confessam, quia ipse hic ero exemplum. Enumerat miles sua vulnera. Nemo ægrè feret, me mea lectoribus proponere, ut partim nativitatis meæ, partim lucubrationum damna videant, & quia gratis non vixi, condoleant.

Superiori anno calculosa vesicæ dispositio me per vices revisit, cum gravi circa perinæum dolore, & dextrum testiculum, aliisque consuetis malis. Urina tamen pro mejentis arbitrio, prompta erat ad obsequium. Notabam, post potum vini Rhenani, quem salutis causa mediocri po-



culo hausi, redditam esse urinam vino epoto tam similem, ut pro vino ipso harum rerum ignaro potuerit propinari. Mansitq; sine sedimento ullo incorrupta per dies plusculos. Postero die sedimentis crassis & viscosis rubrisq; supernatabat bilis seu urina ad bilem accedens. Tertio arenulæ quędam rubræ prodierunt. Quarto sedimentum pituitosum, & viscidum. Denique remittentibus doloribus visa fuit urina rubra quidem, sed laudabili suspenso.

Bibi Iulepum ex Ad. Cort. fab frag. cum syr. de Althea Fern. & parum Sp. Vitriol. deinde lac amygd. dulc. cum ol. amygd. dulc. demum à Cassia, quam acueram Resina Ialappæ, octies benignè sum purgatus.

De vino quod dixi per deabeten reddito, confirmant alii. Narravit nobis Patavii *Benedictus Sylvaticus* Practicus summus, vidisse se mejentem vinum rubrum eo colore & odore quo fuerat haustum. Difficile hic versabuntur in eruenda causa, quibus ignotæ sunt lecteæ in homine glandulæ, renibus vicinæ. Nos quædam in *Lacteis Thoracicis* tentavimus.

HISTORIA LXIX.

Pes sponte deciduus.

EX opere hortensi pes puellæ extra portam Borealem sphacelatus, media linea à sana

parte diſtinguebatur. Chirurgis in reſcindendo crure difficilioribus, ſiquidem tenuioris fortunæ puella laboris precium non poſſet ſolvere. Natura operarii vices ſupplevit. Pes enim ſua ſponte ſecundum lineæ à Natura deſignatæ ductum, decidit. Nulla hæmorrhogia ſubſequente, optimè convaluit, & oſtiatim oſtenſo pede deciduo ſtipem collegit, quemadmodum mihi eſt teſtis *D. Olaus Wormius*, nunquam ſatis laudandus.

HISTORIA LXX.

Flamma ex Ventriculo.

FLammam in ventriculo ex nimio Spiritus Vini hauſtu excitari, nec à ratione nec experientia alienum. Lugduni ad confluentem Araris & Rhodani, quum mulieris cujusdam cadaver cauſam mortis inveſtigaturi Medici reſeraſſent, ingens ex ventriculo prorupit flamma univerſum ventriculi ambitum occupans, mox tamen extincta. Ad *Renatum Moræum* ſummum ſcholæ Pariſienſis decus perſcripta fuit hiſtoria, ex cujus magni Viri ore hanc habeo. Cauſa flammæ credebatur Spiritus Vini largius à muliere iſta ſorptus, vel calidior Theriaces aqua, quam Medicis ſuadentibus ægra ſumpſerat.


Polonum Equitem tempore Reginæ Bonæ Sfortiæ ſumptis duobus ardentis vini Cyathis flammam evomuiſſe, exindeque combuſtum, ex

Parentis sui *Everhardi Vorstii* schedis mihi narravit Patre Magno Major filius *Adolfus Vorstius* floræ Leidensis genius. Similem casum Senatui Academico Hafniensi propositum meminimus.

HISTORIA LXXI.

Calculus magnus feminæ.

Elisa Iani, uxor Rotarum artificis extra portam Orientalem diu acerbissimi calculi doloribus exhausta, tandē insignis magnitudinis calculū excrevit, & remittentibus nonnihil doloribus, perpetuo deinceps urinæ fluxu involuntario, ob læsum vesicæ Sphincterem, miseram vitam traxit, vertente anno finitam.



Lapis, quem justa magnitudine adumbravi, durissimus, in medio candidior, circa limbum obscurus, circa medium glaber, circa extrema asper à compage arenularum arctissimè adnatarum. Figura nuclei dactily, sed ovi gallinacei magnitudine, & compressa. Inducitur exterius alba lamina, interior verò substantia ex variis arenulis

arenulis guttulisque petrificatis compacta. A tempore excretionis magni calculi, prodierunt sensim infiniti alii lapilli, candicantes, pisi magnitudine, ex quorum compage major ille constare videbatur. Calculum ipsum magnum in Musæo suo servat D. Henricus Fuiren, qui calculosæ dolores aptis subinde medicinis lenivit.

HISTORIA. LXXII.

Calculi alii ex alia femina.

ALia Mulier adhuc superstes in vico S. Petri tres ex vesica excrevit calculos diversæ magnitudinis & formæ. Unum triangularem, nonnihil ad latera inæqualem & minorem. Alterum pyri forma asperiorem, in quo asperæ partes candidiores, obscuriores glabræ. Tertium longiorem cortice quam in reliquis duriore, sed medulla friabili. Omnes colore nigricanta adspersos.

HISTORIA. LXXIII.

Omphalocele rupta cute.

BErgis Norwegorum mulier à partu difficili non in omphalocelen vulgarem incidit, quod sæpe contingit, & exemplum hic Hafniæ habeo;

habeo; ſed ex umbilico planè rupto inteſtina omnia propendebant nuda & circa cutem conſolidata cuncta exiguo relicto foramine. Nuda iſta inteſtina quotidiè fovebat oleis & pinguedine obducta cum ſacculo, hocq; pacto diu miſeram vitam protraxit, ſicut bona fide mihi retulit *D. Ottho Sperling* Medicus πολυμαθὴς ejus tum urbis Practicus Eruditiſſimus.

HISTORIA LXXIV.

Caſu laxatio brachii reſtituta.

PRæfectus quidam prædii Scanici, Ericus Chriſtierni, pede in glacie gliſcente ſiniſtrum cubitum luxavit. Barbitonſor imperitior fracturam ſuſpicatus, cura fracturis ſolita magnum ægro dolorem & brachii inflammationem concitavit, & luxationi gangrænam induxit. Quibus ſymptomatis invaleſcentibus Chirurgus peritior Martinus Sixius advocatus, luxationem quidem animadvertit, ſed ob graviora ſymptomata reponere minus ex re judicans, ad gangrænam ſedandam omni ope convertitur. Interea excidit corrupta emortuaq; caro, ulcus ſanatur, & cubitus luxatus ſine motu perſiſtit. Anno ſequenti nihil de brachio luxato cogitans Præfectus, ex equo præceps labitur, luxatumque brachium terræ contractu & alliſu in locum articuli reſtituit, ſicque convaluit.

HISTORIA LXXV.

Ex notis Chymicorum vitæ periculum.

Filiolus Consulis Roëschildensis lumbricis laborans, Medico curandus traditur, qui ad expellendos enecandosque lumbricos præscripsit Mercurii vivi drachmam unam cum aqua graminis, Signum autem Mercurii ☿ apud Chymicos receptum, expresserat. Pharmacopæi servus Mercurii sublimati signum ratus, sublimatum aquæ graminis mixtum in vitro ægrotanti misit. Offerenda erat mane offa, quam distulit Mater, partim quod præsago malorum animo infans ipse repugnaret, partim quod noctem quietam habuisset, jamq; jentaculum appeteret, partim deniq; quod circum specta Mater Mercurium crudum à Medico præscriptum in vitri fundo non inveniret. Inter has dubitationes commodum advenit Medicus, qui nihil de bona Pharmacopæi fide dubitans, quanquam à Matre monitus, vasculum agitat, potionem percolat, & bina percolati cochlearia puerulo exhiberi jussit. Sumpto medicamine brevi post exspirat infans, palato illius undique per sublimatum incrustato. Erroris sibi conscius Pharmacopæi servus fuga se subduxit. Medicus verò in jus à mœstissimis Parentibus trahitur, reusque homicidii peragitur, Clementissimo

tiſſimo juſſu Sereniſſimi Regis noſtri devoluta res ad Medicam Facultatem *Hafnienſem*, quæ auditis in Conventu Academico utrinq; diſſentientium partibus, Pharmacopæi ſervum principem mortis auctorem judicavit, ſiquidem fugâ delictum confeſſus eſt, & in literis ad Eſaiam Fleiſcher Pharmacopolam urbis *Hafnienſis* primarium faſſus erat, Mercurium ſublimatum vivo ſe ſubſtituiſſe, & ſi ſcrupulum ipſi feciſſet ſchedula Medici potuiſſet præſentem Medicum de dubio ſigno Mercurii conſulere. Quam Medicorum cenſuraum in Comitiis proximis Rex Sereniſſimus & Regni Senatores confirmarunt. Sedulò igitur propter imperitos Pharmacopæos feſtinantes cavendum, ne ſignis hujusmodi Chymicorum utatur Medicus, maximo ægrorum damno, & proprio periculo, præſertim quum feſtinans manus facilè lineolam producat & ex levi notulæ diſcrimine maximum vitæ diſcrimen accerſat.

HISTORIA LXXVI
A frigido clyſtere mors.

CIvis quidam Chriſtiano *Hafnienſis* in tonſtrina raſuræ ſubjectus, inter reciprocos ſermones, conqueritur de metu imminentis morbi, propter laſſitudinem ſpontaneam & alia quæ forte

forte ſubjecerat : Barbitonſor operam ſuam ultrò offert, & clyſtere ſe huic periculo obviam iturum ſpondet. Ipſe clyſterem præparat, frigidumq; injicit. Civis frigus ſe in inteſtinis ſentire monet, rogatq; ut clyſterem calidum ſubſtituat. Ille perinde eſſe ſive calidus ſit ſive frigidus, credulo ægro perſuaſit. Cæterum diſcrimen eventus oſtendit, ſummâ enim virium imbecillitate preſſus, clyſterem reddere neq; alio calido clyſtere provocatum potuit. Poſtridie æterno frigore obrutus, eſſe deſiit.

HISTORIA LXXVII.

Vulnera Cordis.

JUvenis petulans ineunte hujus anni vere Hafniæ nauclerum, alioquin amicum, domeſticis Oenopolæ negociis diſtrictum, cultro transfixit, inter tertiam & quartam coſtam ſiniſtram. Vulnus ſub ſterno ad cordis penetravit ventriculum dextrum, ut aperto poſt mortem cadavere patuit, foramine anguſto & obliquo. Læſus tamen non ſolum ex ſuburbio domum pedibus ivit, ſed per quinq; dies ſupervixit. Quantum conjectura aſſequor, propter anguſtum obliquumq; cordis vulnus, concidentibns labiis, circulatio per tot dies perſtitit interrupta.

Sereniſſimus Rex Daniæ FRIDERICUS III. in

III. in sylva Fridericiburgensi anno præterito venatione regias curas interpungens, sclopeto cervum trajecit, qui vulnere recepto prius passus 50. confecit quam concideret. Extractum à venatoribus cor observavit D. *Iacobus Ianus* Regius Archiater, tum præsens, per utrumque ventriculum ponderoso globulo trajectum, ut trium digitorum apices admitteret. Externa vulnerum cordis exempla in *Anatome Reformate* congessimus, nec jam actum agimus.

HISTORIA LXXVIII.
Mulieres Cornutæ.

PRimæ cuidam in patria nostra feminæ carnosa in medio frontis excrescentia tantum ex continua contrectatione augmenti sensim cepit, ut proboscidem galli Africani propendulam exæquarit. Filo constrinxit Martinus Sixius, Chirurgus noster peritissimus, donec contabesceret, renatamque corrosivis penitus extirpavit.

Purmerenti in Septentrionali Hollandia paupercula mulier Margaretha Mainers septuagenaria degit, quæ viginti retrò annis, ex mœrore prodigi filii tumorem primo in dextra capitis parte supra musculum temporalem observavit, qui in cornu tandem excrevit digitos XII. longum caprini cornu crassitie, duritie, & similitudine. Ex temporũ ferè regione seu sincipite emergens reflectitur, incurvaturque, sursumque sum-

mum caput petit, cui se mobile applicat, ut commodè vitta tegi possit & occultari. Ad radicem rubet cutis, & prurit, siq; rudius tractetur sanguinem prolicit. Inter caput & cornu olim vix digitus inserebatur, nunc totam manum admittit, quia continuò crescit. Invisi ipsam 1646. & studiosè lustravi, hancq; feminæ grandævæ imaginem per pictorem expressi.

Alios cornutos utriusq; sexus passim visos & lectos in Observationibus meis Novis *de Vnicornu* deditâ operâ signavi, quo curiosum Lectorem remitto.

HISTORIA LXXIX.

Melancholicorum figmenta.

MElancholicorum proprium est non timenda timere, & fingere quæ nec picta usquam sunt nec scripta. Plebejus apud nos Vir sanguine melancholico turgens, nasum sibi in eam magnitudinem excrevisse imaginabatur, ut publico abstineret, ne nasus à transeuntibus conculcaretur. Insignis Amstelodamensium Poëta nates credidit sibi esse vitreas timuitque rupturam si consideret. Alius ibidem primæ dignitatis senior, clavum suspicabatur se deglutivisse, quum amissum nusquam reperiret, valdèq; eo infixo se torqueri. Ad mentem sanam rediit vomitorio exhibito, cui eructato clam Medicus clavum

immisit. In Anglia quidam mejere noluit, ne sanguinem universum corporis per urinam excerneret, hinc filo penem arctè per dies aliquot constrinxit, quo tumido parum à morte abfuisset, nisi à fratre vi vinculum fuisset solutum. Vidit istum & familiarem novit *Samuel Collinus* Anglus Med. D. amicus meus Monspelii intimus. De Philodoto veteri Medico notum, quod capiti ejus qui caput amputatum sibi credebat, pileum imposuerit plumbeum, cujus gravitatem sentiens melácholicus, caput se recepisse putavit.

HISTORIA LXXX.

Spleneti ci Anatome.

PEtrus Andreæ Abelgaard Vir cælebs, rufus, trigesimum ætatis annum supergressus, portæ Boreali vicinus, sinistri lateris dolore & tumore multorum annorum decursu emaciatus Icterico haud videbatur absimilis. Ciborum erat appetens, sed urinæ laborabat difficultate. Consilio plebejorum amicorum potu liberaliori ægritudinem molestam depulsurus, sex cerevisiæ pottas uno spiritu eduxit, unde nigræ materiæ supervenit vomitus, quem æquo excipiebat animo & fidenti, ratus cognitâ hinc morbi causa, facilem Medicis patera viam ad curandi Methodum. Sed sensim triduo elapso mortalitatem exuit. Ante fatalem halitum ob sphincteris vesi-

cæ resolutionem, urina, antea parca, copiosè & sine difficultate effluxit.

Postridie mortis, nempe 21. Ian. currentis anni 1653. consensu amicorum & splenetici ultimâ voluntate, cadaver aperui, præsentibus D. *Simone Paulli*, M. *Lysero*, *Iacobo Holstio*, *Henrico Martino à Móinichen* Medicinæ Candidatis, aliisq; Quæ præter solitum visebantur, hæc erant:

1. Omentum exile, Mesenterium pingue satis, Intestina tenuia flavo colore tincta omnia. Hepar à rubore naturali parum deflectens.

2. Vesica bilaria pallida, tunica crassiori. In apertâ serum nudum nullâ bilis tincturâ. Plena quoque grumis nigricantibus, lapillisque pisorum magnitudine, qui viam obstruxerant quo minus bilis hac expurgaretur, adeoque in corpus universum repulerunt.

3. Lien insolitæ molis, longitudine duarum spithamarum, supra renem sinistrum ad os usque Ischii ejusque cavitatem extensus. Pondus quatuor libras æquabat Civiles. Color varius. Albicabat qua parte costas attingebat, tunica crassissima candida, corio bovino similis, ut levi operâ manu separari à parenchymate potuerit, & exsiccari. Exsiccata autem tunica quam in Musæo asservo, gluten siccum per omnia refert. At illa parte quæ corpori obversa erat, membrana subtilior nigricabat. In ipsa substantia steatoma erat, infarctum, adiposa materia constans, nucis magni-

magnitudine. Parenchyma reliquum satis sanū. *Columbus* l. 15. Anat. quoque vidit lienes XX lb. pondere, quos cartilago exterius obvolvebat.

4. Adhærebat lien firmissimè diaphragmati, ut difficulter separari potuerit, unde spirandi difficultas, quam ambulaturus fuerat expertus.

5. Vas breve varium, nam quatuor venæ amplæ ex ramo splenico tumido prope lienem productæ, in ipso ventriculo longius protensæ sanguine scatebant. Hinc vomitus ille niger plerisq; spleneticis, huic homini familiaris.

6. Pancreas sanum. Vicina huic erat glandula parenchymati lienis similis, quam lacteam in sanis fuisse credo.

7. In abdominis cavo seri cruenti portio quædam.

8. Renes utrinque nigricantes, intus nihil monstri alebant. Dexter hepati per peritonæum adnatus, sinister lieni eodem modo subjectus. In pelvi sinistro parum hærebat puris.

9. Reclinatis intestinis & retractis investigaturi in alveo vesicam urinariam, prima fronte vidimus nullam. At separatā peritonæi duplicaturā prodiit post Cataracta latens. In ipsa enim duplicaturā, ubi libera solet habitare, ab omni parte peritonæo accreverat. Unde tunica propria membranosa potius quam carnosa, expellere urinam vix potuit.

10. In thorace & pericardio moderata cruenti

feri copia. Cor totum quaſi adipe obſitum molliuſculo, ſerum bilioſum continente. Pulmones liberi quidem à coſtis, ſed candicantes & exſucci.

HISTORIA LXXXI.

Macula in pede Epilepticæ.

PEr inferiorum partium conſenſum elevatis vaporibus convulſiones Epilepticas ſuſcitari, prodiderunt multi. Manifeſtum autem in artubus ſignum comparuiſſe, non ita pervulgatum.

Curæ meæ ſe concrediderat nuperis annis Mulier honeſtiſſima, ſanguinis vinculo mihi conjuncta, convulſionibus Epilepticis per vices obnoxia. Ceſſaverant illæ quidē nuptiarum diebus ſed deinde redeuntes in ipſo puerperio miſeram deprehenderunt. In ipſo inſultu feliciter ſanam puellam enixa eſt, adhuc ſuperſtitem & bene valentem. Tandem multis adhibitis remediorum generibus, ſpaſmus ſolus dextri pedis crurisq; ramanſit, quem hactenus exſtirpare nequivimus, quo minus quotidie ſæpius recurrat. In ipſo curationis curſu ſingulare obſervavi, charta dignum. Viſa enim eſt ſæpiſſimè in dextro pede extremo digitos verſus macula nigricans rotunda magnitudine Thaleri Imperialis, quæ ante ſpaſmi paroxyſmum erat manifeſta, ſed ſine dolore, ceſſanteque ſpaſmo evanuit. Suſpicabar quod

quod res erat, malignam materiam vaporemq; ex pede extremo nervosa cruris pedisq; principia in osse sacro infestare, spasmumq; concitare. Unde huic parti maculosæ intentus, scarificationes, & balnea, & venæsectionem & cucurbitulam siccam in malleolo hujus pedis procuravi, sed omnia incassum, quia & diuturna consuetudine occaluerat malum, & profundiores egerat radices.

HISTORIA LXXXII.

Tumor in pede Epileptici.

AFfinis maculæ Tumor in pede Epileptici aliquando observatus, qui ad cerebrum mediis viis infectis, convulsionis materiam transmisit. Præfecto prædiorum Nobilium Illustris Viri Dithlevi Alseldt de Lindow, imminente novilunio digitus minimus dextri pedis intumuit manifesto rubore, qui adscendebat per internum cruris latus ad inguina, eaq; ingenti dolore afflicta in parem tumorem elevabat. Huic tumori paroxysmus Epilepticus successit è vestigio, prioribus partibus detumescentibus & sanis. Quam vicissitudinem singulis mensibus stata lunæ phasi servavit Convulsio. Advocatus D. *Paulus Moth* Regius nunc Medicus magnæ experientiæ & judicii, amicus meus Præceptoris loco honorandus, tumido digito pedis cauterium po-

tentiale applicuit. Vis quinq; transierant horulæ, quum in circumferentia caustici ichorosa materia per poros exstillaret, ubertim mox sequentibus diebus effluens. Escharam quarto die excidentem copiosissimus sequutns est fluxus, tumq; & tumor in pede & inguine consuetis vicibus remisit, & deinceps paroxysmus emansit. Fontanellam tamen patulam, suasu laudati Viri, continuò gestavit.

HISTORIA LXXXIII.

Monstrum humanum sine cerebro &c.

IN Diœcesi Norwegiæ Bergensi, in Provincia Tiuguns, natum est monstrum 1639. mense Decembri, pauperculis parentibus & honestis, patre Olao Olai, matre Anna Andreæ, qui inter se conjugalem vitam 18. annorum decursu placidè transegerant. Nata Puella erat vitalis, sed vix horæ mediæ spacio supervixit. In ore gerebat pudenda virilis sexus. Oculi parvi & eminentes piscium instar. Nasus rubens & catelli in formam exilis. Aures quasi decurtatæ. Fronte carebat & cerebro, cujus locum occupabat caro informis rubra, instar mitræ foris producta, mobilis ut detrahi & reponi pro arbitrio posset.

Visum id à se monstrum testantur Pastor loci Dn. Christianus & Ericus Ivari in Leganger, quem-


a
b



quemadmodum ad M. *Ludovicum Munthenium* Episcopum olim Bergensem signatis literis scripserunt.

HISTORIA LXXXIV.

Tridui somnus febrem curat.

MUlieri Slangendorphianæ febre detentæ continua cum gravissimis symptomatibus, vigiliis, deliriis, inquietudine &c. quum alia secundum Methodum adhibita nihil profuissent, ad somnum & quietem inducendam pilulam ex tribus Ladani Opiati granis confectam exhibuit Magnus Doctor nostor, *Olaus Wormius*. Sensit illico vim medicaminis salutarem mulier, unde *Hafniam* redux Wormius, illius rogatu, tres alias pilulas misit, hac cautione, ut pro necessitate unam tantum ex illis deglutiret. Paruisset libenter huic consilio febricitans, nisi anicula, quæ visitatum venerat, tres simul sumendas pilulas persuasisset, quippe se 16. pilulis vix moveri. Ita ignara pilularum diversarum ægrota, magis aniculæ fidens quam experto Medico, omnes pilulas transmissas assumpsit & triduano somno nunquam interrupto quievit. Perpetuo somno sepulta credebatur. Sed natura malo consilio succurrens triduana requie febrem extinxit. Somno enim excusso benè valuit, febre absente, symptomatibusq; remittentibus, nisi quod de virium quereretur imbecillitate.

HISTORIA LXXXV.
Turbulentæ Melancholici imaginationes.

BOnarum literarum studiosus, non uno nomine mihi charus, corporis constitutione melancholicus, mœrore ex morte sororis fractus & lucubrationibus attritus, de Diaboli insidiis apud me conqueritur. Affirmat sentire se malum spiritum per anum ingredi cum vento sursumq; in corpore suo repere donec caput occupet, ne sacris solita devotione vacare possit; eundem verò eadem via descendere & exire quando ad preces & lectiones sacras accingitur. Ante hæc se inaudita lætitia fuisse perfusum ex assiduis precibus & vigiliis, ut concentum etiam cœlestem exaudiverit, spretisq; mortalibus omnia in pauperes erogasse: nunc defervente pietate ob nimium cibi apetitum, ob turbatum isto vento cerebrum, cujusdam in cerebro vocem se exaudire, Βλασφημίαν exprobrantis, tundentes pugnos se sentire, & fœtorem ante nares obversantem.

Melancholia Hypochondriaca optimum juvenem tentari sine dubitatione divinavi, ex recensitis signis, murmure, phantasia turbata, totius corporis temperie, vita anteacta, vigiliis, lectionibus nimiis, mœrore &c. Unde præmissis de Divina præsentia & potentia, deq; Diaboli vilitate

vilitate exhortationibus, bono animo esse jussi, viam me nullo negocio certis remediis venienti inposterum hosti interclusurum, corpusq; cacochymicum ita medicaminibus præparaturum, ne sedes amplius commoda malo spiritui sit futura. Inprimis solitudinem dissuasi & vigilias nimias, quibus se macerat, au&ctorq; fui ut amœnioris ingenii contubernalem sibi adsciscerent, qui per vices, sacris meditationibus depositis, tempus hilariori colloquio falleret. Interea exhibui quæ peccantem in abdomine humorem melancholicum præpararent, expurgarentq;, sanguinem fæculentum detraxi, vires refeci protritas, & viscera roboravi. Quibus id effectum, ut ventris murmura cessarint, sedata sit mens & composita, nihilq; amplius molestiæ Dæmonem facessere fassus sit.

HISTORIA LXXXVI.

Homo ex capra genitus.

IN Diœcesi Bergensi, oppido Skaanewiig circa Dominicam Quadragesimalem 1640. capra peperit fœtum humana facie, brachiis, oculis, naso, ore, genis, fronte & flavo capillo capitis, planè his partibus similem fœtui humano, nisi quod ungulæ in digitis manuum pro unguibus essent. Summa, superior pars corporis à diaphragmate hominem perfectum exprimebat. Inferior verò informis

informis vesicam referebat. Posteriores tamen pedes cum ungulis discerni poterant. Ungulæ non ad abdomen inflectebantur, aliorum brutorum more, sed rectæ extabant, non nihil ad dorsum reflexæ. *Hoc* solo loco humanam larvam deposuit. Facies enim ipsa nullis horrida pilis, rubra & candida pulcritudinis palmam cuivis fecisset dubiam. Omni carebat vita infans, ut vero vicinum sit, definitum gestationis tempus Matrem antevertisse. Monstri hujus historiam Dn. *Elias Andreæ* Pastor ibidem ad M. *Ludovicum Munthenium*, quondã Episcopum Bergensem, ut acta fuerat & visa, sincerè pertextam transmisit.

HISTORIA LXXXVII.
Vomitus sanguinis in Spleneticis.

SPleneticus, intimâ mihi & nativâ amicitiâ conjunctus, in vomitum sanguinis incurrit adeò copiosum, ut aliquot mensuras nostrates liquidorum, quas pottas vocamus, ex liene dolente projecerit. Ex tanta evacuatione collapsis viribus, & visceribus malè affectis, intumuit lien, duritiemq; acquisitam tactu prodidit. Inflatum mox abdomen universum Ascitidem invexit. *Dodonæo* si credimus Obs. Med. c. 26. tales plerumq; post paulo moriuntur. Superis debemus beneficium, quod purpurea anima migra-

tionem

tionem distulerit. Quamquam variis tentatis hydragogis, per alvum, per urinas, per sudores, inunctionibus, emplastris, suffitibus, clysteribus, suppositoriis, aliisq; nihil primo profecerimus: tandem tamen sola stuffa sicca accenso Sp. Vini, & abdomen subsedit, & lien detumuit, redeunte postliminio sanitate.

Sequenti anno circa idem tempus hybernum, colicus dolor intensissimus ab eodem humore melancholico tam torsit illum crudeliter, ut nec stanti, nec cubanti, nec ambulanti nec sedenti ulla esset torminum remissio. Remiserunt tamen & hæc clysteribus & fomentis. Tertio anno eadem fatali tempestate redit vomitus sanguinis tam largus, ut octo pottas nostras puri sanguinis & floridi rejecerit, animaq; in labiis, pulsu intermittente, & viribus penitus prostratis, hærere videretur. Cordialibus adstringentibus & Diætâ usus, tandem sine aliis symptomatis gravioribus convaluit, Pater jam trium liberorum.

HISTORIA LXXXVIII.

Ranula sub Lingua.

BAtrachium seu Ranula sub lingua, quæ inter abscessus à *Celso* nostro l. 7. c. 12. refertur, modò tam duram compactamque suo folliculo materiam includit, ut ferri levi vulnere non cedat,

dat, ſed ferro candente ſit abſumenda, ſicut vidit *Tulpius* l. 1. Obſ. c.52. modo mellea veluti materia inde exit, acceditque ad meliceridis naturam, docente *Aquapendente* in Oper. Chir. modò prænigra, quam in infantula obſervavit *Severinus* l. 3. Abſces. c. 7. modò candicans pituita ovi albumine non abſimilis prodit, cujus nuper habuimus exemplum.

Iuvenculæ uxori molitoris elapſa æſtate poſt febrem Epidemicam ſub lingua congeſtus fuit per μετάςασιν Tumor ovi columbini magnitudine rotundus, durus, rubensq; ut dolore moleſto lingua retrorſum protruſa, & loquela impedita ſit & deglutiendi facilitas. Conſultus ſuper hoc tumore Chirurgus *Martinus Sixius*, apertionem prudenter ſubterfugit, quia abſceſſus necdum maturus, totuſq; rubeus, ſi aperiatur, vel inflammationem vel cancrum, minaretur. Interea per D. *Iacobum Suabium*, Practicum urbis Eruditum, corpus debita methodo fuit prꝑparatum. Tranſactis hebdomadis ſex ad nos venit, ut præſentibus Medicis, Chirurgoq; ranulæ huic conſuleretur. Vocatus & ego vidi Ranulam pallidiorem, digitiſq; utrinq; appoſitis deprehendi ſuppuratam eſſe, materiamq; in tunica craſſa fluctuare, unde apertionem ſuaſi. Levi ſcalpelli inciſione ruptâ tunicâ, qua à venulis libera conſpiciebatur, profluxit ilicò ovi albumine ſimillima materia quantum cochleari non ita anguſto excipi poterat.

poterat. Detumuit ranula, & paucis inde diebus, in altero latere nova incisione pertusa, parem ejusdem liquoris copiam egessit, sicq; libertati suæ reddita lingua & loquelam & deglutitionem more solito promovit.

HISTORIA LXXXIX.

Urina Verminosa.

EX difficili partu diu variis symptomatibus afflicta conjunx civis Hafniensis, tandem fatis urgentibus cessit. Deperdita per vices respiratio, quam difficillimè revocabat, inter maxima fuit mala. Mulieres adstantes cor aquis submersum credidere. Mirabilius autem erat, quod urina planè fuerit cruenta, vermibusq; crassiusculis referta, sive ex uteri sive vesicæ quocunq; affectu. Obstetricis Catharinæ suspicione, vermes à corrupto fœtu prodierunt, cui etiam interceptam respirationem refero acceptam. Certè & in utero potuerunt generari, & in matula. Nam â materia putrida etiam extra corpus urinæ vermes subinde producuntur.

HISTORIA XC.

Vermiculi Hydropicorum & *Febrientium.*

QUum superiori anno plurimas Quartanas Hydrops

Hydrops in multis Hafniæ presso pede sequeretur, uxor Nicolai Finckii Hydropica, pedésq; & crura tumens, consilio Cl. *Wormii* nostri pulverem purgantem hydragogum ex guttæ gummi gr. VII. in cerevisia assumit. Sine molestiâ tres aquæ pottas per alvum excrevit, cui globuli immixti erant vermibus exilibus viventibus pleni.

In febribus nonnunquam vermes quoq; cum fœcibus prodeunt, quod sub judicationem commodum pronunciat *Hippocrates* de Iudicat. Tam vivi exeunt quam mortui. Mortui si sint in febre benigna, bonum, in malignâ malum portendunt. Ibi enim naturæ & in expellendo & enecando robur indicant; hic verò materiam adeò monstrant malignam ut vermes ipsos suffocare valeat, quod *Benedictus Sylvaticus* Veteranus Patavii Practicus, nos docuit.

HISTORIA XCI.

Naturæ in promovendo partu necessitas.

QUantum in partu promovendo momenti afferat Naturæ auxilium, nuper docuit puerpera Hafniensis in meritoria cella prope portum habitans. Enixa est primo puerulum, sed imperitia obstetricis in partu mortuum. Tertio inde die alter solitis parturientium conatibus partus imminebat. Mortui tamen fœtus in utero signa videbantur manifesta. Unde puerperæ hu-

jus prævidebant exitium, quæ ad auxilium confluxerant, unicumq; in extractione particularum auxilium existimabant supereſſe. Speculo uterino dilatantur genitales viæ, & forcipibus extrahitur lacerum mortui fœtus brachium cum altera ſcapula. Sed ulterius progredi non potuerunt. Renitebatur puerpera tot cruciatibus defeſſa, & ipſæ pudendæ partes tumidæ omnem operationis commoditatem præſcindebant. Hinc ſibi relicta puerpera, ut vires recolligeret & naturam quiete interpoſita commodam ſollicitaret, partesq; alias occultandæ impoſitis fomentis detumeſcerent. Nocte ſequenti, nullis preſentibus, dolores ex utero & conatus vehementes oborti, quibus ſine ullius ope & ſecundinæ & fœtus mortuus excluſus fuit. Mortalitatem tamen proximâ exuit hebdomadâ.

HISTORIA XCII.

Anatome puerperæ.

INfanticida femina ſexta poſt partum hebdomade comprehenſa, capite patratum ſcelus expiat. Iuvencula, parvæ ſtaturæ, obœſa, & ſana mihi ad Anatomen Auguſtam, Reg. Maj. juſſu conceditur. XII. Febr. 1653. ſummo urgente frigore Anatomen ejus exorſus, ſeparata cute, & pinguedine, muſculos abdominis tranſverſim ad peritonæum usq; diſſecui, quia partes

 fæmi-

fæmininas solas demonstrare Principe instituto intenderam. Prius tamen in Recto musculo inverso anastomoses inquisivi inter vasa Mammaria & Epigastrica, sed nullas inveni, nec vasa præter solitum distenta; quanquam recens esset à partu, lactansq;.

Peritonæo aperto, non comparebat uterus primâ fronte, sed vesica lotio tumida conspectum illius adimebat, sub qua delituit uterus durus satis & constrictus, ut mirari satis nequiverim tam brevi post partum tempore contractum. Magnitudine vix pugnum æquabat.

Postridie ablatis intestinis, in quibus lacteæ adhuc venæ conspiciebantur cum glandulis lacteis, vasa generationis feminina in corpore exhibui spectanda.

Colon intestinum antequam in Rectum desineret, satis angustum videbatur, magnæ verò portiones pendulæ pinguedinis adhærebant hinc inde tunicis intestinorum externis.

Vena spermatica dextra à trunco, ut & arteria, in medio itinere anastomosibus invicem junctæ. Antequam testiculos ingrederentur variis anfractibus eleganter implicabantur, quos diligenter à membrana peritonæi tanto libentius separavi & distinxi, quod id in nullis Anatomicorum iconibus viderem factum.

Testiculi utrinq; satis magni, externo lævore nihil virilibus cedentes, ad uteri latera soluti,

nisi

nisi qua utero & Tubis connectebantur. Simplici tunica resectâ, copiosum serum effluxit, nonnihil quoq; materiæ crassioris, instar puris. Ex splendidis vesiculis per testium substantiam hydatidum in modum dispersis, liquor dictus manavit, cavitate manifestâ relictâ. Inprimis conspicua erat vesicula magna prope meatum cœcum qui uterum ingreditur. Sunt præter vesiculas majores exilia corpuscula conglobata instar ovorum formicarum vel Erucarum. Meatus ad uterum cœcus nulla ratione pervius.

Separata tubæ tunica exteriori, inquisivi in nervum interiorem, inveniq; ab utero ad mediũ tubæ corpus candidum rotundum oblongumq;, sed non pervium, sicut quibusdam visum, inde autem à medio continuabatur in eodem membranæ involucro filamentum illud rotundum sed crassius & rubicundius ad finem usq;. Dissectum emisit liquorem similem illi, qui ex testiculis fluit, ut seminales vesiculæ esse videantur.

Rotundum uteri ligamentum adscendit ad latus ossis pubis, & ossi anterius inseritur prope commissuram, sine angusto, nec ad totum crus expãditur, aut anserini pedis in morẽ diffinditur.

Clitoridis leve vestigium macula duriuscula & rubicunda supra nymphas conspicuum. Nymphæ contractæ. Carunculæ quoq; obliteratæ, nisi orificio vesicæ apposita. Vagina dissecta ad uteri orificium sine rugis solitis. Externa pudendi labra satis hiabant.

Uteri orificium arctiſſimum, durumq;. Uterus ipſe craſſus & fungoſus, vix pomo excipiendo capax. In ipſis parietibus craſſis foraminula utrinq; patebant ſeu acetabula, quibus per fiſtulam inflatis, elevabantur vaſa teſtibus ſubjecta, ſeu alter Tubæ inferior ramus, ex vaſis deferentibus ortus.

Muſculo Pſoas majori incumbebat minor alter ſæpius nobis obſervatus.

Separata cute Thoracis, circumfuſa pinguedo tegebat univerſam mammarum regionem, exceptis papillis, ubi glandulæ nudæ conſpiciebantur. Pinguedine ablata manifeſtius glandulæ comparuere exiguæ infinitæ hinc inde albicantibus lineis inſperſis, nec majoris glandulæ aut vola aut veſtigium. Papillam lactei Tubili ſatis tumidi lacte decem, circuli inſtar, ambiebant, quorum ſinguli in varios ramos diviſi progrediebantur deſinebantq; in glandularum extrema. Exhibemus hic Tubulorum Lacteorum iconem non ubivis obviam.

Venæ rubentes non viſæ, niſi quod ex pinguedine circumfuſa exiles quidam ramuli exirent, & ex pectorali muſculo circa medium, venæ ramus major glandulas ingrederetur ex thoracica.

Siniſtram mammam ex lacte coagulato apoſtema occupavit, quod ipſa natura exiguo facto foramine cœpit expurgare. Glandulis igitur ad pectoralem uſque muſculum remotis, inter has

&

& musculum dictum magna puris copia sinum efformavit, illæso musculo. Pectoralis uterque in medio sterno conjunctus continuusque, tenui linea candicante distinguente utriusque fines. Remoto pectorali venæ præter solitum copiosæ tumentesque thoracem externum perreptabant, ad lactis fortasse generationem,

Aperto thorace pericardium pinguedine totum ferè obsitum.

Dextri pulmonis superior lobus costis adnatus, colore marmoris variegato.

In Cerebelli substantia dissecta observavi candidum ventriculi nobilis parietem extendi in ipsum Cerebellum basi latiore, unde oriuntur varii illi ramusculi elegantes quibus mollis & cinerea substantia lamellarum, velut parenchyma inspergitur. In exortu verò hujus baseos apparent striæ candidæ, quæ per medium secto cerebello, æmulâ figurâ digitos quinque expansos referunt, quod hactenus nescio an ab ullo observatum.

Laterales sinus cerebri ampli lata cavitate ad os petrosum pertingunt, antequam sella equina exsurgat, imprimuntque sui in occipite vestigium. In hanc cavitatem venæ Iugulares internæ ingrediuntur, sinibusque continuæ, sinus venarum esse expansiones persuadent.

HISTORIA XCIII.

Convulsio & Paralysis febrem solvit.

NIsi *Hippocratem* l. 4. Aph. 29. & 66. de Epigenesi interpretemur, actum erit de ipsius auctoritate, & falsa erit experientia. Ipse enim l. de *Iudicat.* § ult. & 6. Aph. 26. febrem solvi superveniente convulsione & tremore dictat. Nam μετάστασις hæc bona. Convulsioni id accidit, quod rigori. Solvit febrem 4. Aph. 58. quia per μετάστασιν fit, auget & mortem infert Aph. 46. qui ἐπιγένεσις advenit, & febre permanente, & debili ægro. Critica ista μετάπτωσις translatæ febrilis materiæ, relicto foco priori, ad cerebrum, Hafniæ Mulieri honestissimæ salutaris fuit.

Cognata mea flore ætatis suæ febre Epidemia Tertiana, superiori anno grassante, corripitur. Septimo die seu paroxysmo quarto mensæ accumbens derepente, cessante febre, Convulsio levis & lingua Paralysis supervenit, ut nec fari nec audire, nec rationis ulla proferret indicia, sensu tamē & motu reliqui corporis salvo. Quarto inde die, per vomitum præcedentem, expurgata morbifica materia, & loquela sensim rediit, & ratiocinatio, cibiq; appetentia, dolore capitis remanente, qui sudoriferis & purgantibus citò cessit, nec recordari potuit illorum quæ acta fuerant.

erant. Exinde per Dei gratiam, valetudine utitur ſatis proſperâ.

HISTORIA XCIV.

Carnea in utero Excreſcentia.

EXpleto geſtationis tempore Femina Hafnienſis haud ſortis infimæ, fœtum eniti uullo conatu potuit. Exſtinctus embryo, miſeræ quoq; matri acceleravit interitum. In aperto cadavere inventus quidem embryo, ſed adnata uteri orificio carnea excreſcentia viam occluſit, omnemq; egreſſuro exitum intercepit. Hinc ſuffocatus embryo, denegato ad vitam meatu, fruſtra laborantem Matrem aurâ malignâ infecit.

HISTORIA XCV.

Quartana Triplex.

TErtianis Quartanæ intermittentes frequenter ſuccedebant Hafniæ 1652.1653. hybernis menſibus, pluvia ventoq; ſævientibus. Simplices Quartanæ primò multos ſexus utriusq; invadebant, in quarum paroxyſmis id notavi ſingulare, non quarto ſolum die incertis horis rediiſſe, ſed quartum quemcunq; paroxyſmũ fuiſſe graviorem, horrore, dolore capitis dorſiq; vomitu, nauſea, ventris torminibus, cordis anxietate, ſiti aliisq; ſymptomatis. Simplices illæ in duplices

transierunt. Sæpe quoq; in Triplices Quartanas mutatæ singulis diebus recurrentes. Observatum tamen Triplices Quartanas febris plerunq; terminum finemq; antecessisse, materia nempe febrili solutâ & ad motum concitata. Vidi sexto paroxysmo Triplicem Quartanam finitam lubrica alvo superveniente ante paroxysmum, in ipso, & post. In multis simplicem typum resumpsit & ad annum sequentem per vices recurrens protrahebatur, cujus domesticum habeo exemplum, ubi neglectis aliis id tantum agi potuit, ut quod diu sustinendum erat, corpus facilè sustineret.

Triplicem Quartanam videtur agnovisse *Celsus*, l. 3. c. 15. ubi monet *ne qua cruditas in quotidianam id malum vertat*. De continua quartana exponit *Ronsseus*. Nos commodius in partes nostras trahimus, quo curatio tendit cap. 17. tradita.

HISTORIA XCVI.

Embryonis motus à febre retardatus.

TArdius movetur in utero fœtus, si uterum gerens prægnans febre corripiatur. Motum enim celerem vires utriusq; promovent, in febre fractæ.

In vicinia nostra febricitabat gravida mulier, jamq; hebdomadæ septem & viginti effluxerant flaccido ventre & sine ullo concepti fœtus certo motu, ut sensim de graviditate cœperit dubitare.

Exinde

Exinde tamen obſcurus embryonis motus deprehenſus ad ſeptimam usq; hebdomadam, qua tenerrimum in lucem edidit puerulum, anguſtæ manicæ includi aptum. Secundinæ exſangues, hepar uterinum ſpongiam parvam exſiccam referebat, & vaſa umbilicalia exſanguia, quæ nullo vinculo obſtetrix noſtra Catharina conſtrinxiſſit, niſi flatuum habuiſſet rationem. Inſolitum igitur tumorem venter gravidus diſtendi non potuit. Fœtus tamen vitali luce donatus, & benè antea nutritus videbatur, & motus tarditatem poſtea expeditiori compenſavit.

HISTORIA XCVII.

Mola in utero Puellæ ulceroſo.

PUella 13. annorum Otthoniæ labente anno ex ſcala in ſubterraneam cellem delapſa, nihil mali experta fuit, præter dolorem colli, mox poſt ſedatum. Emerſit tamen in dorſo dolor poſt aliquot hebdomadas, quem ſenſim in hypogaſtrio tumor inſequutus. Adhibita in conſilium obſtetrix, inſpecto corpore puellæ, gravidam pronunciat. Morbo interim correpta, nihil proficientibus remediis, auctâq; indies ægritudine incognitâ, octava hebdomada ad meliorem vitam tranſiit. Mœſtiſſimorum Parentum rogatu cadaver aperit Chirurgus Joachimus Bonſackus,

præſentibus D. Stephano Ram & D. Jacobo Otthesen Medicis, ut mortis tumorisq; cauſa innoteſceret. Statim diſſecto abdomine uterus prodiit, ovi gallinacei magnitudine, ulceribus plenus, ſed ſine pure aut fœtore. In ipſa autem uteri cavitate nihil inventum, præter fruſtulum carnis ſpongioſæ & putridæ, libras quatuor cum media pendens. Hepar, lien, reliquaq; viſcera nullum vitium viſa contraxiſſe.

HISTORIA XCVIII.

Gigantum Oſſa.

QUanquam Gigantum nationem vix invenias, qua patet orbis; ſunt tamen & fuere hinc inde inuſitatæ magnitudinis homines, monſtris juſtius annumerandi. Juvenculam in Gallia vidi XVIII. annorum, molis Giganteæ, ſed parentibus pumilibus natam, cujus unica manus tres viriles facilè exæquabat. Non minorem Zelandem à Guilhelmo Bono Hollandiæ Comite ad nuptias Caroli Pulchri Regis Franciæ adductam refert *Bertius.* Indos quosdam Elephantis tanquam equis uſos quidam prodiderunt. *Pigafetta* in America apud Canibales à ſe viſum narrat, qui ſupra multos homines à cingulo eminebat. Fit mentio crebra Gigantum in ſcriptura ſacra, qui *Nephilim* dicebantur, de quibus diſputant Eruditi; videndæque de

hoc

hoc argumento Dissertationes *Iacobi Boulduci*, *Thomæ Bangij*, *Goropij Becani* aliorumque. Sicut ab inopia materiæ seminalis subinde infra Pygmeorum mensuram arctantur nonnulli, ita ex materiæ ubertate in immensam molem alii crescunt. Ne dubitemus, integra corpora Giganteæ magnitudinis ex bustis suis eruta testantur Annales. In Creta terræ motu rupto monte, inventum corpus stans, XLVI. cubitorum testatur *Plinius*. Quanquam alii Codices majori veri specie XVI. legant, quod *Io. de Laet* Viro magni judicij quoq; arridet. Pallantis corpus ad muros urbis erectum, pinnas illorum vertice tetigisse ferunt. In Dania nostra passim in collibus campisque tumuli extant cincti lapidibus, quos Gigantum fuisse communis est fama, licet urnas sepulchrales tantum effossi tegant cineribus repletas. Sunt & ex ornamentorum reliquiis de Gigantibns conjecturæ. Annulos habet in Musæo Magnus *Wormius*, qui nobis pro armillis sufficetent. Ipse fibulam æream baltheo infibulando aptam possideo, dono D. *Iacobi Matthiæ*, Episcopi Arhusiensis laudatissimi, Sororii mei honorandi, quæ in Cimbria eruta ejus ponderis est & magnitudinis ut maximiGigantis usibus dicatã nemo ambigat.


Ossium autem particulæ hinc inde productæ, certius nobis de Gigantibus præbent indicium, siquidem nec alterius animalis esse possint, nec in terra temporum diu-

diuturnitate aucta credamus. Calvam in Africa effossam ambitu suo duodecim spithamas æquasse refert *Magius*. Mola genuum in Ajacis cadavere disci magnitudine erat apud *Pausaniam*. Nullum ferè Musæum Giganteis dentibus caret. *Augustinus l. de Civ. Dei*, dentem molarem cujusdam in Vticensi littore vidit, & cum illo alij, tam ingentem, ut si in nostrorum concisus minutatim fuisset modulos, centum potuisset efficere. *Lud. Vives ibidem* D. Christophori dentem molarem pugno majorem describit. Vidi hujus nominis quamplurimos, sed partim equinos, partim bubulos, partim arte effictos. Certius igitur argumentum Canini erunt, qui cum mandibulæ parte in Cimbria nostra fuere effossi Anno seculi superioris 1561. in oppido Blandterob quum fundamenta Turris jacerentur. Maxilla hæc longitudinem unius ulnæ seu cubiti cum octava parte æquabat in universum, sed spacium alveolis dentium dicatum tres tantum quartas ulnæ assequebatur. Unicus dens caninus in Musæo Wormiano adhuc superest, qui per manus quasi possessorum postquam erutus, primo ad Gorrichium Ressuingensem, mox Episcopum Alburgensem M. Iacobum Holmium, deinde ad M. Christianum Iohannis ejus successorem, donec hujus dono ad Cl. *Wormium* nostrum transierit.

Dens iste longus est quatuor transversos pollices, crassus unum cum medio. Ex qua dentis

magni-

magnitudine, si juxta proportionem æstimanda sit reliqui corporis gigantæi magnitudo, quem-



admodum hunc calculum subduxit M. *Christianus Iohannis*, Mathemathum in hac Academia olim Proffessor, postea Alburgensium Episcopus, exsurget maxillæ circumferentia ulnarum $1\frac{1}{2}$ capitis $2\frac{1}{4}$ Ulnarum, colli unius ulnæ & trium quar-

quartarum, à summo vertice ad imum menti uln. 1 $\frac{1}{4}$ Latitudo inter humeros duarum ulnarum & dimidiæ. Auris longitudo $\frac{1}{8}$ ulnæ, latitudo $\frac{1}{8}$ ulnæ. Lingua lata $\frac{3}{16}$, longa $\frac{3}{8}$ ulnæ. Oris latitudo $\frac{1}{4}$ ulnæ. Pedis unius, ulnæ unius & quartæ partis ulnæ longitudo. Brachii extensi à supremo humero ad extremum digiti medii 3 $\frac{5}{8}$ ulnarum. Altitudo Gigantea circiter cubitos 9. seu ulnas nostras Selandicas. Respondet hæc dentis supputatio triplici ad hominem justæ staturæ proportioni; cujus plerunq; altitudo trium est ulnarum. Dentis hujus verò ad dentem hominis vulgaris proportio benè tripla est, si parci esse velimus. Regis Basani OG lectus, cujus fit mentio Deuter. 3. in longitudine tantum cubitos habebat novem, quatuor in latitudine; vero simile autem fit lectum capaciorem fuisse ipso Rege. Crurum ex gigantum corporibus magna ubiq; exstat varietas, ut & costarum. Vidi ossa crurum non pauca Melitæ, & in Sicilia, monstrorum gigantumq; olim feracissima, quæ vel ter nostra superabant.

Platerus l. 3. Obs. Lucernæ vidit ossa Gigantũ, ex quorũ proportione depingi Sceleton curavit decem & novem pedes longum. Ne animalis alicujus credamus ossa fuisse, præter procerã istam staturam nullo animalium generi convenientem, quatuor ossa invenit, quæ in homine tantum eã formã deprehenduntur, nempe pollicis os infimum,

mum, molam, calcis os, ſcapulas cum clavicula.

Historia XCIX.

Galli ovipari Anatome.

Gallus annoſus in Arce Regia Hafnienſi ovum reddidit minus ovo gallinæ, ſed columbino majus, oblongiuſculum, candida duraq; teſtâ & liquoribus ſolitis pellucidum. Aulici omnes ore uno comprobabant nullam avem aliam in illo gallinario ſuſpectum ovum reddere poſſe. Accedebat aliorum fides, qui ſæpius hujusmodi ova à gallis in urbe reddi aſſeverabant. Comparata huic ovo Centenina diverſitatem non ſpernandam monſtrabant. Illud majus, oblongius, & candidius, ponderoſiusq;, hæc rotunda, parva, ſubobſcura, & leviora comparebant. Unde quin Galli veri verum fuerit ovum dubitare non auſim, quum Maximo Regi imponere impune nec licuerit nec libuerit ulli. Placuit igitur clementiſſimè Sereniſſimo Regi, ut X. April 1651. gallum hunc oviparum in arce exenterarem, & interiora ſcrutarer.

Deplumato gallo, in abdomine aperto nullum aut uterum aut uteri analogon inveni, in quo aut ova conciperentur aut continerentur. Teſtes aderant humanis majoris, ſemine turgentes, hepati prope diaphragma vicini, & utrinq; venæ magnæ adjacentes, ex quibus vaſa deferen-

tia


tia ad caudam usq; deducebantur elegantiſſima, ſed anguſta, ſpeciem aſperæ arteriæ referentia. Caudam permeabant ad Proſtatas, ſupernè uropygio, ubi penis adhæret, appoſitas. Proſtatam ſiniſtram tantum habebat, dextra deficiente.

In ventriculo carnoſo ſaburra reperta. Vaſis deferentibus incumbebat Rectum inteſtinum, ad anum deſinens, nec alia via patebat ulla.

Ubi autem concipi formatique ovum in gallo potuerit, videre acies oculorum nequivit, nec qua via redderetur, niſi vel ventriculum vel inteſtina eligamus. Ouropygion ineptum, & ventriculus carnoſus ſalebroſus auguſtuſq;. In inteſtinis nihil comparuit quod ſuſpicionem augeret. Suſpicatur quidem *Aldrovandus* ex putrido ſemine ovum galli conflari; ſed ſi viam quæramus, qua in inteſtinum ſemen perveniat, juxta hæret. Dicerem Proſtatam deficientem in ovi hujus generatione abſumptam fuiſſe, niſi multa obſtarent: Mobilis enim non eſt, ſed loco fixa, & uropygion ſanum. Quanquam vel maximè vinculis fingamus ſolutam, quo modo inteſtina pervadet. Si aliquid in re obſcura divinandum, ſiquidem de ſuppoſitione certi ſimus, ſuſpicarer à copioſiſſimi ſeminis vaporibus ex teſticulis ad inteſtina per vicinos poros patulos exhalantibus ovum conceptum fuiſſe, & per anum redditum. Seminis enim retenti magna vis, & fumi ad reliquum corpus evaporantes, tantum per

poros

Fig. I.



pores valent, ut totam corporis temperiem immutent, ut in Eunuchis, & castratis, & acerbissima symptomata inferant virginibus illisque qui diu Venerem hahuerunt iratam. In ventriculo vel intestinis formari posse, aliqua habeo indicia. Nam tam hæc & ille semen complecti possunt & calore fovere, quam uterus, qui nudi recipientis rationem habet. Extat hujus rei exemplum apud *Salmuthum* Cent. 3. Ob. 94. de femina, sutoris uxore, quæ fœtum in ventriculo conceptum per os enitebatur. De intestinis vix dubitarim, quum in hoc gallo rectum intestinum in fine fuerit tumidiusculum, ubi increverat ovum. Testa externo frigori debetur, vel internæ causæ condensanti. Nam ova gallinacea testâ suâ munita in corpore aliàs sæpe deprehendi, antequam essent reddita. Nec huic conjecturæ desunt exempla. Visum enim ovum per alvum excretum, de quo *Hist.* 4. *Centuriæ* Primæ, diximus. Et fœtus in intestino Tursionis mihi visus.

Dissectioni hujus Galli ovipari præsens erat D. *Simon Paulli* Anatomicus Eruditissimus, qui elegans ipsius Galli sceleton Regio Musæo, verè Augusto, postea submisse dicavit.


HISTORIA C.


Abscessus in musculo pilosus.


MIles præsidiarius quidam in Castello Hellesponti Danici 1649. cum uxore sacra usurus

ſynaxi, ut feſtum majori celebraret ſolennitate, ex carnario bovinæ carnis fruſtum ex Glutiæo muſculo deſumptum, emerat ſaleque per aliquot dies maceraverat. Quum coctam carnem menſæ ſuæ imponeret, diſcindere particulam nequivit. Diligenter igitur refectis mollioribus, exemit duriuſculum quoddam corpus cultria ciem eludens. Folliculus erat profundè carni immerſus in quo crines rubri variè impliciti latebant. A ſagis inductum miles credebat. Cæterum in quavis corporis parte quum pili generari poſſint præſente materia apta & efficiente, cur de muſculis dubitamus? Multa fateor Dæmonum præſtigiis ſimillima inducuntur corporibus, quemadmodum ſupra Cent. 1. Hiſt. retulimus, & ampliorem fidem faciunt *Aug. Thonerus*. Lib. 4. Obſer. Medic. Obſer. 1. de Mal. *Hier. Iordanus* de eo quod in morbis eſt Divinum, *Ioan Guiotus* in Hiſt. puellæ Catharinæ le Blanc, aliique: Cæterum cavendum ſedulo, ne Naturam Diabolo ſubjiciamus, aut inſolita omnia cauſæ ſupra Naturali adſcribamus. Folliculum cum carne indurata monſtravit mihi Cognatus meus honorandus D. *Petrus Ionas Chariſius*, nomine Sereniſſimi Regis Danorum apud Belgas Fœderatos nunc Reſidens.





Fig. 2.
d
d
A
b
b
c
c
c
c
c
c
c
c


Fig. 3.
c
b
d
d
e
e
e
e


Fig. 4.
c
c
a
b
b
b
b
b
b

Pag. 147.

Fig. 5.



THOMÆ BARTHOLINI

HISTORIARUM

ANATOMICARUM RARIORUM

CENTURIA SECUNDA.

Historia I.

Orbis Piscis Anatome.



Rbem piscem utriusq; sexus verno tempore in portu Hafniensi frequentem, & multorum mensis expetitum, non semel 1649. exenteravi. *Gesnero* lepus vocatur marinus, qui appictâ figurâ non male piscem expressit. *Clusio* in Exot. orbis ranæ rictu. Danis nostratibus Steenbiid mas, femina Quapsøe. Islandis Romaffve/ à colore ventris, cui alga rubra adhæret.

Differunt inter se mas & femina 1. *Magnitudine*. Ille minor, hæc & major & crassior. 2. *Colore*, obscurior hujus est cutis, clavis albicantibus & ad nigrorem declinantibus aspera, circulusque sub mento pallidior. Illius contra clavi ad rubo-

rem accedunt cum eodem circulo. 3. *Vasis* generationis postea explicandis. 4. *Carnis* consistentia, huic flaccidiore, illi solidiore. Unde ad cibum delicatioribus expetitur ille, decemque assibus venit, hanc vix duobus solidis dignum pauperiores emunt. 5. *Hepar* fœminæ pallidius, mari rubicundius & miniaceo colore eleganter conspicuum.

In utroque observatione digna fuere:

Ventriculus bifidus infinitis vasis Gastricis stipatus. Intestina gyris innumeris, sicut in terrestribus, circumvoluta. Mesenterium meseraicis vasis refertissimum; & lacteis candicante succo turgentibus, quæ glandulam lacteam hepati vicinam transeunt, videnturque prima fronte in tertium hepatis lobum molliorem ingredi, quod figura in *Anatome* mea *Reformata* adumbravi. Incisæ venæ scalpello, & ipsa glandula candicans, candidum succum abundè suppeditant. Quæ ad oculum demonstravi præsentibus Anatomiæ Peritissimis Viris D. *Olao VVormio*, D. *Otthone Sperlingio*, D. *Simone Paulli*, D. *Henrico Fuirenio*, D. *Ludovico Pouchio*, aliisque.

Intestina ipsa in sterquilinium abjecta, cum reliquo exenterati piscis corpore, semi putrida in tenebris splendent, fulgoremque vicinis reflexione communicant, humore lucente digitis adhærente, quo lucernæ vice utebatur famulus noster.

Vesica renum infernæ parti cohæret, altera

parte

parte peni & inteſtino recto, vel pudendo feminino. Penis pergit ad cavitatem quandam, quæ in lactes deſinit, ſicut pudendum femininum ad ova. Uterus venis donatus plurimis.

Hepar maximum in ſiniſtro latere, in dextro minor lobus. Maribus color croceus & miniaceus, feminis pallidus. Si contundatur in adipem largum reſolvitur.

Appendices ventriculi multæ, curvæ, chylo plenæ, & circulari tractu ambientes duodeni principium.

Diaphragmate pertuſo cor apparet inter mediaſtinum, & branchias, quarum ſeries ordinatas ingreditur arteria ex corde ſimplici, diviſa ſuperius in duos ramos, utrinque unum, qui iterum in alios ſurculos diviſi ad extrema uſque fila branchiarum punctatim deferuntur.

Exortus ſpinalis medullæ in cerebro bifidus. Circa initium calamo ſcriptorio incumbit corpuſculum variis venulis, ut rete mirabile inſtructum. Succedunt duo cerebri corpuſcula rotunda majora medio loco, ante quæ duo alia tenuiora viſuntur. Si invertatur, ſubjacent alia duo corpuſcula, cerebelli inſtar, quibus remotis, in corpuſculis mediis ſuperioribus duo ventriculi rotundi videntur inſculpti, cum plexu Choroide elegantiſſimo & ſubtiliſſimo. Ex medio horum foramen in calamum ſcriptorium tendit. Ex duobus mediis oriuntur nervi optici magni infra anteriora corpo-

ra reptantes. Deinde ex latere ſuperiore nervorum duo paria ad ſupernas oculi partes & palpebras diffunduntur. Ex poſteriore corpore oritur unum par intra caput diſſeminatum. In anteriori cerebro nervi ſunt olfactorii, quam reliqui obſcuriores, veſtiti membrana variegata, qui in narium foramina deſinunt.

Spina dorſi à dextris ſecta habet medullam membranæ variegatæ incluſam. Verſus ſiniſtram ampla vena ſpinam percurrit, per ſingulas vertebras ramulum trajiciens, & dividitur in duos ramos, ampliſſimus unus ad caudam deſcendit, alter ad latera anteriora. Exiles nervi totidem prodeunt, quot vertebræ. Vena inferior ſpinæ circumvallatur cartilagine, medullæ inſtar.

Tres dentium ſubtiliſſimorum & acutorum ſunt ordines. Non igitur caret orbis dentibus, ut tradit *Geſnerus* & *Schonweldius* in Piſc. Balthicis, nec aſperum, ut ferunt habet palatum.

HISTORIA II.

Vituli ſceleton ex utero vaccæ.

IN Bubili M. *Ioh. Huſwigi*, Paſtoris Fridericiburgenſis Reverendi 1649. evanuit vaccæ domeſticæ geſtationis onus, cunctis ſtupentibus, finitiſq; conſuetis menſibus ſubſidit abdomen, nec vitulus uſquam viſus. His tractu temporis oblitis,

macta-

mactabatur in usum culinarium vacca, inventaque sunt in vulva vaccæ ossa omnia vituli exsicca & omni prorsus carne spoliata, quorum maximam partem ad me misit frater charissimus M. *Alberthus Bartholinus*, in Musæo meo adhuc monstrandam. Caro dubio procul vel per putredinem absumpta fuit vitulo mortuo, vel si gravia symptomata metuimus, per vulvæ calidioris exsiccationem.

HISTORIA III.

Silex in musculo bovino.

QUum in Regio Armamentario Hafniæ ex annona militari nautis distribueretur caro bubula, quidam ex illis famelicus domum reversus in frustulum incidit, quod cultro perrumpere non potuit. Pars musculi Glutæi majoris fuerat. Quo minus autem cultro pateret, obstitere duo silices oblongiores, in musculo parum à se invicem distantes suaq; membrana inclusi, quorum unus pyramidalis extrema parte acutus, altera obtusus, alter sine angulo. Uterque durissimus nihil à vulgari silice differens. Quomodo interiorem musculi substantiam pervaserint, cum ignorantissimis juxta ignoro. An lapsus bos circa littora silices clunibus intruserit? An ibi generati? Certè rarenter in animalibus silices reperiuntur, quan-

quam calculi alii in quavis parte animantis & nati ſint & inventi, in muſculoſa tamen ſubſtantia hactenus non viſi. Dolum ſubeſſe Nauta ſuſpicabatur, ut pondus carni ab Annonæ ſtructore augeretur. Alii ſuperſtitioſi in omen rem inſolitam vertere. Sed nec dolo nec arte nulla impactos carni fuiſſe ſilices, tunicæ indicant ſeu folliculi quibus incluſi ſunt, & ſinus carni inſculptus ad accuratam ſilicis magnitudinem, ut Abſceſſus ſingularis ſiliceus nominari poſſit. Ipſos ſilices videndi cupidis Muſæum Wormianum monſtrabit. Memini *Io. Dom. Salam* Patavii retuliſſe mihi, calculum in muſculo ani in fiſtula extractum à ſe eſſe, ab aliquot annis ibi latentem.

HISTORIA IV.

Singultus IV. *annorum.*

AUſtriacus Juvenis annorum XIX. poſt febrem in ſingultum incidit continuum æqualemque, qui quatuor annorum ſpatio tam illi fuit moleſtus, ut & prandia & ſomnos interpellaret. Tanto ſtrepitu ventriculus ad ſingultum movebatur, ut canis latrantis inſtar à tranſeuntibus in vico exaudiri potuerit. Viſus nobis fuit Patavii 1643. perſæpe, quo ſanitatis cauſâ venerat, ut curæ artiq; *Io. Dom. Salæ* Patavini Profeſſoris & Practici feliciſſimi, quem in Praxi ducem tum ſequebamur,

ſe committeret. Habitâ de raro affectû Conſultatione, judicata fuit cauſa vel materia acris, bilioſa ex capite totove corpore continuè defluens ad os ventriculi, vel tumor aliquis ventriculo incumbens, quia in perpetuo ſingultu cauſa æqualis permanens quærenda, quum nihil aliud in excretis videretur. Juvare poſſent ſpinæ dorſi introrſum vergentes, prementeſque os ventriculi. Omnia longâ Methodo ad extirpandum affectum adhibita, quæ non vacat jam recenſere, nil quidquam profecerunt, niſi quod ſomnio mane levatum ſe ſenſerit.

HISTORIA V.

Fungus in Pede.

R. P. Antonius Brigandus Meſſanenſis, Soc. Jeſ. Neapoli 1643. tumorem in dextri pedis digito ſecundo habuit cum dolore ingenti. Præmiſſa Uſtione lenta per filum, cauſtico aperuit tumorem *Marcus Aurelius Severinus*, alter Chiron, hoſpes tum meus. Confeſtim prodiit fungus rotundus, circularis umbellæ inſtar, cum pediculo ſub viridi ac marcido, quo indies ante creviſſe videtur putridâ materia attracta. Dura illa materies, & apprimè oſtracoſâ radices quàm plurimas reliquit, quæ ſalutem remorabatur. Fungoſi pedunculi extremum in tendinem qui digitum indi-

cem attrahit, altè erat defixum, unde cruciatus homini. Preterea cum os indicis medium contritum fuerit languore longo, nunquam tamen cõparuit ſegmentum ejus, quaſi in atomos inviſibile abiiſſet. Curatum deinde ulcus vidi, & ſequenti anno convaluiſſe, ſed ob defectum articuli digitus ſecundus contractus manſit.

HISTORIA VI.

Fruſta carnea ex collo uteri & veſicæ decidua.

Attrita Puerpera Holſatica duorum dierum conatibus propter partium pudendarum tumorem, & vires deficientes ab incepto deſiſtere coacta, impoſitis ſacculis tumori, & cordialibus hauſtis, quieti & ſomno redditur. Sequenti mane fœtum jam mortuum tam feliciter enixa eſt, ut nulla ope indiguerit. Fœtus autem à manibus imperitæ obſtetricis in bregmate & pone aures miſerum in modum laceratus totuſque tuberoſus, ſuſpicionem ingeſſit D. *Paulo Mothio*, qui in auxilium commodè vocatus erat, puerperæ genitalia, de quorum extremis doloribus ſæpius conquerebatur, & fœtorem nec obſtetrix nec adſtantes ferre poterant, miſerè quoque eſſe lacerata. Speculo igitur uterino quum uteri collum dilataſſet

Vir arte & manu promptissimus, totum uteri collum sphacelo infectum deprehendit, urinamque perenni fluxu manantem. Hinc ferro primo aufert quæ sine doloris sensu poterant, deinde gangrænæ sedandæ & à sana parte separandæ medicamentis incumbit. In quibus dum per septem dies solidos persistit, non solum purulenta fœtidaq; materia, sed integra frusta graveolentis carnis ex uteri collo prodeunt, quorum nonnulla drachma tres, duas, pluresque pendebant. Ex superiore colli vesicæ parte, quod inprimis notandum, separatum quoque fuit frustulum carnosum,



cui hinc inde lapilli minoris pisi magnitudine rotundi & glabri, suis alveolis seu sinubus eminentibus inclusi liberè infixi conspiciebantur, quod cum reliquis exsiccatum mihi monstravit Vir laudatus, & hic cum calculis exprimi curavi. Tandem

dem his separatis, per mundificantia & sarcotica tam benè desperata Mulier convaluit, ut decursu annorum duorum in utero rursum conceperit. Observavit præterea in hac puerpera D. *Mothius* cathatere in ductum urinarium, digitoque in uteri vaginam immisso, inferiorem colli vesicæ partem cum parte ipsius vesicæ sphacelo absumptam.

HISTORIA VII.

Thoracis Hydrops ejusque Anatome.

THomas Cartier, Notarius in Prætorio Parisiensi, annos natus 57. temperamento sanguineo bilioso, vergente ad atrabilarium, Vir probus & ingeniosus, laborabat tussicula & febricula: Utrumque symptoma adauctum in eam magnitudinem, ut coactus fuerit decumbere. Febris nocturna gravior cum anhelitus difficultate penè suffocante, dolor etiam per intervalla acutus ad latus sinistrum supra regionem lienis. Tumor pedum neque die neque noctu desinens. Adauctis omnibus symptomatis successit febris aucta, continua, maligna, quæ hominem è vivorum numero ante septimum diem sustulit. Quatuor mensibus ante mortem, erat planè ἀσφυκτος. In dissecto cadavere deprehensæ sunt in toto thorace fluctuantis serosi humoris putris & graveolentis Libræ

bræ Parisienses decem: Pulmo totus putrilaginosus, præsertim in parte sinistra. Lien quoque majore sui parte putris & fœtido ichore plenus. Ἀσφυξίας nulla alia deprehensa fuit causa, præter decem aut duodecim grumos sanguinis crassi, nigri, concreti, collecti & stabulantis in ipso ductu aortæ prope Cor.

Obiit Parisiis Mense Octobri 1645. me præsente, sicut testis mihi est *Guido Patinus* Doctor Parisiensis summæ Eruditionis, cui hoc aliisque nominibus plurimum debeo.

HISTORIA VIII.

Partus Cæsareus Mirabilis.

IN civitate Sardam Belgii taurum rufum 1647. quidam colonus Jacobus Egh alebat in pascuis domui vicinis alligatum. Hic à pueris irritatus, rupto vinculo, ad vaccas confugit. Armentarius baculo ad vincula & locum pristinum reducturus nil efficit, unde hamo nautili arrepto caput & nares vulneravit, aliisque verberibus prosequutus est. Irritatus Taurus hominem cornubus petiit, totoque in illum impetu facto humi prostravit. Uxor coloni uterum postremo jam mense gerens, viso mariti discrimine, alio hamo suppetias latura accurrit. Taurus relicto Viro sauciato ad uxorem conversus, illam cornu sublatam in aëra jaculatur

ad

ad altitudinem unius contignationis, ventremque prægnantem dilacerat. Prodit illicò, ex vulnerato ventre, fœtus cum secundinis, & in locum dissitum uliginosum projectus cecidit. Ab obstetrice domum delatus, diligenter curatus & 1. Sept. nomine Paterno baptizatus superstes fuit. Parentes verò qui vitam dederant, ut hic nasceretur, mox defunguntur. Taurus ipse cruentus jussu Magistratus 2. Sept. occisus, eodemque loco humatus, quo duos enecaverat.

In ædibus delati Pater Materque à D. *Ireton* Anglo & *Iano Bernhardi Peg* visi fuere. Viro duo scapulæ ossa fracta, prope Acromion seu spinam scapulæ, ut & ultima costa vera prope spinam. Vulnus supra hypochondrium sinistrum, & in inguine. Contusa facies, dorsum, alæ, nates & altera linguæ pars. Septima colli vertebra intrusa, totumque penè corpus sine sensu sine motu. Quanquam athleticus ipsi fuerit habitus, 36. tamen horis inde tot calamitatibus pressus mortuus est.

Mulier ab osse uno Ischii ad aliud vulnerata, per os Pubis ad figuram lunæ falcatæ. Sub cute & peritonæo vulnerato aliud magnum vulnus in utero transversos digitos duodecim longum observatum, ex quo infans sanus prodiit. Uterus tamen intumuerat post partum hunc Cęsareum, qui tamen detumuit & contractus est, ut orificium vix tres digitos caperet. Sanguis per hoc spacio 12 horarum fluxit, deinde à sanguine grumoso & in-

indurato obſtructum cernebatur, unde ſurſum adſcendens ſanguis cauſa fuit & nauſeę & vehementis vomitus tam ſanguinis quam aliorũ excrementorum. Inteſtina tenuia omnia nuda, ſed illæſa, nec tumida initio, ſed læſo meſenterio foris prodibant. Obſervatus quoque veſicæ ſphincter læſus, urinam præter voluntatem emiſiſſe, uteri præterea ligamentum membranoſum in anteriore parte ruptum. Mulier ipſa texturæ ſubtilioris ab accepto vulnere horas 4. ſupervixit.

Infans editus ſanus, quanquam labium ſuperius, & abdomen tumidiuſculum paucis maculis cœruleis diſtinctum eſſet, diligenti cura vires cum ætate ſumpſit.

Annales Belgici partum non abſimilem poſteritati prodiderunt. Quum enim Spinola ſtrenuiſſimus Hiſpanorum Dux urbem Bergopſomatem obſidione arcta cinxiſſet, mulier quædam extremo menſe gravida, ad hauriendam aquam egreſſa, ictu tormenti in duas partes fuit diviſa; quarum infima in aquam vicinam deciderat. Adſtantes infortunio iſto viſo, accurrunt, videntq; puerulum ſponte ſua ſe motitantem intra materna viſcera, extrahunt & in caſtra Don Cordua deferunt, omnique cura cuſtodiunt, inde tandem Antwerpiam delatum Infans Iſabella baptiſmatis fonte immerſit, nomenque patris Centurionis Alberti Ambroſii impoſuit.

Vixit Lutetię Pariſiorum Chirurgi uxor, quum

ibi degerem, cui quater & amplius partus ex ventre fuit excisus nullo relicto detrimento. Certè commoda hæc esset via, præsertim arcto nimis uteri orificio, & debili embryone, si statim sector integris adhuc puerperę viribus advocaretur. Sine ullo periculo administrari operationem rationibus & exemplis demonstrant *Roussetus* & *Raynaudus* de Part. Cæsario.

HISTORIA IX.

Anatome Aneurysmatis.

NEapoli quidam 1644. Mense Martio, me ex Sicilia reduce, quum venam sibi jussisset secari, arteriæ passus est incisionem. Sequutum Aneurysma, quo neglecto, abscissum brachium. Visus illo abscisso magnus arteriæ hiatus adhuc versus alias superstitis. Brachium detruncatum ad ædes M. *Aurelii Severini*, Chirurgi Celeberrimi, delatum cum D. *Ioanne van Horn* itineris tum mei comite, nunc Anatomico Leidense peritissimo, dissecuimus. Vix aperta scalpello cute, sanguinis exivit copia nigri, sed tenuioris. Mox obviam habuimus amplissimo spacio inter musculos facto sanguinis crassi & in grumos concreti largiorem quantitatem, quæ extra naturale vas effusa (sive post ligaturam) necessario computruit. Ad arteriam secandi ordine digressi, ruptam eam vidimus


mus & in frustula nõn exigua ita divisam, ut per partes exsiliret., ea tantum parte integra quæ inferiori loco sita puncturam effugerat. Nec alia venæ condicio, quæ nusquam apparuit. Tandem arteria à brachio separata nihil sani ostendit præter subjectam partem, quæ utramq; tunicam illæsam servaverat. In sana autem arteriæ parte sinus videbatur, quem valvulam credidi, sed exitus nullus, nisi ostiolum putredo absumpserit, sicut abradientibus nobis visum. Fusè actam rem exposui singulari Historia de *Aneurysmate* Panormi edita.

Historia X.

Equus Cornutus.

IN stabulo Regiæ Arcis Hafniensis Equus generosus visitur, cui ex helice utriusque auriculę externę cornu enascitur, simile calcari gallinaceo, incurvum, & externa facie splendorem perlarum exprimens. Cuti adhæret firmiter, cum quo movetur. Singulis subinde mensibus, præsertim si malè habeat equus, decidit, interdum tertio quoque mense, deinde iterum sensim excrescit aliud. Crassius plerunq; est sinistrum, ubi circa radicem observare est modus accretionis per appositionẽ. Cavum interius, inter elegantissima cornua meritò numerandum. Duo hujus cornu genera mihi indigno dedit dignissimus Septentrionis nostri Monarcha, Fridericus III. Rex ad exem-

plum Regum natus, quorum iconem hic exhibeo.



Rarior in equis cornuum proventus. Cornuti enim plerunq; melancholici sunt & timidi, siquidem rectè à melancholica superfluitate originem & Exostoseos & cornuum repetunt *Galenus* & *Ingraßias*. Describit tamen *Nierenbergius* l. 7. Hist. Nat. c. 2. equum Cornutum in aula Hispanica Regis Philippi. In stabulo Principis Stiliani similis quoque visus *Allatio*, & Neapoli *Elisæo*, sicut ipse mihi narravit præsens. Præterea in Technicotheca verè Regia Serenissimi Regis nostri visitur Cornu equinum crassissimum, frustulo Unicornu densiori haud absimile.

HISTORIA XI.

Sirenis seu Marini Hominis Anatome.

DE Sirenibus varia veterum monumentis tradita extant. Falsa illa partim, partim vera. Haud procul fabulis est, quod voces humanas dixerint imitari. At humana facie belluas in mari repertas nolim dubitare. Nolo compilare antiquorum scrinia. Plena de Sirenibus sunt. Inter Recentiores hoc argumentum sparsim tractarunt *Scaliger* in l. 2. Hist. Anim. t. 108. *Rondoletius*, *Licetus* de Spont. Viv. ort. *Marcus Marci* de Ideis, *P. Boi-*

stuan

ftuan Hift. Gall. Prod. T. 1. c. 18. Enchuyfæ in Hollandia depicta vifitur figura cujufdam Sirenis vi aquarum ad littus olim rejectæ. In ore vulgi noftri eft, captam & in Dania Sirenem, loquentem, futura prædicentem, & netricem. Pater Societatis Jefu ex India Romam redux, ibidem vidit hominem marinum mitra Epifcopali ornatum, qui captivitatem trifti facie in angulo proximo ægrè tuliffe, demiffus verò & mari redditus corporis fui inclinatione pro libertate reddita bene de fe merentibus gratias videbatur egiffe, antequam aquis fe mergeret, quod narrare folebat *Corvino* feniori, ut mihi filius Romæ retulit.

Pifces in Oceano inveniri animalia terreftria quadam fpecie referentes, certum eft. Adeft vulpes marinus, lupus, vitulus, canis, equus, &c. Cur effigiem humanam marinis monftris denegabimus? Certè & in terra fimiæ funt, quæ rationis expertes & formam externam hominis & geftus exprimunt. Omnia hujufmodi marina monftra ad Phocarum genus referimus.

Seculo quod terimus, prope Brafiliam à mercatoribus Societatis Occidentalis Indiæ captus fuit homo marinus, Leidæque à *P. Pavio* præfente *Io. de Laet* amico meo dum vixit magno, Americanarum rerum & Naturæ fcientiffimo diffectus. Caput pectufq; ad umbilicum ufq; humanam præ fe ferebat fpeciem, ab umbilico verò ad extremos pedes, informis erat caro, fine caudæ figno.

Ne lectori imponere videar, in Musæo meo inveniuntur & manus & costæ, quæ laudati Latii debeo humanitati. Utriusque iconem cum ipsius Sirenis tam erectæ quam natantis imagine apponimus, ut omnium dubietati satisfaciamus.

Manus quinque digitis constat, sicut nostra, totidemque articulationibus quot nostra, sed id singulare quod ossa omnia digitorum sint latiora & compressa, & digitos invicem membrana conjungat, quemadmodum in volatilibus, ut ansere, anate, &c. quæ explicato pede se in aquis promovent. Duorum digitorum mediorum extremitas latior, extremorum verò acuta. Radius cubitusque ob natandi commoditatem valdè curtus, vix quatuor digitos transversos longus. Nec amplior humeri ductus. Costæ longæ satis & crassæ, humanas vulgares tertia parte ferè superantes.

Ex costis globuli tornantur, præsens hæmorrhoidum doloribus remedium, quod experientia laudatus *Latius* observavit. Corollæ quoque ex ossibus hujusmodi Phocæ Romam delatis carpo applicitæ, hemicraniam sedant & vertiginem, quę recurrit si deponantur, referente mihi Equite Illustrissimo *Caßiano à Puteo* Romana purpura dignissimo. Idem *Puteus* Eques iconem in Musæo suo mihi ostendit Sirenis, quæ paucis retrò annis ad Melitense littus appulit. Hispano quodam narrante, in India visæ Sirenes membra genitalia muliebria habentes, humanis æmula, ut piscato-

res

res jurejurando Magistratui se obstringant, ne corpora cum illis misceant.

Bernardinus Ginnarus l. 1. c. 9. de Indico itinere, edit. Neap. 1641. refert, in flumine vasto Cuama prope caput Bonæ Spei, videri Sirenes, quæ media parte superiore formæ humanæ sunt similes, h.e. capite rotundo, sed immediatè thoraci juncto sine collo, auribus nostris planè similes & oculis, & labris, & dentibus. Mammillas pressas subinde candidissimum lac emittere.

Differunt hæ Ginnari Sirenes ab hominibus terrestribus 1. Naso. Nam illæ licet ambas habeant nares, longius tamen foras prominent. 2. Brachiis, quæ longa sunt duos cubitos, nulla cubiti distinctione aut manuum aut articulorum, ad solum nutum apta. 3. Sub cinctura seu diaphragmate loco pedum, duæ caudæ piscium hinc inde in aquis disparguntur.

De his Piscibus testatur *P. Sacchias* p. 2. lib. 4. n.276. quod 16. fuerint capti à piscatoribus Anno 1560. in mari Insulæ Manariæ, septem mares & novem femellæ. Hos accurato studio observarunt P. Enricus Enrici Soc. Jes. & Medicus Pro Regis de Goa, qui virtutem dentium & ossium eandem repeterunt, quæ est in Hippopotamo.

Idem *Ginnarus* l. 1. tom. 1. c. 13. repertam etiam Sirenam prodidit in Japponiæ Oceano, sed tectam carne humana, molli & alba, non squamis: Extractam ex rete & aquis, voces flebiles emi-

ſiſſe ad morem feminarum, quendamque commiſeratione commotum gladio illam transfodiſſe.

Tanta de Sirenum forma apud antiquos recentioreſque differentia eſt, ut mirum non ſit pro figmentis haberi quibuſdam. Nos oculatas manus habemus, Sireneſque tales demonſtramus, quales revera viſæ. Nec manus aut coſtæ fallunt, quarum icones dedimus, ad ipſam naturæ veritatem confectas.

HISTORIA XII.

Carnes in macello lucentes.

Circa veris initium 1641. Monſpelli mulier quædam, quum emptam carnem ovillam in carnario propter alia negocia adhuc calore congenito fumantem coquere diſtuliſſet, in tuguriolo ſuo ad ſequentis diei uſum ſuſpendit. Nocte excuſſo ſomno oculos graves huc illuc circũducens, carnem ſuſpenſam media jam & intempeſtâ vigilia in obſcuro cubiculi angulo ita vidit lucentem, ut totam, qua ſe diffundebat, cellam illuſtriſſimo lumine repleret. Solem in tenebris mentiri videbatur, illique ſuccenturiatas operas præſtare, donec qui adverſa veſtigia nobis premunt ad ſuperos eum remitterent. Attonita muliercula æternos ignes vel defuncti manes in bruto latitan-

tes, milleque rerum ſpecies dubio animo volvebat. Modo defraudatum genium querebatur, modò ædiculas pauperrimas vel miraculo illuſtres vel perpetua lucerna auctas ſperabat. Res ad vicinos ſummo mane delata certam ſtupendi miraculi fidem fecit. Hinc ad omnes perlata fama deſiderio videndi cunctos pari ſollicitudine excitabat. Portiuncula autem lucens ad Principem Henricum Borbonium Condæum, Provinciarum iſtarum Chriſtianiſſimi Regis nomine Gubernatorem allata.

Lux effulgens non ignea erat, ſed alba, ſtellarum pallidarum inſtar, nec æqualiter totam carnis pinguedinem irrigabat, ſed hinc inde velut gemmæ lucentes inæquali ſplendore diſperſa. Tempus durationis cum putredine terminatum, cui lux ſenſim extincta ceſſerat. Et notabant religioſi oculatiores in lucis hujus declinatione formam ejus in crucis ſanctæ acumen paulatim expiraſſe & deſiiſſe, quod ſicut pro comperto non habeo, ita quin ex lucis natura fieri poſſit, nullus ambigo; ob radios enim ſcintillantes crucis forma imperfecta non malè exprimitur. Extincta luce tantus per putredinem accedentem ſucceſſit in carne nigror quantus ante ſplendor.

Eadem lux eodem tempore omnem in macello carnem tam bovinam quam ovillam illuſtrabat, & alia animalia ad ollam deſtinata, quod diligenter apud ſingulos inquilinos inquiſivi, ſicut teſtabun-

tur qui mecum erant *Casp. Bartholinus* Junior J. U. D. frater chariſſimus, *Iacobus Sena* Belga Med. D. *Samuel Collinus* Anglus Med. D. & alii complures. Cauſa luminis ex inſito naturæ principio petenda, non putredine. Non enim quævis putrida ſtatim lucent, ſed illa tantum quæ innato lumine abundant. Putredo verò externæ cauſę induit rationem, quia diſſolvendo totum, lumen ex carceribus ſuis prodit viſiturque. Innatam autem omnibus rebus, tam vegetabilibus quam animalibus lucem eſſe, Libris Noſtris de *Luce Animantium* evicimus.

HISTORIA XIII.
Cornu in latere ovis.

IN Equili Sereniſſimæ Reginæ Danorum Dn. SOPHIÆ AMALIÆ, præterito anno vidi cum aliis amicis ovem feminam cui in dextro hypochondrio circa coſtas ſpurias ex cute propēdebat cornu prægrande, ſpithamas duas longum. Circa radicem tanta amplitudo, ut vix expanſis manibus cōprehendi potuerit. Color corneus inſperſis hinc inde nigricantibus maculis. Durities in cornubus conſueta. Circa exortum tamen mollius, & tactui cedens, quaſi cavitate ſua aliquid contineret, unde ſtabularii inteſtina ibidem recondi crediderunt inſtar Herniæ. Figura pyramidalis, obtuſo extremo. Creſcere videtur & auge-

ri, quia laminas habet deciduas. Cuti adnatum huc illuc movetur, propendetq; ponderosum non sine animalis molestiâ. Aliquoties agnellos pepererat, nuperque duos sine cornubus. Attrito fortè cornu circa radicem, ruptoque, mortua est. Anomalus hic tumor erat quem *corneum* vocarem.

HISTORIA XIV.
Phtisis sine extenuatione corporis.

JUvenis quidam annorum XXVI. Episcopo Patavino à cubiculis, temperie corporis calida & humida ante annos sex Pleuriticus, soluta per suppurationem inflammatione membranæ, sputum expuit purulentum & tam fœtens ut adstantes posset inficere, cum tusse vehementi sed sine dolore, cui periodicus miscetur sanguis. Febris lenta adest, à prandio & cœna ingravescens. Cæterum, quod communem Phtisicorum excedit sortem, corporis habitus invalescit & carnosior indies evadit, ut etiam Roma cum Episcopo reversus vestimenta arctissima sibi deprehenderit, usibusque suis sine augmento inidonea. Consultus super hoc affectu. *Io. Dom. Sala*, quem Senem per aliquot tum annos in Praxi sequebamur, duas nobis dabit rationes, cur more Phtisicorum non contabuerit corpus, quod 1. Naturalia viscera optimè sint constituta, ut nutrimentum copiosum corpori subministrent, largiorem enim cibum po-

tumque & appetit & facilè concoquit, 2. Firmior corporis conſtitutio tam citò aut cedere Phtiſi aut diſſolvi neſciat. Hinc interdum cibo & potu per annos pluſculos abſtinentes, ob robur corporis non contabeſcunt, imo animalia pingueſcunt.

HISTORIA XV.

Adeps in Cavitate Thoracis.

GEneroſus Vir nocturno tempore in platea Hafnienſi 1651. gladio per latus dextrum transfixo occubuit. Sequenti luce vulneris profunditatem inveſtigaturi Medici & Chirurgi urbis conveniunt. Quartam coſtam acie gladii transverſim diviſam, & pulmonis parenchyma pertuſum obſervant vulnere ſupra cor tranſeunte. Inter pleuram autem & ſiniſtri lateris pulmones dependebat ab axillis magna pinguedinis copia, ordine longo ſecundum rectum thoracis ſitum diſpoſita, pulmonibuſque impoſita. In adverſo latere pulmones fibris thoraci alligabantur.

HISTORIA XVI.

Anatome Xiphiæ.

CAptam in portu Hafnienſi Xiphiam in ædibus Amantiſſimi fratris mei *Bartholi Bartholini* Eloq. P. Regii, 1651. cum D. *Fuirenio* Conſobrino diſſecabam. Femina erat & ſatis vaſto

corpore.

corpore. Icones hujus piſcis exhibet *Geſnerus*, ſed rudes, quia ipſum nunquam viderat. Meliori colore depingunt *Aldrovandus* & *Ionſtonus*, ſed nec ipſi accuratè ſatis omnia. Omnes in cauda peccant, quæ lunata eſt ſeu ſemicirculari figura, ſicut optimè *Bellonius* deſcribit, & roſtrum inferius nimium protendunt, quod curtum eſt. Roſtri deſcriptionem accuratam tradit ex ſceleto ſuo *Io. Cajus* apud Geſnerum, nec in eo occupabor, quia copia illius paſſim haberi poteſt. Noſtrum ad reliquum corpus comparatum, velut tria ad novem erat.

Aliarum partium deſcriptionem, quæ curioſo Naturæ indagatori ſatisfaciat, fruſtra ſeu ab *Aldrovando* exigas, ſeu *Geſnero*, uterque enim aut aliorum fidit relationibus, aut exſiccatum piſcem contemplatus eſt.

In variis aliis partibus errarunt tam antiqui quam novitii Naturæ Interpretes, quod breviter monendum exiſtimavi.

1. *Ariſtoteles* fellis veſiculam inteſtino committi affirmat, quæ tamen hepar longo canale inteſtinis jungit.

2. *Oppianus* gladii acumen extincto piſce ſimul corrumpi prodidit. At acutiſſimam aciem quivis poteſt experiri.

3. *Bellonius* ſquamas latentes ſub cute ponit. Cæterum ſub cute tenerrima expanditur tantum panniculus carnoſus, quo dempto cutis ſervari nullo pacto poteſt. Unde nos cum cute ſeparavimus,

mus, ut commodius exſiccaretur & impleretur.

4. *Geſnerus* narrat, quoſdam voluiſſe unicum tantum inteſtinum Xiphiæ eſſe, recta extenſum. Rectè ille dubitat, quia altum ea de re apud omnes ſilentium. Revera enim inteſtina recta non ſunt, ſed æqualibus gyris intorta, quemadmodum artificialis ille inteſtinorum ſitus eſt apud *Aquapendentem* & *Veſlingium*, ut initiò putaverimus coſtas fuiſſe.

5. *Rondeletius*, Corium caudam verſus ductâ manu læve eſſe teſtatur, aſperum verò verſus caput. Vidimus nos læve eſſe corium Serici inſtar, nocte ſplendens præſertim ubi candicantes maculæ adſperguntur.

Quæ præterea in Xiphiæ ſectione obſervavimus, hæc ferè ſunt:

1. Dentes in palato inferiori medio gulam verſus ſingulares erant, membranæ affixi. Utrinque tres ordines. In ordine primo circa medium palati ſunt duo, major & minor, uterque oblongus & durus, ſaxo æmulus & aſper, nucleum dactyli referens, invicem junctus & palato per membranam. Alter ordo huic per eandem membranam continuus, ad oſſis ſubſtantiam magis accedit, ut & tertius, circa extrema verò cartilaginoſus, mediam ſtellam radiis ſuis exprimens.

2. Bronchiæ octonæ ſunt & duplices, ut *Rondoletius* & *Salvianus* rectè quoque annotarunt, quadruplices credit *Gillius*, quod obſervare non potui, foris aſperas.

3. Cor

3. Cor ſub capite ſtatim ſitum, triangulare, unico ventriculo exiguo ſanguine pleno, cui ad latus implantatur vena cava valvulis binis, & auricula magna duplici quaſi burſa propendens flaccida, ſed unico tantum ſinu. In baſi adſtat veſicula illa, magna hic & catilaginoſa ferè, ad cujus exortum binæ quoquæ valvulæ apponuntur, regreſſum impedientes.

4. Coſtas nullas habet, quarum vicem ſupplent pinnæ externæ magnæ ad cordis regionem defendendam.

5. Hepar grande ſatis & exſangue, loco ſanguinis humor craſſiuſculus flaveſcens cernebatur, quo colore ferè totum hepar erat infectum, exteriori facie lurida. In hepate vaſa varia. Inprimis rami craſſi ſucco flavo craſſo pleni, qui in truncum deſinebant, inteſtino conjunctum, & ſupra hos ramos exigua vaſa rubicunda excurrebant.

6. Fellis veſiculam à jecore ſemotam rectè obſervat *VVottonus*. Adhæret tamen per longum funem & canalem, qui ſemi ulnam æquat.

7. Ventriculus bifidus, quorum alter craſſus interius rugoſus, alga viridi refertus, una parte cœcus, cujus extremitas acuminata velut cornu.

8. Lien exiguus, rotundus.

9. Inteſtina ordine in gyrym diſpoſita.

10. Teſtes utrinque oblongi & craſſiſſimi, pugni magnitudine.

11. Fœtus duos nuper formatos in recto inte-
ſtino

ſtino continebat. Nec enim alium uterum invenimus, quam inteſtinum, quod aliis inteſtinis erat continuum. Capitis fœtus rudior forma, oculi magni, & gladii quædam veſtigia cartilaginea. Cor nullum, ſed vaſa candicantia tria, hepatis rudior forma & oblonga inſtar vermium concretorum.

12. Per ſpinam dorſi excurrebat vas ſanguineum ampliſſimum, ſed congelato ſanguine refertum, cujus tunica elegantiſſima nervea inſtar texturæ cruciatæ.

HISTORIA XVII.

Caſtorei vis mira.

NOta virtus Caſtorei in Hyſtericis affectibus & pellendo fœtu. Singularis alia innotuit mercatoribus noſtris in Inſulis Ferröenſibus, Sereniſſimo Regi Danorum ſubjectis. Noxium Cete genus à navigiis ſuis ut arceant piſcatores Ferroenſes, injecto Caſtoreo aquam marinam inficiunt, qua turbata dictum factum, quaſi Caſtoreum averſaretur, Cete fundum petit. Eadem vis & homines apta eſt profundo maris ſubmergere. Egregius urinator quidam in eiſdem Inſulis Caſtoreum fortè ſecum portans, navigio ad res ſuas curandas ſe committit. Naufragium mox paſſus cum ſociis, præter expectationem ſubitò abyſſum maris petiit, aliàs natare doctiſſimus, reliquis comitibus

ſalvis,

ſalvis, ſine Caſtoreo navigantibus. Ut fortiſſimam pellendi vim habere videatur? bona fide mihi hæc retulit Ampliſſimus urbis noſtræ Conſul *Chriſtophorus Iohannæus*, ſocer honorandus, iſtarum Inſularum peritiſſimus.

Historia XVIII.

Anatome Viri veneno interempti.

Reverendus P. *Io. Bapt. Salice* Canonicus Secularis, & Logices in Gymnaſio Patavino Prof. Amicus noſter, 25. Dec. 1643. horâ quintâ nocturnâ, cum ante binas cænaſſet horas, doloribus ingentibus ſupra umbilicum torquetur cum continuo, inani tamen vomendi deſiderio. Accerſitus qui in proxima camera habitabat, doloribus colicis à flatu infeſtari illum exiſtimans, petroleo abdomen inungit, linteiſque calidis continuò fovet. Irritus tamen cum videretur labor, doloreſque accreſcerent, Theriacam etiam exhibet, eodem ſucceſſu fruſtraneo. Miſerè ſic exagitatus totam noctem conſumpſit ad horam diei decimam quintam, qua non ſine veneni in acetario Capparum aſſumpti ſuſpicione moritur. Poſt mortem corpus univerſum, inprimis facies, abdomen & genitalia flatu mirum in modum intumeſcunt.

Quum in præſentia Vicarii ab urbis Prætore miſſi, cadaver aperiretur horâ poſt mortem ſecundâ, ſtatim immiſſo cultello flatus cum ſtrepitu exſiliit.

exsiliit. Hinc ventriculus visus erosus maximisq; foraminibus pertusus, cum adjacente colo, reliquis quoque intestinis variis in locis perforatis. Unde factum, quod theriacam assumptam excrementis alvi permixtam in capacitate abdominis diffluentem viderimus, & non minus exterior intestinorum facies, reliquaque abdominis viscera sordibus essent inquinata. Quæ sordities, visu minus jucunda, cognitis veneni certissimis indiciis, à reliquorum investigatione curiosos absterruit.

HISTORIA XIX.

Anatome febre lentâ mortui.

CAdaver Dn. Miron Regii Consiliarii, febre lenta mortui, & adeò exsicci, ut nec carnem nec pinguedinem habuerit, sed loco musculorum fibræ rubentes remanserint, & ossa cute sicca & arida fuerint vestita, Parisiis 18. Juni 1639. apertum fuit, plurimis præsentibus, inprimis *Guidone Patino*, quem honoris & amoris causa libenter nomino. Visu digna hæc notabat Vir ille Doctissimus.

1. Omentum corruptum, gangrænatum, & totum ferè consumptum.

2. Ren dexter gangræna correptus, putridus, & nigro colore tinctus, cui impactus calculus in medio, crassus & longus minimi digiti magnitudine, cujus apex ureteres ingrediebatur, quos ramo bifurcato obstruxerat. Hic Ren adeò corruptus

ruptus fuit, ut nisi aliunde mors obvenisset, mortis potuerit sola esse causa, ex suppressione urinæ brevi sine dubio sequutura. Alter Ren neque putridus erat, neque ulcerosus, sed lividus totus propter sympathiam cum dextro, qui præter figuram nihil reni habebat simile.

3. Hepar grande, sed durum multis in locis, plenum putridis tuberculis deforis, & parvis abscessibus interius, ex quibus prodiit materia alba & crassa smegmatis instar: Sed magis putrida inferior pars quæ renem tangit, superior costis adnata. Color lividus. Sanguis contentus crassus, lividus & putridus.

4. Lien non valdè vitiosus, solo colore livebat, quod forsan vitium ab hepate illuc amplitudine sua protenso contraxit.

5. Intestina decolorata, inprimis jejunum nigriusculum & nonnihil siccum durumque.

6. Mesenterium consumptum nihil spectatoribus reliquerat præter glandulas nonnullas virides, & pure fœtido planè tectas. Substantia ipsa mesenterii videtur in pus resoluta, quod tribus ultimis morbi mensibus per ventris fluxum evacuaverat. Distincta tamen erant vasa, venæ & arteriæ ob copiam sanguinis stagnantis.

7. Pancreas durum, scirrhosum, & exile.

8. Ventriculo naturalis erat constitutio, & vesica lotio plena.

9. Pulmones duo planè purulenti, pleni tuber-

culis nigris & cœruleis, quibus apertis effluxit pus album & ſpumoſum cum ſanguine livido & nigricante, præter partem inferiorem ſiniſtri, quæ tota rubebat, dura & ſicca, cum aquæ rubræ & claræ pinta unica in cavitate.

10. Cor exile & aridum, quale illorum eſſe ſolet, qui febre lenta moriuntur.

HISTORIA XX.

Vegetabilia ex corpore humano.

IN Muſæo *Caſſiani à Puteo* Equitis Romani Illuſtris, inter alia Antiquitatum & Naturæ monumenta, vidi herbæ iconem ex corpore Hiſpani cujuſdam enatæ. Hiſtoriam recenſet *Fortunius Licetus* l. de Spont. Viv. ortu. ſpinæ in corpore germinantis. Inhæſerat nempe ſpina corpori transeuntis, deinde cum corpore nutrita fuerat. Ex occulto ſeminio hujuſmodi ex animalibus vegetabilia emergunt, ſicut plantæ plures in muris, hedera in Cornu Cervi apud *Scaligerum*, viſci in montibus naſcuntur. *Marcellus* Empiricus l. de Med. c. 1. herbam in capite ſtatuæ cujuſlibet naſci ſolitam, decreſcente Luna ſublatam, capitiq; circumligatam, dolorem tollere prodidit. Narrabat mihi Leydæ amicus, ex collo mulieris excreviſſe fruticem. Corallium rubrum ex cranio humano pullulans in Muſæo Piſano vidi. Uſneam ſeu muſcum cranio humano adnaſci vulgò decantatum, ex

Un-

Unguento armario. Eligunt verò Ulneam ex ſana calvaria hominis violenta morte extincti, eaque annoſa, nam in recentibus cadaveribus ſuſpenſis non ita creſcit feliciter, unde capita ſuſpenſorum carnifices ad decem & ultra annos in tilia conſervant.

Historia XXI.

Tophi in animalium ventriculis.

Reperiuntur ſæpiculè pili conglobati in ventriculis equorum, boum, vervecum, paſſim obvii, ſphærici utplurimum, glabri, modò externo cortice nigro tecti, modò ſine teſta. Magnitudine varii ſunt. Vidi tophos omnium magnitudinum, ovi columbini exilitate & maximi mali granati amplitudine. Si diſſecemus, artificioſum pilorum contextum deprehendemus, arctiſſimè invicem concretorum. Cauſa concretionis non ita obſcura eſſe poteſt. Ipſi ſibi boves vel equi vel agnelli dentibus prurientem cutem lambunt, pilorum copiam linguę adhærentem deglutiunt, qui muco mixti ventriculo in globulos conpinguntur, primò minores, mox novis accedentibus pilis majores, tandem à calore ventriculi cruſta inducitur. In ovibus Feröenſibus ſæpiſſimè crudorum ſolutorumque pilorum uber eſt in ventriculis proventus, ut mercatores noſtri teſtantur, quia oberrantes in montibus & ſaxis nivoſis per hye-

mem, deficiente alimento, lanam ſibi invicem depaſcuntur. Habeo globulos crinitos aliquot juglandis magnitudine, teſta dura, glabra, & nigra, quales 50. numero in ventriculo vervecis in Iſlandia à mercatore noſtro reperti. Difficulter tantum onus ferunt. Unde equi & boves anheloſi & aſthmatici diu dubia valetudine oberrant. Utuntur his tophis ruſtici veterinarii in Mulomedicina, alii ad dyſenteriam, aliiſque fluxibus. Quod de teſta dura dixi, noli quæſo repudiare. Tam calidus illorum eſt ventriculus, ut non tantum dura multa concoquat, ſed & lapideam duritiem rebus diutius retentis inducat. Vacca domeſtica amici amici mei Helſingorenſis fortè fruſtulum laneæ caligæ, ruſticis nautiſque familiaris, deglutiit, diuq; in ventriculo conſervatum ita arctè compegit, & calore induravit, ut in ſaxeam duritiem facili mutatione potuerit tranſire, niſi mors malleo ſecurique illata diuturniorum moram inviſſet. Extractam caligam velut pice dura illitam & cætera lanæ fila ſolito duriora obſervavi.

HISTORIA XXII.

Linguæ defectus & amplitudo.

SAlmuri ex variolis quidam expuit linguam totam, nec tamen loquendi promptitudinem amiſit, quanquam exactè aliqua literarum elementa proferre neſciverit. Sunt enim literæ, quæ

ſine

ſine linguæ alliſu enunciantur, & vel à gutture eructantur, ut A, vel à labiis eduntur, ut B.

Leidæ puella quædam linguam manus magnitudine amplam groſſamque habebat, ut ore vix contineretur. A Medicis reſtituta fuit ſanitas, qui particulas ſuperfluas in extremitatibus abſciderunt, donec ad conſuetam perduxiſſent molem, quod *Ioh. VValæo*, magni judicii, & amico ſemper deflendo, acceptum refero.

Historia XXII.

Vomitus Vermium.

IN Monte Cælio 1642. puer de ventriculi difficultate & dolore conqueſtus, juſſu Medici præſentis oleum cum juſculo adſumit. Concitabatur ad vomitum, prodiitque illico rana viva. Idem ſuperiori anno paſſum colluſores teſtabantur. Ipſe verò id ſibi eveniſſe haud falsò ſuſpicabatur, quod herbas comediſſet ſemine ranarum turgentes.

Alius, Medici loci iſtius filius amicus meus, magna febre diu arſit nec ante ad ἀπυρεξίαν pervenit aut ſoluta eſt, quam per os forte evomuiſſet vermem viridem ſingularis figuræ. *Mindererus* in Chir. Milit. narrat vidiſſe ſe militem, qui ex paluſtri & impura aqua ranas 200. evomuerit. Princeps Neapolitanus in venatione poſt aquæ hauſtum in ſanguinis ſputum incidebat. Ex ventriculo ſputum prodiiſſe ſuſpicio nata. Unde Principem

aquæ majori copia Sueſſanus Medicus implevit, & huc illuc dolii inſtar agitando ad vomitum compulit. Prodiit tunc ſanguinei vomitus cauſa, hirudo nempe quem cum aqua prima in venatione ſorpſerat, quemadmodum narravit mihi *Ioſ. Donzellus* inſignis Medicus & Chymicus Neapolitanus.

Stabulario Illuſtris Herois, tumor in amygdalis excrevit. Quum maturus ferro aperiretur, cum pure, per vomitum fortè ſupervenientem, vermis minimi digiti ferè craſſitie exſpuitur, ulnam cum quadrante longus. Poſt paulò alii ſubſequuti vermes quam plurimi, ſed minores. Quibus excretis ulcereque ſolidato convaluit. Vidit hos, qui ulceri curando præfuit, Chirurgus noſter *Martinus Sixius*.

HISTORIA XXIV.

Dens Ferreus.

DE Aureo dente pueri Sileſii multa multi prodiderunt donec mangonio rem fictam ſerior obſervatio videret. Ferreus, de quo loquor, dens majorem à lectoribus fidem merebitur. Patavii Vir pridem degebat, cui ferreus dens ex maxillis enatus credebatur, varia conjectantium & admirantium diverſitate. *Minadoo* tum ſuperſtiti, mirum id viſum non fuit, quia ut in Macrocoſmo, ita & in Microcoſmo Metalla generentur. At

Io. Dom. Sala, noster in Medica Praxi Dux, re pressius inspecta, vidit in maxilla superiore cicatricem, unde stilo ferreo vulneratum olim ægrum pronunciavit, & cuspidem in dentis alveolum incidisse, ibique ab eo tempore dentis specie remansisse. Dentis ferrei mentio extat *Daniel* 7, 7. 19. in visione quarti Animalis sævi, & voracis.

Ferrei quanquam non sint aliorum dentes, duriores tamen sunt quam reliqua ossa, ut nec cremari possint, nec in cariem resolvi facilè. Hinc in dentibus latere semina futuræ resurrectionis *Tertullianus* prodidit, & tanta apud vulgus de dentibus superstitio, ut deciduos sepeliant. Ex hac dentium soliditate scintillæ nonnunquam eliciuntur. Sojerus Mercator Amstelomensis ditissimus, quando ligno dentes suos percussit, silicis instar, scintillas inde provocavit, quod & à fratre ejus Patavii *Guilielmo Sojero* Literaturæ Græcæ peritissimo, & ex filio in Belgio audivi confirmatum.

HISTORIA XXV.

Anatome Tursionis.

TUrsionem nostrates Marsuiin vocant, Delphini speciem, à similitudine porci, abundat enim lardo, ex quo liquor ad elychnia educitur, caro verò à pauperioribus loco lardi in cibum venit.

Dissecui non semel feminam, & fœtam,

Augusto Rege FRIDERICO III. aliisque spectatoribus in Theatro nostro præsentibus. Figura exactè cum Tursione convenit descripto à *Rondeletio* l. 16. de Pisc. c. 10. Interiora viscera ab humanis non multum differunt, si pauca excipias jam signanda.

Ventriculus triplex, sed angustis orificiis patentibus. Primus loculus rugosior & candidior, secundus rubicundior, rugis multis sed magis quam in illo ordinatis. Tertius appendix tantum reliquorum videtur. Intestina ut in homine longa & anfractuosa. Nullum omentum.

Lien ventriculo subjectus, ex multis globulis parenchymate lienis rubicundo non dissimilibus constat. Duo globuli maximè conspicui, nucis avellanæ magnitudinem æquantes, ex quibus vasa brevia ad ventriculum tendunt.

Pancreas figura triquetra glandulosum, candidum. Hepar rotundius quam humanum, ventriculum utroque latere amplectens, pallidius, cavâ & portâ amplissimis. Vesicæ bilariæ nullum indicium.

Renes amplissimi, rubicundi, racemis uvarum similes, infinitis glandulis quadrangularibus & triangularibus distincti, quæ membrana tenui invicem junguntur. Renes succenturiati triangulares glandulosi, sed sine manifestâ cavitate, proximè trunco adhærentes.

Vasa spermatica cum Varicosis anfractibus

ad testes feruntur, in utroque latere. Sed testiculus sinister tumidior nucem juglandem facilè æquat, qua parte femina fœtum gerit, sed sine humiditate; dexter longior, & tenuior.

Collum uteri amplum, desinens in pudendum supra anum rima triangulari. In ani lateribus duo alia foraminula conspiciuntur, in quibus glandulæ totidem interitus ad nervos deducuntur.

In sinistra uteri parte fœtus inclusus partui vicinus, masculus exiguo pene, capite ad os uteri verso, erecto situ, umbilico quadruplici vase protenso, qui in medio itinere dividitur in duos funiculos utrinque ad placentæ latera diffusos. Uterque funiculus duo habet vasa crassiora, in medio tenuior. Placenta exilis concreto sanguini similis, parietibus chorii agglutinatur. Tenuis Amnios. Allantoides humorem serosum continet, farciminibus inclusum.

Uteri appendix dextra, sive loculus dexter vacuus.

Diaphragma amplum, pro costarum longitudine protensum.

Cor grandius, humano per omnia simile, in medio situm, etiam mucrone. In dissecto quatuor primâ fronte ventriculi videntur, unum cava cum auricula efformat, carnosa pariete distinctum, sed inferius patulum, qualis paries densus inter auriculam & aortam in sinistro quoque visitur.

Pericardium humore cruento refertum.

 Pul-

Pulmones amplissimi, subpallidi, unico lobo continui, lati superius, angustati verò in cavitate inferiori thoracis à longo costarum tractu formata. Nodis durioribus hinc inde exterius inæquales, in quibus folliculi vermibus pleni erant infixi.

Aspera arteria ampla. Larynx singularis figurę, anserinum caput refert, quod aperiri claudiq; potest, ossea ferè, & liberè superius patet in ductum qui bifidus fertur ad bina spiracula in capite excavata, per quæ seu aërem seu aquam recipit.

Lingua latiuscula, sed palato firmius undique nexa. Sibilum enim Tursio edit, quem piscatores exaudiunt.

Spiracula illa duo in capite obvallantur gyroso quodam flexu velut labyrintho, ad aërem vel aquam temperandam.

In thorace adstat œsophago magno thymus magnus, cordis ut videtur tegmen. Ex hoc thymo utrinque circa mediastinum & pulmones disperguntur glandulæ aliæ quamplurimæ.

Exigua auditus foramina. Cantu tamen & strepitu à piscatoribus alliciuntur. Æstate creduntur surdi, nec strepitum sequi, hyeme satis auriti.

Oculorum palpebræ angustiores, quibus resectis satis magnæ prodeunt oculorum orbitæ.

Ossi scapulæ connectuntur duæ Pinnæ exteriores, venis donatæ & nervis copiosis, quibus innatatione moventur. Separatâ carne seu cartilagine,

tilagine; manus humanæ rudem formam exprimunt.

Dentes 46. in unaquaque maxilla, acuti omnes, & ita siti ut inter omnes dentes spatium vacuum alterius maxillæ dentes excipiat. Vertebræ in universum 36. in spina dorsi productæ.

Anatome Fœtus masculi Tursionis.

In dissecto fœtu, nuper extracto, umbilicalis vena stilo pertentata ducebat nos ad venam portam hepatis. Per Urachum pervium ad vesicam stilus pervenit. Utrinque more nostro arteriæ umbilicales positæ.

Renes succenturiati exiles. Testes utrinque intra abdomen latitantes cum suis Epididymidibus, & vasis præparantibus, ex quibus ad Epididymida transeunt. Inter utrumque testiculum plexus quidam est glandularum exilium, rete in morem involutarum. Ad penis radicem prostratæ. Penis longiusculus partim extra prominulus, partim intra latitans, duobus ligamentis nerveis constans, uno tenui, altero crassiore, circa radicem osse cartilaginoso fulcitur, instar ossis hyoidis.

Cor in medio, ejusque mucro sub cartilagine ensiformi. Anastomosis venæ cavæ & arteriæ venosæ manifesta, ut & circulus membraneus in arteria venosa. Canaliculus inter venam arteriosam & arteriam aortam maximus, & hanc & illam amplitudine æquans.

HISTORIA XXVI.
Angina Melancholici, &c.

PHarmacopæus vicinus Angelo Patavi 1643. post esum carnis agninæ visus sibi est frustulum in loco superiori dentis ultimi dextri seu gingiva dentes excipiente, relictum sentire, à quo sensim inflata gingiva communicatoque tumore cum musculo buccinatore, dextra gena intumuit, ut os vix posset aperire, imò gula clausa vix deglutiret. Imaginabatur verò sibi, quippe Melanlancholicus, effascinatum se ab inimico. Verior causa, judice *Sala*, fuit affluxus humorum, indeque orta inflammatio.

Medicus quidam Venetus Eruditus, quotannis sub caniculâ sub tecto sedens toto mense commorabatur. Metuebat nempe sibi ne frangeretur si in parte ædium inferiore consisteret, quum vas testaceum se crederet. Finito mense ad mentem sanam & solita officia reversus est.

HISTORIA XXVII.
Nucleus ex Pulmonibus.

MUlier Patavina post nuclei avellanę deglutitionem inter ridendum, in tussim insignem incidit, quæ per bimestre spacium miserè ipsam vexavit cum febre & totius emaciatione. Medicus vocatus Phtisin suspicabatur. At subacti judicii Vir

J. D. *Sala*, febrem animadvertens adesse non continuam, nec sputum cruentum, aut pure inquinatum, sed respirationem liberam à Phtisi immunẽ pronunciat. Interim de causa quadam occulta facultatem pulmonum expultricem irritante sollicitus, post varia quęsita, tandem ex responsis ægrę intellexit nucleum esse devoratum. Unde vomitorio ex melle rosato cum oleo communi frustra exhibito, lambitivum addidit ex oleo Amygdalarũ dulcium ad expultricem irritandam ampliandasq; vias. Tandem nucleum olim deglutitum adstante Matre exspuit, pristinæque restituta est sanitati.

Historia XXVIII.

Tumor uteri gangrænosus.

Femina Veneta annorum 40. ex casu quodam 1643. dolores uteri acerbissimos passa est, adeò graves ut ipsam se tunderet milleque modis affligeret. Frustra omnibus adhibitis auxiliis, causa latente, septimo die dolores cum vita cessarunt. Cadaver à *Cæcilio Folio*, Veneto Anatomico, & amico meo veteri, apertum, statim dolorum causas prodidit. Uterus quippe capitis puerilis magnitudine in tumorem carnosum degeneraverat, & gangrænosum sine exulceratione, ut discissus pilam æmularetur carnosam. Cavitas angusta vix aureum nummum cepisset, plena concreto sanguine. Præterea omentum ligamenti vicem sustinens

nens firmiſſimè externo uteri fundo alligatum erat, quo ſurſum tracto dolores forſan oborti.

Idem in alio uteri tumore teſtabatur ſe os reperiſſe inſtar conchæ, inſignis magnitudinis. Minus etiam os in tumore colli minore.

HISTORIA XXIX.

Viſcera corporis inverſa.

INter diſſectiones 1650. Pariſiis habitas, inſignis fuit una cujuſdam ex reis, qui rhedam Sereniſſimi Principis, Ducis de Beaufort nocturnis horis, furibus aliis ſtipatus, aggreſſus fuerat, & nobilem quendam in ea ſedentem ſclopeto necaverat. Illius ſicarii cadaver fractis membris rotæ impoſitum ad expiationem tanti criminis, conceſſum fuit à Præfecto rerum capitalium Medicinæ Doctori & privato Chirurgiæ Profeſſori, Mag. Petro Reguier, ut in eo Chirurgicas operationes ſuis auditoribus demonſtraret: in quo res adeò mira comperta eſt, ut ſua novitate urbem populoſiſſimam in admirationem rapuerit. Nam poſitum mutaverant jecur & lien, ut hic in dextro, illud in ſiniſtro hypochondrio locum haberent, ut & ſingula vaſa ipſorum viſcerum ſubſtantiam concomitantia, tam in abdomine quam thorace; ipſa quoque cordis cuſpide ad dextram thoracis partem vergente, contra quam fit in aliis. Id ad me perſcripſit

Guido

Guido Patinus Decanus tum Saluberrimæ Facultatis Med. Parisiensis. Similem situm viscerum observatum Romæ 1643. *Petrus Servius* Medicus Doctissimus amplissimam mihi fidem fecit. *Schenckius* l.2.Obs.188. Platerum similia refert observasse.

HISTORIA XXX.

Suturæ capitis eminentes.

IN fatuo Neapoli in Nosocomio Incurabilium cum M. *Aur. Severino* observavimus Suturas capitis omnes uno quasi clivo exaltatas, ac toro subliminore prominentes. In tribus pueris Epilepticis ibidem suturæ coronales muri instar extabant, ad quas deprimendas Ustione Arabica per fila accensa utebatur Severinus, ipsi in Xiphilide, hydrope, ulceribus, tumoribusque summo successu cum Ægyptiis usitata. Ego in conterraneo nostro Viro ingenii acuti, sed singularis, officula suturæ lamdoideæ ita tumentia vidi, ut digitis singula discernere potuerim, dubio omni procul cerebro huc amandante supervacaneas humiditates sicut in Exostosi, & Xiphilide in tumorem ossa elevari videmus. Ossa enim, quia per sanguinem nutriuntur augenturque, abscessus pati possunt, & quosvis tumores.

HISTORIA XXXI.

Collum uteri concretum.

MAtronæ Fionensi 1649.in primo partu difficili ita partes pudendæ dilaceratę fuerunt,ut non tantum tardissimè curatæ sint, sed uterus ipse prolapsus videretur commodam cum marito copulam impedire. Ad reponendum uterum varia remediorum genera frustra sollicitavit. Obstetrix immisso digito tuberculum durum referebat se sentire,quod digito pertransire non posset,sicut in prolapsu uterino aliàs fieri solet.Hinc ad opem ferendam vocatus D. *Mothius*, magnus Amicus meus, digitum in vaginam uteri vix ultra medietatem secundi condili protudere omni conatu & dexteritate potuit, deprehendit enim colli uteri latera omni parte concrevisse tamque arctè coaluisse,ut nec digiti apicem,nec subtiliorem stilum admitteret.Concreverant enim ægrę incuriâ partes exulceratę,quas natura ante separaverat.Nunquam exinde concepit, aut solidâ cum marito gavisa est voluptate, omni nempe ad uterum intercluso meatu. Mirum tamen fuit, quod singulis subinde hebdomadis præter voluntatem cum impetu quodam aquę fætentis cochlearia duo ex utero viderentur effluere. Forsan ex vesica, vel, si ex utero,per anfractuosam quandam fistulam in colli meatu

meatu relictam emanavit. Lotium commodè emisit, & menstrua statis vicibus parcè fluxerunt per venulas extremo collo insertas.

Historia XXXII.

In Boüm Anatome Observationes.

ANnosus Bos in ędibus meis mactabatur 1650. macilentus, sine omento pingui. Cor multo adipe obsitum in dextri ventriculi pariete medio abscèssum habuit pomi magnitudine duobus folliculis inclusum, quorum exterior crassior cartilagineus, interior tenuior, ex quo secto serum cum impetu exsiliebat. Nulla tamen vomicæ cum ventriculo cordis communio, sed folliculus interior pedunculo parieti externo alligabatur. Cor igitur abscessus patitur, & alios tumores, secus ac visum *Galeno* l.1. de Loc. Aff. c.5. quanquam non planè negasse, sed diu durare posse, pro Galeno respondeat *Saxonias*.

In hepate ejusdem bovis à parenchymate separato observavi circa portæ ramos tubercula cum venulis lata & capacia, in quibus præter externam tunicam, interior folliculus conspiciebatur. In aliis venis capillaribus, circa anastomoses, crassa quædam & tuberosa erat caro tendinosa & fibrosa, hinc quia sanguis non potuit libero cursu per anastomosin ferri, atrophia successit.

In alio Bove mactato inveni in ventriculo vermiculos infinitos tunicæ crustosæ adhærentes, pusillos & curtos, sed capitibus crassis, à quorum capitibus ad extremam caudam patulus visebatur ductus. Æstas humida & autumnus pluviosus fænum corrupit, unde putredo in ventriculo vermes generavit.

In alio Bove dissecto vidi sanguinem concretum nigrumque in sinistro cordis ventriculo, aliquot Uncias pendentem, qui sensim in adiposam substantiam albam terminabatur, qualem aliàs in hominibus demonstravimus.

In separato hepate à suo parenchymate, sæpe sæpius tam humano quam bovino majore, anastomoses venæ cavæ cum Porta quæsivi, sed nullas pervias inveni, neque folle, neque stilo, neq; cultro. Cœcæ omnes, varii tamen generis, quibus nos primi nomina indidimus differentiamque annotavimus. Prima anastomosis nobis *Parallela* vocatur quando extremi ramuli invicem junguntur rectis lineis. Secunda est trunci cum trunco, H, transverso vasculo intercedente. Tertia *Cruciata*, quando crucis instar vel rami truncum transcendunt vel rami ramos. [figure] Quarta *Mixta* ex Cruciata & obliqua. Quinta *Obliqua* seu angularis, quando obliquis angulis junguntur.

In Vacca prægnante ventriculus anteriore parte car-

te cartilagini ensiformi connatus erat. Præterea in fellis vesicula repertus lapis, Bezoartico lapidi magnitudine & forma non absimilis, colore miniaceo digitos contrectantium inficiens, per laminas compactus. Ventriculo lien oblongus per membranas adnatus.

In boum capitibus per narium ductum adscendit vas amplum carnosum, circa cerebri viciniam in multas laminas duriores cavasque divisum. In cerebro cavitas ampla inter processus mammillares & cranium, quæ cum ventriculis nihil habet commune.

De Vitulis in vacca repertis, & vaccæ secundinis nihil addo, quia *Aquapendens* l. de Form. Fœt. omnia accuratè exsequutus est.

HISTORIA XXXIII.

Piscis figura Crucis.

PAsser piscis 1650. à piscatoribus Bergis Norwegorum captus, signum crucis crassioris in ventre gerebat manifestum, idq; in summa cute. Ad usum mensæ culinæ Dn. M. *Iani Schelderupii*, Episcopi Bergensis vigilantissimi, Affinis mei honorandi, inferebatur, sed ancilla viso crucis signo perterrita, cultrum suspendit, piscemque illustrem plurium curiositati reservavit. Anguli crucis & latera æqualia, superficies plana & cum

cute æqualis, ut nec promineret, nec latiùs diffusa esset. Piscis totius circumferentia ulnam unam cum dimidia æquabat, longitudo mediam ulnam. In exsiccato pisce disparuit ferè crux.

HISTORIA XXXIV.

Abscessus cerebri.

PUero sexenni Dordraceno 1646. ex alto baculus in sinistram capitis partem perpendiculariter decidebat, unde fractum ad mensuram crassitudinis baculi cranium. E parvo tamen primum ossis sincipitis foramine cerebrum paulatim prodiit instar fungi, donec tandem sponte decideret. Statim ab illato vulnere convulsus est in opposito latere, mox in eodem quo læsus, resolutus, deinde iterum convulsus, donec vulnus & symptomata decimo quinto à vulneris accepti die cum morte commutaret, exhausto usque ad corpus callosum cerebro. Misit hanc ad me historiam Amplissimus Vir D.D. *Iohannes Beverovicius* Senator & Medicus Dordracenus.

In Nosocomio Patavino 1645. caput aperuimus Viri in osse temporum vulnerato, qui sine Delirio, Paralysi & pulsu febrili, decimo die soporosus decesserat. Vulnus ad cerebrum penetraverat, ubi apostema excitatum pure copioso abun-

abundans, vicinis partibus ad nigrorem vergentibus.

Alius Patavii 1644. Procurator Nationis Germanicæ, ex levi capitis contusione, neglectis per imprudentiam remediorum præsidiis, primò pedum brachiorumque Paralysi, mox maturo inde fato oppressus. In elevati cerebri compage nullum alicujus momenti vitium, præter Abscessum in opposito latere, comparuit.

Historia XXXV.

Pthisis à venis.

PHtisin à toto subinde venoso genere induci planè sum certus. Sanguinis enim vitium non corpus tantum emaciat, sed & pulmones, quos in circulatione transit omnis, sine aut horum culpa aut cerebri, sua acrimonia irritat & corrumpit. In cadavere Phtisici Lugduni ad confluentem Rhodani & Araris observavit *Lazarus Meyssonnerius* Medicus Lugdunensis percelebris, venam tantum cavam prope cor obstructam. Hinc acutus ille Vir Phtisin ab Ureteribus & renibus deduxit, quam in se solis curavit diureticis, ut decocto hyperici, &c. non sacchara, quod credit dissolvere potius sal pulmonum, illorumque unionem.

A quocunque vitio Phtisis dependeat, pulmones tamen in plerisque Phtisicis tandem depravatos

tos observavi. Interdum parenchyma planè vidi absumptum, solis vasis remanentibus. Nonnunquam tanto pure scatent, ut calcis instar sint friabiles. Subinde ita induratos inveni & exsiccatos, ut vitri instar diffrangi potuerint. Sæpe costis visi tam firmiter adnati, ut motus reciprocus cessaverit.

HISTORIA XXXVI.

Gonorrheæ virulentæ sedes.

GOnorrheæ virulentæ protrahuntur interdum ad 10. annos, quale exemplum Patavii vidimus, in Viro Bergomense, cætera sano, sed vix ossibus hærente. Unde in gonorrhæa hujuscemodi non excerni semen, sed pus ulceris ex prostratis, vero videtur proximum. Certè in omnibus gonorrhæa laborantibus in Nosodochia dissectis ulcera reperimus, seu callum ulceris præteriti signum. Impossibile alioqui foret tanto tempore effluvium seminis vita superstite perstitisse. *Severinus* Neapoli in dissectis invenit inflammationem & abscessum in Parastatis.

Historia XXXVII.

Anatome Hydropici & Phtisici.

Vicentinus Architectonicæ militaris Magister ex Germania redux pulmones habuit nimio vini potu debiles, unde tussis & suffocationis metus. Accedebat huic difficultati Hydrops pedum, non abdominis, qui digiti imprimentis vestigia servabant. Varia à *Io. Dom. Sala*, nobis præsentibus, tentata ad pectoris expurgationem serique evacuationem, sed operam lusimus. Aucta enim respirationis difficultate scarificatisque pedibus lividis tertia inde hebdomada ad plures abiit. Apertum cadaver x. Junii 1642. affectos locos nobis prodidit manifestius.

1. Cordis auricula dextra adeò sanguine fuit distenta, ut capacitate neutri ventriculorum cederet. Sanguis ipse niger erat & crassus, & grumosus, qualis in utroque ventriculo repertus, quanquam in sinistro rubicundior.

2. Pulmones lividi, flaccidi, sine sanguine, sicci magis quam humidi.

3. Dexter pulmo arctissimo nexu costis cohærens.

4. Inter membranas pulmonum, pleuræ, &c. mucus quidam albus inventus. Serum quoque copiosum in thoracis cavitate, in musculis externis & in visceribus.

5. Jecur lividum & ſcirthoſum, parco ſanguine conſperſum. Lien major ſolito, fluccidior, ſanguine nigro plenus, magiſque quam hepar ſanguificationi idoneus.

6. Ren dexter in Ureterum orificio grandem calculum condebat acutum, ſed glabrum, pollicis magnitudine & craſſitie, alioſque alibi minores & arenulas infinitas, quæ cauſa eſt, quod in dextro latere æger fuerit decubitus. Nullam tamen urinę difficultatem experiebatur, ſed dolorem tantum in inguinibus. Dolor à calculo magno. Urina prompta fluxit, quia ſana veſica & ſiniſter Ren ſanus.

HISTORIA XXXVIII.

Caſeus, Placenta, globulus, per vomitum rejecta.

DYſenterica puella civis Hafnienſis lacte caprino, quod huic malo optimum experimur remedium, uſa 1652. ſtomachi gravitatem ſentit cum dolore & anxietudine. Tandem ad vomitum compulſa excrevit caſei duriuſculi fruſtum aliquot Unciarum non ſine ſuffocationis periculo. Illo excreto melius valuit.

Obſervavi & in meæ filiolæ Margarethæ dyſentericæ excrementis viridibus & cruentis ſubinde caſei globulos ex lacte nutricis in ventriculo coa-

coagulato, unde consultò lacticiniis infantum saccharum miscemus.

Altera filia natu major Anna Margaretha superata febre Tertiana Epidemia eodem anno, adeò cibum avidè appetiit, ut nullo ferculorum genere satiari potuerit, unde venter intumuit. Mox per vomitum difficillimum compactam placentam, quam vola manus vix comprehenderet, quasi arte Apitiana in ventriculo coctam, uvis passulis antea devoratis farctam ægrè exspuit, ut à suffocationis discrimine parum abfuerit.

Naturæ hi vomitus sunt consentanei. Captum nostrum superant alia heterogenea ex ventriculis nonnullorum rejecta, quæ Dæmonis præstigiis & nugis sagarum, corporibus inducuntur. Singulare exemplum in Hist. 52. Cent. 1. consignavimus. Addam adhuc aliud nudius tertius natum.

Nobilis Matrona Scanica Mense Novembri 1653. variis doloribus per totum corpus vagis diu emaciata & excruciata sine causa ulla manifesta, cum frequenti nausea & vomendi desiderio, tandem urgente nauseabundo stomacho evomuit globulum cereum nucis muschatæ magnitudine & forma. Statimque sedatis doloribus tumultus in ædibus auditus, & felium quatuor in cubili concertatio visa, quæ facilè persuadebat sagarum negocium ibi volvi agique; Globulum Hafniam ad nos delatum vidi hisque manibus contrectavi. Externa facie est glaber, dissecta per medium cera,

& linum & plumam & aciculam accuratè ceræ permixta invenimus, sive astu Dæmonis globulus ille dormienti Matronæ per œsophagum ingestus fuerit, sive in ventriculo arte magica compactus, certè mali spiritus expressum artificium sagarumque opera hinc elucet manifestissimè. Nobilissimus Maritus conjugis injurias ulturus, in jus vocat incantamenti autores, qui optimam uxorem, piam & honestam præstigiis hisce deluserunt.

HISTORIA XXXIX.

Pancreas suppuratum.

VIr quidam Nobilis Campanus, sanguineo & melancholico temperamento, dum Lutetiæ morabatur initio anni 1652. incidit in febrem, cum quodam dolore ad dorsum & lumbos, & totius corporis tremore insolito, (qui post paucos dies feliciter desiit) & fluxu hæmorrhoidali, lento quidem & pauco, sed dolorifico. Post aliquod dies utroque symptomate adaucto, Eruditus quidam Medicus ad eum deducitur, cujus auxilium recusat, nullam à Medicorum præceptis opem sperans, incurabili quodam, ut ajebat, affectu laborans: Morbum enim magicum esse pravisq; magorum artibus sibi immissum, quo abundabat Lotharingia, in qua per aliquot annos mili-

lita-

litaverat. Ingraveſcente affectu, & febre incandeſcente accitus D. *Guido Patinus*, medicinam illi fecit, venæſectione iterata & purgatione blanda ex Gaſſiæ medulla, foliis ſenæ, & ſyrupo diarrhodon, eò ægri ſtatum perduxit, ut in convaleſcentiæ ſpem lubens devenerit. Tandem quum vino multo, eoque meraciore uſus eſſet, inſcio Medico, invaluit febris, proſtratæ vires, fætor corporis nulli ferendus, tandem cum ἀναισθησίᾳ & fugaci delirio extinctus eſt.

In deſſecto cadavere apparuerunt omnia viſcera nutritia ſupra modum pallida, à veteri intemperie bilioſa, quæ toto vitæ decurſu dominatum obtinuerat, ſed abſque ullo eorum ſubſtantiæ vitio. Ex utroque pulmone leviter compreſſo, ſerum putre & fœtidum defluebat. Subſtantiæ cerebri ſerum multum inſtar ſeri lactis ſubvireſcens innatabat, cujus portio in ſpinam dorſi decidua tremorem illum initio morbi concitaverat. Mortis autem cauſa fuit ingens abſceſſus in toto Pancreate latitans cum multo pure & fœtore intolerabili, pure inquam valdè putrido & ſubviridi, cujus acrimonia glanduloſum corpus penè univerſum exederat atque diſcerpſerat. De horum fide teſtem acclamo laudatum *Patinum*, qui actam rem Lutetia mihi non ita pridem tranſmiſit.

Hi-

HISTORIA XL.

Caro cocta colore rubro ſudans.

MEnſe Auguſto ſicciſſimo & ferventiſſimo 1652. carnem bubulam planè recentem ſanamque, ſale parum conditam in ædibus noſtris coximus. Poſt primam menſam repoſita fuit in promptuario culinæ vicino, quo alia ciborum genera condi ſolebant. Unus alterque interceſſit dies, quum ad uſus reſumeretur repoſita caro, ſed tota rubebat liquore rubicundo, purpuræ inſtar, exſudante, digitoſque tractantium tingente. Univerſam ita externam carnis faciem obduxerat rubor, eaque reſciſa, interior pars carnis ſana & ſolito more colorata. Repoſita verò in loculamentum, iterum ſuperficie tenus ſimilis tinctura aſperſa comparuit, idque repetitis ſæpius vicibus, donec putreſceret. Cauſa tincturæ non æquè manifeſta. Ad armarium ſeu promptuarium referri non poteſt, quia, ut certus eſſem, mutari locum juſſi, nec unquam id in aliis eduliis ibidem loci repoſitis obſervatum. Nec putredo manifeſta culpanda, quia & recens erat caro, ſaporis grati & odoris conſueti. Nec à ſale exſudante provenit, quia aliâs ſalitæ carnes non viſæ rubere, & columbas recenter aſſas eodem colore aſperſas vidimus. An aëris cœlique calidioris fuerit vitium morbo-

rum

rum putridorum & malignorum hæc æstate feracissimi, suspicari licet. Crudam fuisse, cruoremque nondum coctione mutatum dicerem, nisi accurato instituto examine planè coctam deprehendissem, nihilque ruboris interiori carnis loco, prorsus sanæ coctæque simili, apparuisset. Multis magnisque Medicis, qui febricitantem me inviserant rem stupendam monstravi. Viderunt mecum omnes, & admirati sunt. Si superstitioso esse liceret, sequentis Dysenteriæ omen crederem, quæ statim subsequuta & urbem populosissimam multis funeribus, & domum nostram infecit.

HISTORIA XLI.

Sine Trepano cranii vulnera curata.

TRepanum fracto contusoque cranio imponimus, ut partim os depressum elevetur, partim ut pus vel sanguis in dura meninge stagnans facto foramine evacuetur. Antiquis usitatam administrationem, cum successu in Italia vidi adhiberi. Duo tamen exempla à se observata nobis narravit *Petr. Marchettus* Chirurgus Patavinus dexterrimus, Aquapendentis discipulus, in quibus sine trepano pus evacuatum. Juvenis quidam ex fenestrâ prolapsus cranium contudit, unde convulsiones subsequutæ aliaque symptomata. Cutis

factâ

factâ incisione per cranii poros pus exsudavit, sicut per cutum sudor solet.

Alius puer Nobilis Patavii cranio contuso, sanguinem per nares, os & aures emittebat. Trepanum Mater refugit. Itaque neglecto puero post 30. dies, abscessu in capite orto & imflammatione, pus ex naribus copiosè effluxit. Vocatus demum Marchettus apertionem cranii trepano feliciter quidem absolvit, sed, quia 30. dies excesserat, mortuus tandem est puer, quum quartus dies ex *Hippocrate* non sit exspectandus in cranii hujusmodi vulneribus.

Alia soli cœlique nostri frigidioris est ratio, quæ exactum Hippocratici cœli tempus non æquè servat, nec generosas istas chirurgias admittit. Frigidior aër inflammationem citam retardat, & corpora robustiora depressa cranii ossa, juvante Natura, per se concessis induciis elevant. Vidi enim profundas cranii contusiones, sine trepano, in urbe nostra restitutas, solo Emplastro Magnetico & de Bethonica applicito.

HISTORIA XLII.

Continuus ex utero sanguinis & aquæ fluxus.

INvisi cum *Io. Veslingio* Anatomico Summo & Amico heu quondam meo, 1641. mulierem anno-

annorum 40. quæ tum ab annis tribus continuo mensium fluxu laboraverat, quo cessante sequuta fuerat per eandem uteri viam molestissima aquosæ materiæ fluxio. Ex continua ista naturæ evacuatione ita debilitata fuerant viscera interna, ut hydropem minarentur, propendebat enim crumena quædam flaccida sub umbilico ubi inter pinguedinem & cutem aqua stagnabat. Adhæc uterus continuæ naturæ expulsioni assuetus, adhuc statas prolapsus vices servabat, ut annulo fuerit involvendus.

Historia XLIII.

Penis Rosmari Vires.

Rosmari & dentes & penis in Musæo meo visuntur, ex Islandia nobis per mercatores apportata. Penis osseus totus spithamas meas tres æquat, crassus pollices duos, utroque extremo tuberosus & spongiosus. Dentes duo ex mandibula superiore dependentes longi quoque & crassi passim extant. Habeo qui in terra calcinati sunt, medullâ Unicornu fossili simillimâ, in sanguinis fluxu adstringendo utiles. Os autem pudendi singulare calculosis esse remedium experientia comprobavit. Pulvis quoque ex eodem partum promovet, & secundinam promptè expellit. Quod si extrema penis spongiosi parte tuberosa & spon-

giosa

giosa fugatur cerevisia, stranguriam statim sedare in urbe nostra compertum est.

HISTORIA XLIV.

Varia Monstra humana passim observata.

H*Afniæ* 1650. natum monstrum loco brachii dextri manusque pedem habebat informem duabus eminentiis donatum instar Lunæ corniculatæ, in calceis Gallicis conspicuæ.

Puellæ ibidem prope hortum Soceri mei à primis incunabulis unicus est pes, in altero crus deest, quod artificiali pede supplet.

Vidi alium hic puerum 1651. digitis in dextra manu carentem, loco digitorum carneæ aderant portiunculæ exiguæ unguiculis ornatæ, insensiles, Pollex longior in omnes partes mobilis.

Messanæ in Sicilia occurrebat mihi 1644. Vir consistente ætate, cui brachii deficientis loco solum os cubiti cum appensâ manu hærebat.

Romæ juvenis mihi visus, cui labium superius ad dextrum latus instar longi rostri dependebat.

Ibidem cuidam nasus adeò fuit magnus & pendulus, ut velut proboscis Africani Galli, hinc inde corporis motu commoveretur.

Neapoli mentum dextrum Viro adeò tumebat, ut os in medio faciei situm videretur.

Ibidem

Ibidem Senex nobis notus, cui manus dextra digitis æqualibus rotunda & globosa erat.

Florentiæ sinistrum brachium homini deerat, cujus locum occupabant tres tantum digiti ex scapulis dependentes. Similis *Neapoli* mihi visus qui unicum solum digitum vice brachii monstrabat, pro arbitrio ejus mobilem.

Ibidem in Hetruria Rustico in occipite bursa carnosa capax enata.

Romæ homini palpebræ inversæ apparebant.

Atestæ cuidam manibus deficientibus ungues ex brachio immediatè excreverant.

Enchuysæ nasutum vidi, cui ex dextra nare propendebat caro magnum polypum superans.

Parisiis 1645. die S. Benedicti mulier sexto mense gravida marem enixa est, capite ferè piscis carpionis, quanquam lingua major, & reliqua in facie plana. A summo capite dependebant moles utrinque à lateribus carneæ, similes hepati piscis.

Patavii in nundinis S. Antonii 1642. vidi infantem duorum annorum, femoribus carentem, qui trunco corporis incedebat. Ex utroque tamen stipite parvus digitus emergebat, vestigium nempe pedum absentium. Brachia quoque mutila erant sine manibus.

Ibidem rusticæ puellæ in indice digito unguis adversa parte accreverat.

Venetiis in alia puella observavi carneam mo-

lem utrinque loco crurum productam, quæ manibus alioquin, pedibus & cruribus erat mutilata.

Ibidem mulieri labia oris ita intumuerant, ut os videri non potuerit.

Hafniæ memini me vidisse puerum sex in manu digitis. Sextus suas articulationes, ut reliqui, expressas gerebat.

Lugduni Bat. 1638. femina vulgaris conditionis prope templum D. Petri enixa est fœtum capite felino, cætera elegantem. Monstri occasionem imaginatio dederat, prægnans enim felem in lecto suo cum horrore viderat.

Amstelodami 1637. nata in platea vitulina sutoris uxori filia capite equino grandi. *Ibidem* alia ferebatur capite suillo edita, sed incertâ famâ.

Lugduni Bat. 1639. Vir degebat annorum 26. literis diditus, qui in manibus duos tantum digitos habebat, eosque crassissimos, cum parva appendice indicis. Elegantissima literarum elementa istis digitis pingebat, & quævis munia angustâ manu obibat. Talem & in oppido vicino vidimus.

Patavii Helveto duo pedis digiti connati erant.

Venetiis puer sine brachiis omnia pedibus ex terra elevavit, in crumenam stipem reposuit, & pileo obvios salutaturus facilè caput detexit.

Hafniæ alius arida manu pedibus cuncta peragebat,

gebat, securi artificiosè utebatur, & natura defectum supplente, manibus commodè carere videbatur.

Plura in aliis *Historiis* suo loco retulimus passim & in patria & itinere decennali observata. Qui operosam Monstrorum sylvam amat, adeat *Obsequentem* de Prodigiis, *Weinrichium* de Monstris, & *Fortunium Licetum* præclarè hoc aliisque nominibus de Republica Literaria meritum Senem. Romæ hujusmodi monstra exponebantur & lustrata procurabantur, quia nunquam sine Deorum comminatione fœtus portentosos nasci sed mala semper Reipublicæ portendere crederent. At eleganter *Seneca* in Hippol:

Monstra fato, moribus scelera imputes.

HISTORIA XLV.

Os in Corde Urbani VIII.

CAdaver Urbani VIII. Pont. Rom. Principis laudatissimi 1644. in Augusto Romæ apertum fuit à *Io. Trullo* Anatomico Insigni ad pollincturam. Repertum in sinistro cordis ventriculo os triangulare, literam T referens, & quinq; calculi in vesica fellea, singuli magnitudine nucis avellanæ, & in renibus multi lapilli exigui. Ex osse in corde varia vulgus de tanto Principe spargebat, &, ut fieri solet, in deterio-

rem omnia interpretabatur partem. Sed frequens id in senibus, summa Naturæ providentia, ut torpidus alioqui sanguis velut stimulo addito ad motum incitetur. *Platerus* l. 3. Obs. non absimile invenit os tribus articulationibus constans, & ampliorem fidem fecimus Hist. 50. Cent 1. Quicquid *Columbus* l. 7. Anat. contra *Galenum* neget.

HISTORIA XLVI.

Anastomosis venæ arteriosæ in adulto pervia.

IN corde Viri 28. annorum in Patavino Theatro à *Io. Veslingio* Anatomico Maximo, dissecti 1642. observavimus ventriculum dextrum phlegmonoso corpore pingui repletum, quod imo cono firmiter annexum, adscendit ad patentem venæ Arteriosæ ductum, illumque obturavit. In sinistro ventriculo ejusdem substantiæ minor portio aderat. Ut interceptam sanguini viam resarciret provida Natura, patuit anastomosis illa amplo foramine inter venam cavam & Arteriam venosam, qua sanguis, ut in fœtu, in sinistrum ventriculum ferebatur; sive quod Natura coalescere orificium hoc non siverit, sive quod leviter coalitum urgente necessitate vi reserarit & sanguinis impulsu, certè longo tempore materia-

teria à phlegmone fuit congesta, & à calore cordis assiduo exsiccata & indurata. Quin mortis attulerit homini necessitatem, vix dubito. Febre maligna intra triduum extinctus fuerat, quod aucta per calorem malignum materia, meatum sanguini liberum interceperit.

HISORIA XLVII.

Spelunca Serpentum Braccianorum.

SPelunca Serpentum ad oppidum Bracciani, vulgo il *Sasso* dictum, 12. leucis Româ distat, multorum narrationibus nobilis. Hanc ingressi morbis frigidis detenti, Paralysi, Lepra, Arthritide, lue Venerea, *Hydrope*, tumoribus doloribusque, aliis vexati feliciter persanantur. Nudus æger humi se sternit, nulloque vitæ indicio dato tamdiu quietus cubat donec ex suis antris hinc inde prodeant serpentes. *Hi* hominem arctissimè amplectuntur corpore undique circumducto, sudoremque proliciunt, lingunt & absorbent, donec omnem ex corpore ægro malignitatem exsuxerint. Cavendum verò sedulò ne motus ullo indicio se prodat æger, alioquin serpentes nec ex antris serpunt, nec si advenerint diu morantur. *Hinc* quo quietiores morbi curationem exspectent, nonnulli Opium assumunt, quo remedio etiam timori suo consulunt. Ingrediuntur

tur ſpeluncam ruſtici accolæ mercede à viatoribus conducti, ſimulantes morbum, qui referunt primò ex antris prodire Regem quendam ſerpentum coronâ inſignitum, omnia exploraturum, qui, ſi quieta cuncta invenerit, convocat evocatque reliquos.

Ipſe ab itinere deflectens 1644. ſpecum ingreſſus cum comitibus meis optatiſſimis *Jo. van Horne* & *Theodoro Fuiren* Conſobrino fraternis nominibus chariſſimo, nullum colubrum offendi, quia ſermonibus ultrò citroque habitis antrum perſtrepebat. Exuvias tamen invenimus frequentes mecumq; extuli noſtratibus ſimillimas, veſtigia quoque lenta & ſalivoſa ſerpentes prodiderunt. Domuncula colli imminet, ubi caveæ binæ XI. pedes longæ, quinque latæ. In parietibus ſpeluncæ nomina ægrotorum leguntur inſcripta & figuræ ſerpentum effigiatæ. Foris grotta viſitur, in qua ſi caput inferas, calorem ſenties à ſulphureis vaporibus excitatum. Editior collis multis quercubus floret, petroſus & orientem ſolem proſpiciens. Serpentes medicati menſe præcipue Majo comparent, ubi efficaciſſimi. Olim feruntur frequentiores ſemper ad ſpeluncam confluxiſſe, ſed ab invidis Medicis antidoto quadam enectos; innoxij cætera ſunt, nulliq; lethales. Unde referunt incolæ non ſerpentes nominandos, ſed peculiare eſſe vermium genus, à Deo huic uſui deſtinatum & in mortalium ſalutem immiſſum.

Læden-

Lædentibus tamen exitium inferunt. Id quidam expertus est suo malo, qui corpori suo hærentem serpentem ex spelunca celeri astu exportavit, ut pectori suo ægerrimo commodum applicaret removeretque.

Salutis recuperandæ gratia speluncam hanc adiit prioribus annis quadrigarius Cardinalis Valence, lue Venerea & Arthriticis doloribus miserè multorum annorum decursu divexatus, & salvus restitutis viribus profligatisque morbis inde est reversus. Senex quidam Podagricus in spelunca eadam sudans, cum sanitate in gratiam rediit, nobisque ibidem visus.

Alius Rosilius Rusticus quatuor annis aqua intercute immensum tumens, in spelunca ternis diebus per aliquot horas commoratus, subitò se sensit levatum, ventreque detumescente sanatum, quemadmodum ipse Bracciani nobis præsens bonâ fide confessus est.

Colubri esse speciem exuviæ monstrant, qua patria nostra abundat, ut idem remedii genus in usum nostrum revocari posse non dubitarem, si ita domari possent. Si quæras, quid colubros ex spelunca Bracciana eliciat, verbo dicam: Siccitas est soli cœlique Romani, qua ad humida corpora impelluntur. Quomodo supra nominatos affectus gravissimos pellunt? sine dubio attractione humiditatum noxiarum, vel sui formidine, qua multi perciti speluncam ingressi sudant an-

tequam ullus coluber prorepat. Ita terrore multi & sudore diffluunt & morbis liberantur. Forsan transplantationi morborum hic aliquis locus. Deniq; saturi & humiditatibus repleti sponte decidunt, quemadmodum hirudines, levique corporis agitatione territi antra repetunt. In re difficili qui optimè cōjecerit, optimus vates esto.

HISTORIA XLVIII.

Lymphaticorum Vasorum inventio prima.

AQuas in corporibus Animantium agnoverunt omnes, sed illarum vasa peculiaria nemo hactenus detexit. Nos *Haffniæ* diligenti opera, & accuratâ manu primi vasa singularia invenimus, quæ *lymphatica* à contento liquore vel *aquosa* nominavimus. Seriem primæ inventionis strictam enarrabo, Deo & Naturæ pro felici invento vota nuncupaturus.

Lacteas Thoracicas antea inventas demonstraturus canem in Theatro Anatomico grandem presentibus D. *Olao Wormio*, D. *Petro Bourdelotio*, D. *Henrico Fuirenio*, aliisq; Medicinæ Candidatis quarta hora à pastu aperui die XV. Decembr. 1651. Viso Receptaculo chyli Pecquetiano aliisque huc spectantibus, ad hepar oculorum cultriq; aciem convertimus. Ecce multi comparebant ductus pinguedini immersi prope hepar portam am-

amplexantes, non candidi lacteorum more, sed splendentes colore hydatidum. Inter hos unum tumidiorem acie cultelli aperui, vidiq; ichorem effluentem limpidum & aquosum non candidum. Nihil de novis vasis cogitans, quanquam lacteas Asellii esse venas humor contentus dissuadebat, pro lacteis tamen habui, donec nomen sequuturæ observationes mutarent, chylumque evanidum seri speciem induisse suspicabar quem tam pallidum in Receptaculo & Lacteis Thoracicis sæpius alias videram. IX. Jan. sequentis anni 1652. in cane adhuc majore experimentum feci eadem horâ quarta pasto, de aliis securus lacteas ulterius investigaturus. Insciis oculis iidem ductus aquosi ulterò se obtulerunt annuli in morem portam cingentes, limpida aqua tumentes, qua & Receptaculum & vasa Thoracica aliàs Lactea scatebant.

Vidi hæc, sed videre me non credidi, quia animo Lacteæ inhæserant, pro quibus singula interpretabar. Sepositâ igitur de aquosis venis cogitatione, cupido incessit Lactearum Thoracicarum faciem & contenta inspicere quintâ, sextâ, septimâ &c. à sumpto cibo horis. Igitur macilentum canem & satis magnum, convocatis amicis cum M. *Michaele Lysero*, Anatomes peritissimo, qui per pluscūlos annos secanti mihi & demonstranti adfuit, septima post pastum horâ in Musæo XXVIII. Febr. 1652. exenteravimus, ut

Lacteos Thoracis ductus longiori distributionis mora accuratius perspiceremus. Ventriculus cibo adhuc plenus. In mesenterio candicantes chylo venæ apparuerunt, sicut in thorace, & glandulæ lacteæ loco Receptaculi plures. conglomeratæ, quarum una læsa lacteum succum emisit. In hepate cum Porta inserebantur plura vasa tumentia, non chylo, sed aqueo liquore per tunicas subtiles translucente. Similes aquosi ductus plurimi visebantur portam transcendere annuli instar, & inferius cavæ descendentem truncum undiq; amplexari, vergere supra emulgentes ad capsulam atrabilariam, infra verò comitari cavam ad ramos Iliacos ad pelvim usq; ubi vesica delitescit. Ligati hi uno loco tumebant inferiora versus, supra prope mesenterium inanibantur, unde & rami lactei circa diaphragma ante candicantes, simili aqua implebantur, protruso lacte, & ex Receptaculo prodiens lacuna, supra diaphragma, valdè tumida sero hoc distenta apparebat. Dubitantes adhuc insolito nobis sed naturæ constantis ostento, favens Natura vi ad novum vasis genus perduxit, intentoq; quasi digito inventum novum obtrusit. Enim verò, quum axillarem venam juxta pedes anteriores separatam ligaremus, apparuerunt nobis iidem ductus aquosi antea nobis in abdomine visi, tumentes splendentesque hydatidum instar, venæ axillari superstrati, qui ligati pedem extremum versus

versus inanes, prope jugulum impleti manserunt in dextro quoq; latere per omnia similes, quibus cultello læsis, aqua versus pectoris anteriora effundebatur limpidissima. Propter inventū omni seculo invisum, hecatomben promisimus, & qui necdum satis oculis, experientiæq; alioquin manifestissimæ fidebamus, ut perpetuum Naturæ institutum videremus, alium canē advocavimus septima ante hora cibatum. Reliquis omnibus missis statim ad artus progressi & hepar, aquosa hæc vasa similem in modum observavimus, in hepate variis cum porta annulis connexa, inq; ejus quasi tunicā immersa, in arteribus verò cum exillari ramo hederæ instar cohęrentia. Repetita inde sæpe sæpius in multis canibus insectione sive jejunis, sive cibo repletis, nihil diversum invenimus, ut constantiori jam animo certisq; oculis perpetuam naturæ legem cœperimus admirari.

Quo certiores & crederemus nos & alii viderent, nec lactantibus gravidisq; canibus pepercimus. In lactantibus circa Iliacos ramos iidem aquosi ductus, & in axillaribus visi splendescere. In gravidis quoque venas comitabantur vasa splendida, præsertim in abdominis fundo juxta Iliacum & partæ ramum frequentia, imò in fellis vesicula cum venis copiosè externa perreptabant. In his illisq; per axillarem progredientia vasa aquea levi incisione aperuimus. Limpidæ aquæ effluxus sequutus, qua occasione fistulam indi-

indidimus, ut quo humor ille vergeret, oculis pateret novitati inhiantibus. Immisso per fistulam spiritu movebatur cava prope cor, ipsumque cor, in obversa verò parte prope extremos artus nullum motum animadvertimus; sine dubio ob valvulæ impedimentum. Quod ut porrò pateret, in alio cane fecimus experimentum. In pede anteriore alterius lateris conspicuos hos ductus tumidiores inflavimus, vidimusque attolli jugularem externam & axillarem. Inde ligato jugularis & axillaris ramo ob ruituri sanguinis metum, absterso que cruore aperuimus jugularem axillaremque. Aperuit se illicò foramen seu ingressus aquosi ductus sub majori valvula jugularis, circa jugularis ingressum in axillarem, cui tenuis valvula obtendebatur, modo à flatu immisso elevata, modo remissa.

Restabat dubium, an vasa nostra Lymphatica seu serosa ex hepate prodeuntia, eadem essent cum Lacteis ibidem ab *Asellio* aliisque visis, sive an distincta ab his conspicerentur. In hunc finem canis quatuor horis fuit ante pastus. Aperto vivo abdomine hepar statim velut ad aruspicinam consuluimus, vidimusque ductus nostros novos annulatim Portam amplexantes, & quinq; septemve ramulis ex hepate egredientes, eosque ad vesiculam fellis pariter dispersos, neutiquam candidos, sed more aliorum in artubus & abdominis recessibus à nobis visorum, translucen-

tes limpidâ aquâ. Inter omnes insignis ramus erat bifurcatus unus ad hepar recto tramite progrediens, nec alterius lacteæ apparebat vestigium ullum, licet in mesenterio adhuc candicantes lacteæ conspicerentur. Ratus autem ob operationis tarditatem, oblato impedimento, effluxisse chylum lacteum, & successisse illius in locum aquam, vel lacteas disparuisse, vinculo jussi venam Portæ cum vasis his lymphaticis prope hepar constringere, ut, intercepto meatu patulo, aquæ cursum observarem manifestius. Ecce intumuerunt lymphatica hepar versus satis evidente sensu, præsertim animali sub tortura inspirante, non ita exspirante. Portæ vena tumida emersit prope intestina, vacua verò qua hepar spectabat ex legibus circulationis, quia sanguis portæ hepati solet inferri. Lymphaticæ, cum porta mesenterij anfractibus immersæ, tantum abest in tumorem elevatæ sint, ut conspectum nostrum planè fugerint. Hinc certum indicium deprompsi venas Lymphaticas, pro lacteis hactenus reputatas, ex hepate liquorem exportare, nihil hac via inferre. Et quacunq; hora aperiatur animal, apparebunt spectatoribus eadem facie, accuratoq; discrimine à lacteis in mesenterio discernentur, eodem tempore conspicuis, quod illa candida planè, nostra aquei coloris.

Ita novum hoc vasorum Lymphaticorum genus tot seculis ignoratum & absconditum, in expli-

plicandis affectibus quibusdam utilissimum, nobis primis Hafniæ Natura favente & invitante, se manifestè aperuit, quod in Dei creatoris laudem, Naturæ nobis amicæ augmentum, mortalium salutem, & patriæ nostræ celebritatem sine ulla propriæ gloriæ aut ostentationis profanæ ambitione, scripto publico breviter in vulgus Cal. Maj Anni labentis 1653. Hafniæ primum exire passus sum, celerrimo calamo illustratum, partim ne Naturæ faventis sprevisse viderer indulgentiam, partim ne inventum nostrum fama hinc inde divulgatum & à me paucis verbis c. 6. & 12. & 15. de *Lacteis Thoracicis* Hafniæ 5. Mai 1652. editis, signatum, scioli alii suffurarentur. Genium enim corrupti seculi est, aliorum labores in se transcribere, sibiq; venditare quod invenire non potuit. Quidquid futurum sit, innocentia mea & candore me involvam, spectorumque Clarissimorum stabo censuræ, qui prima inventi nostri incunabula presentes in Theatro non semel apud nos viderunt & candidè de feliciter inventis nobis applauserunt. Inter quos honoris & fidei liberandæ causa laudo Excellentos Viros *Olaum Wormium*, & *Henricum Fuirenium* Medicinæ Doctores, M. *Michaelem Lyserum*, & *Wilhelmum Wormium* Ol. f. *Iacobum Holstium, Petrum Schumacherum, Georgium Segerum, Henricum Martini* à Móinichen, Medicinæ Candidatos, aliosque longiori serie, si opus, advocandos.

Ut

Ut conſpectiora ſint nova hæc Vaſa Lymphatica, icone præſente Lectorũ in gratiam ſingula adumbravi ex cane diſſecto, quæ ut diſcernas, reliquas partes literis ſignatas ita diſtingue:

A *Cor in ſuo ſitu.*

B *Vena cava ex corde adſcendens.*

CC *Axillaris vena.*

d *Oeſophagus.*

ee *Iugulares venæ.*

FF *Pulmones utrinque.*

GGGGGG *Hepatis lobi.*

h *Veſicula fellis.*

i *Vena lactea Thoracica axillari ſiniſtra inſerta.*

K *Arteria aorta ex corde egrediens.*

L *Ventriculus.*

mmmm *Inteſtina ad ſiniſtrum reflexa.*

NN *Renes.*

ooooo *Pinguedo, quam Vaſa Lymphatica penetrant, ſub qua etiam prope Emulgentes Receptaculum ſitum eſt, & hinc inde lacteæ glandulæ.*

p *Arteria Iliaca.*

q *Vena cava deſcendens.*

r *Ureteres circa pelvim veſicæ abſciſſi.*

ss *Pedes anteriores denudati.*

tt *Vena Portæ.*

uu *Emulgentes Venæ.*

Reliqui ductus ſubtiles, venas ambientes & comitantes, literis ob exilitatem non ſignati,

Vaſa

Vaſa Lymphatica nova deſignant. Per axillarem venam C dextram ſimplex ramus, per ſiniſtram bifurcatus, in angulum jugularis *ee* inſeritur. Ex hepatis lobis G G G G G G varij annuli & rami Lymphatici Portam *t* tranſcendunt, & ſe in pinguedinem *oo* immergunt. Exilis quoque ramulus Lymphaticus ex veſicula fellis *b* eandem portam *t* petit, nonnunquam plures. Ambiunt hæ venæ Lymphaticæ Arteriam Iliacam *p* & venam cavam *q* variis gyris, annuliſque, ad ſiniſtrum latus arteriæ oblongiori ramo, hinc inde anaſtomoſibus inter ſe junctæ, quæ per pinguedinem *ooo* in Receptaculum ſeu glandulas lacteas, ſe effundunt omnes. Quemadmodum ab extremis artubus illorumque coctione vaſa Lymphatica ſuperiora ad cor aquam mittunt, ita infra diaphragma quæ viſuntur ex hepate, veſicula fellis, inferioribuſque partibus, ex nutritione ſingularum aquam limpidam per Receptaculum & ductos Thoracicos finita chyli diſtributione vel cum chylo mixtam cordi important, quæ accuratiori ſtudio cum Vaſorum Lymphaticorum uſibus in *Hiſtoria* hujus argumenti edita perſequutus ſum, ad quam candidum lectorem remitto & rerum novarum curioſum.

HISTORIA XLIX.

Capreæ silvestris Anatome.

CApream feminam in Theatro nostro Anatomico multis spectantibus Hafniæ 3 Mart. 1650 vivam dissecui. In abdomine chyliferæ venæ glandulæque comparebant, observatoque in thorace aperto cordis motu & extremo auriculæ dextræ pulsu, hepar revisimus, ubi nullum vesiculæ fellis aderat vestigium.

In hepate verò & mesenterio aliisque locis multæ vesiculæ splendentes conspiciebantur, quæ dissectæ intra folliculum seu tunicam singularem serum salsum seu mucilaginem recondebant humoris vitrei instar, cum alia flavente substantia, ut hydropi proxima Caprea visa mihi sit, sive naturæ vitio, sive quod cicuratum animal esset.

Ventriculus singularis figuræ, rotundus, cellulis distinctus, Pylorus cum stomacho ferè jungebatur, extra fundum duæ eminentiæ instar obtusi cornu propendebant.

Capsulæ atrabilariæ rotundæ seu figura ovali: cavitas manifesta, inter tunicam exteriorem & corpus glandulosum, sine liquore, quanquam caprea fuerit juvencula. Parietibus tamen adhærebat nigricans materia concreto sanguini æmula,

quæ abradi potuit, forſan ex cruore melancholico, quo fera animalia abundant.

In cerebro aperto obſervavi ventriculos duos communes laterales eſſe duplicatos, ita ut unus alteri utrinque incumberet, formâ circulari, ſed via extrorſum communis patebat. Ex omnium concurſu tertius vulgò prodiit, in quartum pervius.

Inter duram matrem arctiſſimè cranio alligatam, & piam, veſicula erat ſimilis illis in abdomine deſcriptis.

HISTORIA L.

Salamandra quo modo ignem perferat.

SAlamandram vivam Romæ alebat *Fr. Corvinus*, amicus meus, nigro colore, maculis flavis, ſtellionis inſtar, diſtinctam, quæ moram duarum horarum in igne perferebat, ſed non ita vehemente. Singulari autem artificio, natura dictante, ignis calorem eluſit. Evomuit enim guttam liquoris, qua ignis fervorem temperabat. Aliàs velut canis ad Nilum, fugiendo ignis flammam humido corpore tranſeunt. Novem hic menſibus in vitro ſine cibo vixit, terrâ tamen cum qua advenerat, alimenti loco utebatur. Ex hac humidum omne exſugebat, qua exſiccata, ſequenti hebdomade eundem liquorem rejecit, iteratiſque

ratiſque vicibus & ſuxit & evomuit. Demum in aliam terram cœli noſtri impoſita, cito mortua eſt. Venenatum eſſe animal, Pater *Henricus Corvinus* Botanicus & Pharmacopæus clariſſimus expertus eſt, quotieſcunq; enim aperto vaſe vitreo propius Salamandram inſpexit; toties capitis dolore ſuperveniente receſſit.

HISTORIA LI.

De Mandragoræ mangoniis.

DE Mandragora varia feruntur veterum recentiorumque relationibus nobilitata, humana ſimilitudine egregios effectus producere, felicitatem poſſeſſori, & fecunditatem ſterilibus feminis adferre, quo nomine vehementer à Rachele Iacobi uxore expetebatur *Gen.* 30. mandragoræ pomum; narcotica enim ſua vi & refrigerante æſtuantes uteros & ad conceptum inhabiles in calidioribus regionibus & feminis temperare poſſe ſuſpicatur *Lemnius* de Herb. Bibl. cap. 2.


Exhibet verò Mandragoræ Radix bifurcato ramo deorſum protenſo rudem hominis formam illiuſq; crura duo, ſed ſuperior truncus homini ſimilis non eſt. Mangonio tamen variæ adornantur radices humanam faciem exprimentes, nempe radicem bryoniæ avena inſerta terræ committunt donec foliola progerminent, quæ

 exſic-

exſiccata capillorum formam referunt. Modum aperit *Matthiolus* in cap. 71. l. 4. Dioſc. In radicibus harundinum, bryonium, aliarumque plantarum ſculpunt impoſtores adhuc virentibus tam virorum quam mulierum formas, infixis hordei & milij granis, iis in locis, ubi pilos exoriri volunt: deinde facta ſcrobe tamdiu tenui ſabulo obruunt, quouſq; grana illa radices emittant: id quod fiet viginti ad ſummum dierum ſpacio. Eruunt eas demum, & adnatas è granis radices acutiſſimo cultello ſcindunt, aptantq; ita ut capillos, barbam & cæteros corporis pilos referant. Didicit hunc Mandragoræ conficiendi modum Romæ à circumforaneo, qui magno precio credulis divendebat. Extant binæ hujuſmodi in Muſæo *Imperati* Neapoli egregiè hominem mentientes ex radice Mandragoræ, bryoniæ & avena, ex quibus ars ſupplevit ubi natura defecit. Novum modum non ita pridem Hafniam invexit mercator juvenis, de quo lectorem monebo, ne decipiatur his aliiſque ludibriis quæ crumenas noſtras ſollicitant. Per publicum tabellarium Hamburgo miſſam ſibi Mandragoram nobis oſtendit ſub patibulo in Helvetia, ut referebat, erutam. Vulgus noſtrum in eadem eſt opinione, ex urina ſuſpenſi hominis ſub natibulo homunculum talem efformari, quem vocant, en Draſſve-Ducke. Idem de ſua ferebat mercator, magnoque precio proſtituit. Caput ſphæricum, pro-

prominentiis quatuor oculos, nasum, & os mentiebatur, crinibus oblongis per tergum demissis. Corpus reliquum ossibus, musculis, articulisq; animalis alicujus donatum. Sed revera Mandragoræ radix non fuit, nec naturalis compages, animal quippe ex planta quomodo generabitur, ossibus constans? Præterea caput ex radice gallæ effictum oculis patuit, agglutinatum trunco. Id ne animadverteres collo circumduxit collare ex crinibus contextum. Crines appositi ex fibrillis radicum exsiccatis, in dorso enim soluti pro lubitu eximi & reponi poterant. Corpus reliquum animalculi cujusdam erat, quia vera ossa conspiciebantur, musculi & articulationes. Ex exsiccatis musculis abscissum fuerat frustulum, quod Epilepsiam in muliere curasse ad majorem fidem narrabatur. Re pressius cum D. *Fuireni* Consobrino meo, Botanices & Anatomiæ scientissimo examinata, ranam apparuit esse exsiccatam, & in erectam hominis formam protensam, quia os sterni breve, & latum prominet in rana, digiti manus pedumque quatuor tantum, qui in rana longiores, hic decurtati fuerunt & obtusi. Adhæc facta cum ranæ sceleto comparatione, abdomen utrobiq; oblongius, & os pubis prominens. Ita detecto fuco spe sua excidit mercator.

Nuper alia Mandragoræ forma, priori longè vero similior & ad vegetabilium naturam propius accedens, mihi visa apud fratrem D. *Casp. Bar-*



tholinum Iuniorem. Pro secreto hanc possidet fusor quidam æramentarius in mola machinaria Amplissimi Viri Henrici Mulleri, eamq; à matre sibi per manus traditam auro contra æstimat. Rudius caput & oblongum cum vestigiis oculorum & oris, crines capitis arctissimè connati lanuginem plantarum exsiccatam referunt. Suspicabar radicem esse filicis palustris à *Dodonæo* l. 5. Pempt. 3.c.2.delineatam, à qua parum abludit. Ab hoc capitis tubere descendit radix solida crassior, quæ truncum corporis exprimit, tandemq; in duo crura dividitur longius demissa, pubis verò regionem lanago eadem investit. Atque quod maximè hic singulare est, tunica rete in morem universum corpus investiens, quæ fibris plantæ cujusdam carne separata assimilatur, ex collo enata, ut nulli artificio loco esse videatur. Tota hæc compages ex vegetabilium genere conflata prima fronte nullum mangonium præ se fert. Si pro Mandragoræ radice habenda non sit, certè peregrina radix erit, reteque non absimile sacco palmæ sacciferæ à *Clusio*. *l*. 1. *Exot*. *cap*. 2. descriptæ, quo nomine quia terris nostris insolita, hic depingere operæ duxi precium. Prima icon radicem exhibet, superius tuberosam, infra in binos surculos litera *a* inversa signatos divisam, cum postica retis parte. Altera figura retis anticam partem ex corpore divulsam Lectorum oculis sistit.

HISTORIA LII.
Suppressæ Urinæ Anatome.

Civis quidam Bergamus ad ædem S. Antonii Patavii annorum 49. post equitationem urinæ passus est suppressionem, cui mox febris, singultus continuus, tumor & dolor circa inguina successerunt. Accersito Nursino immissaque in vesicam Syringâ, urina extrahitur. Detumuit quidem venter dolorque remisit, sed in collo vesicæ occurrit quoddam obstaculum. Hinc divinabat *Sala* noster inflammationem ejus partis, ob quam & febris accensa & singultus ortus propter partium membranosarum concensum. Auctis symptomatis inprimis urinæ suppressione, nihil juvantibus remediis post quinque hebdomadas 5. Iul. 1643. extinctus est.

Aperto cadavere, in vesica tubercula bina utrinque orificio apposita invenimus, forma & magnitudine testium, æqualiter se supra foramen volventia, quæ cedebant syringæ immissæ, sed statim recidebant in pristinum locum illâ extractâ. Discissa illa nihil puris ostendebant, sed substantiam glandulosam & candidam, quasi huc testes essent translati. Dextrum majus quam sinistrum, hoc tamen ad nigrorem vergebat. Vesicæ inferiorem partem gangræna invaserat. Tumor

mor igitur ille in vivente apparens, inflationi potius intestinorum adscribendus, quam vesicæ protuberanti. Pus copiosè in urina effluens ex ejusdem forsan corruptione, vel vesicæ inflammatione vel denique ex renibus traxit originem. Intestinum colon dextro latere peritonæo firmiter adhærebat.

HISTORIA LIII.

Atheroma pollicis nodosum.

INvisimus Patavii Rusticum 1642. cui ab annis duobus pollex in tantum tumorem excreverat, ut caput hominis exæquaret, & præter unguem nihil digiti conspiceretur. Ad genus tumoris referri potest, quod *Severinus* de Absceff. l. 4. c. 1. depictum Atheroma vocat nodosum, quanquam nodulos multos in digitis singulis, sed minores, describat. Hujus dextra adeò ponderosa & plumbea, ut levare illam non posset, reliqui vero digiti in Angustum arctabantur, ut commodius pollici tumido cederent. Rusticus 50. annos natus, anomalum abscessum neglexerat, jamque gangræna digitum occupavit, sine sensu & motu rigentem. Aperto abscessu pus fœtidum magna copia fluxit, ossaque corrupta eximebantur. Febre accedente, pollicis consensit abscissionem, ignemque ma-

luit experiri & fertum quam ulterius ſerpentem gangrænam exſpectare.

HISTORIA LIV.
Novus bilis ductus, & Pancreatis tumor.

IN ſolenni Anatome Patavina 1642. *Io. Veſlingius* accuratiſſimus Proſector, feminam nitida manu & cultro erudito nobis diſſecabat, obœſam & ſic ſatis validam, quam repetita memoria poſteritati tradam. Veſicula fellis nullo bilis colore tincta, liquorem ſolum bili dilutæ ſimilem continebat, cum lapidibus quinque magnitudine nucis avellanæ, figurâ Mathematicorum corpora pentagona repræſentante, quorum ſuperficies exterior glabra, color ſubcinericius, interior verò ſubſtantia ligno putri flaveſcenti perſimilis. His infiniti minores addebantur, figurâ ſeminum Cnici, leves & molles, ut aliam potius quam lapideam præ ſe ferrent ſubſtantiam. Aſperior ex his unus ita os veſiculæ bilariæ clauſerat, ut omnis bili denegatus fuerit tranſitus. Interim provida Natura ad bilem expurgandam alium efformaverat ductum ab hepate prodeuntem, poro bilario à calculis quoque conſtipato vicinum, qui in jejunum inteſtinum terminabatur.

Pancreati adnatus tumor magnitudine ovi gallinacei, duritie teſtæ ovi, quam ſtridore inter diſſe-

dissecandum prodebat. In aperto tumore, lardo impuro æmula substantia steatoma invenimus, ipso pancreate majus quod alterâ sui parte ventriculo adhærebat, vasis plurimis ex splenico ramo donatum. Incubuerat autem splenico ramo ex liene prodeunte, unde impedito libero sanguinis meatu, lien præter solitum flaccidus videbatur & parvus. Admirationem nostram superabat, quod presso splenico ramo, corpus tamen & benè habitum, & pinguedine ad digiti crassitiem conspersum fuerit.

Vena Emulgens dextri lateris duplex, in medio bifurcata & devisa, utrinq; more solito conjuncta. Vena ἄζυγος prope exortum in duos ramos satis magnos distincta utrique lateri prospiciebat. Vidi non semel duplicem venam ἄζυγος pari passu & distantia inferiora reptantem. *Iasolinus* quoque q. 2. de Cordis Adip. p. 23. observavit venas sine pari cum pari, exque ea ramum ad sinistram emulgentem: adeò ludit Natura in subjectorum varietate.

HISTORIA LV.

Homo Biceps.

MOnstrum uno collo biceps masculini generis mense Februario 1640. Leidæ in Batavis natum. Alterum caput naturali capiti simile, nisi quod

quod os esset leporinum, sine maxilla superiore, unde nec lac ex matris uberibus sugebat, sed instillatum deglutivit. Dexter oculus in utriusque capitis confinio conspicuus â majore capitis appendice tegebatur. Altera auris in occipite in utriusque capitis commissura extabat. Informe alterum caput, naturali majus, unde pondere suo socium caput deprimebat. Mensium aliquot spacio vitæ usura concessa. Eo defuncto vitulus biceps ex vacca redditus, ibidem spectandus offerebatur.

Vidi aliud monstrum, quod bina quidem habuit capita, sed totidem colla, brachia quatuor, unicuiq; capiti duo dicata, duos pedes universam corporis duplicis molem sustinentes. Si longiorem vitam fata iniqua concessissent, more brutorum pronus incedere fuisset coactus, duobus capitibus cum trunco duplicato deorsum pendulis. Costæ utriusq; trunci erant conspicuæ. quæ intus in hunc modum coibant. < >. In altero hypogastrio partes visebantur excrementis destinatæ. duobus foraminulis conspicuæ. Sceleton hoc sequioris erat sexus.

HISTORIA LVI.

Febris Tertiana Epidemia.

Æstate 1652. præter morum & cœli nostri consuetudinem calidissima & siccissima. Hafniæ

Hafniæ & vicinis locis grassabatur Febris Tertiana Intermittens Epidemia, quæ multas familias velut conspiratione quadam invasit prostravitque. Varium in hac observavimus typum. Modò enim singulis recurrebat diebus, modò alternis, modò vaga, sæpissime post ἀπυρεξίαν redibat. Symptomata varia comitabantur, ingens capitis dolor, inprimis colli seu musculorum occipitis, lumborum, & dorsi, calor urens, vomitus biliosus, sitis, inquietudines, nonnunquam deliria, & petechiæ remissionis tempore evanescentes, & cum paroxismo revertentes. Post quartum paroxysmum in plurimis solvebatur per sudorem, in aliis translata materia maligna per abscessus colli seu inflammationes, per bubones vel tumores pedum & hydropem terminabatur, in plurimis per diarrhæam & dysenteriam desinebat, ubi nulla alia præcesserat crisis. Multis in hac urbe diuturnus vomitus post febrem istam remansit, ut ventriculum in febre hac inprimis affectũ, sicut in malignis solet, non dubitarim. Multi in censum Libitinæ venerunt, præsertim petechiis præsentibus, multi evasere post quartum paroxysmum sive per crisin sive decubitum. Malignam subfuisse causam subita virium prostratio indicabat, quæ aliquot mensibus vix potuit resarciri. Correptus & ego fui cum uxore, filia & universa familia. Sudorifera maximè profuere paroxysmo instante cum Alexiphar-

xipharmacis exhibita, præmiſſis ex Methodo præmittendis. Innotuit in horum ſenſu virtus Unicornu noſtri Groenlandici, quod non ſolum mediæ Drachmæ pondere cum aquis appropriatis ante paroxyſmum exhibitum ſudorem largum procuravit, ſed febrem plerumq; extinxit. Expertus id remedii novi genus ſum magno ſucceſſu in plurimis, mecumq; Medici alii urbis noſtræ in artis operibus Excercitatiſſimi.

HISTORIA LVII.

Hermaphroditus.

GRandæva Mulier Hafnienſis duobus Viris robuſtis, & habitu athletico nupta, ſine prole vixit. Ipſa corpore procero & animo virili, nullam viva unquam ambiguæ naturæ ſuſpicionem incurrit. Superiori anno 1652. debitum fatis perſolvit. Dum pollinctores, feminæque cadaver ad ſepulturam lavant, deprehendunt utrumq; in corpore ſexum, naturamq; muliebrem in dextris, virilem in ſiniſtris. Benè mentulatam omnes attonitæ ſtupebant, quæ nihil tale de bis conjuge vel cogitaverant vel inaudiverant, maritis enim robuſtis totiens ſatiata ſatisfecit ſemper. In Saturnalibus Venetiis 1645. infantem vidimus Hermaphroditum utroque membro genitali ornatum, ſed ſine brachiis mutilum.

tilum. Qui Hermaphroditi maris vel feminæ Anatomen desiderat, *Columbum* l. 15, consulat, aliaq; de his apud *Casp. Bauhinum* decus olim Germaniæ legat.

Historia LVIII.

Excrescentia uteri prolapsum mentiens.

Vidi in Nosocomio Patavino 1641. dissectam mulierem, quæ prolapsum uteri à partu difficili ante 10. annos passa credebatur. Narravit se in prato cubantem observasse descendere uterum, gramenq; venari. Ex illo tempore indies crevit ob affluxum sanguinis, ut distentus nigerq; in putredinem degeneraverit. Judicabat Chirurgicas Operationes nobis demonstrans *P. Marchettus*, non esse uteri procidentiam, sed excrescentiam aliquam in vagina uteri, adeòq; abscindendam. Alter Nosodochii Chirurgus familiaris pro uteri stetit procidentia, quum excrescentia subitum ortum incrementumq; habere non possit. Mulier interim secari volens, inter ambigua consilia, ad mortem properavit. In aperto cadavere, satis in trunco obœso, sed artubus emaciatis, uterum suo loco sanum beneq; constitutum vidimus, excrescentiam verò ex uteri vagina dilacerata pendulam, cum labiis pudendi, ex lue venerea forsan, inflammatis.

HISTORIA LIX.

Vomica in Thorace.

JOhannes Haxius Holsatus ex gravi percussione lateris dextri versus dorsum in tribus primis costis spuriis, à qua flatulentus œdematosus tumor procreatus, per gangrænam & cariem in Leidensi Nosocomio 1638. extinctus est. In cadavere aperto pleraq; sana, nisi quod in mediastini intercapedine vomica existeret crasso pure repleta, similisq; sterno sub pleura insideret eo loco ubi mediastinum connexum erat, vomicâ affectum, ita ut inter sese duæ hæ vomicæ communi aditu paterent. In abdomine magna puris copia innatabat præcipuè ad aqualiculum collecta, quæ ex pinguedine omenti & intestinis adnata, per tabificam febrem eliquata fuerat. Quam suspicionem *Otthoni Heurnio* Professori Anatomes, nobis præsenti, auxit residua omenti & intestinorum pinguedo, quæ diffluens similem ideam purulentæ materiæ repræsentabat.

Historia LX.

Steatoma in utero Apoplecticæ.

IN cadavere muliebri â Cl. *Veslingio*, diſſectori accuratiſſimo Patavii 1644. noſtram in gratiâ aperto, ex Apoplexia illiq; ſuccedente Paralyſi tandem defuncto, viſus nobis ren dexter naturalis quidem coloris, ob atrophiam tamen vix quartam ſiniſtri partem æquans. In hujus pelvi calculus continebatur ſubſtantie tartareæ & coloris, in ſinubus verò ſeu cavernis interioribus tam arenulæ per totum renem copioſiſſimæ, quam bini duriores calculi infarcti conſpiciebantur.

Uteri fundo in parte exteriore tumor adnatus magnitudine juglandis, cujus interior facies albicans & pinguis ſteatoma referebat. Aperta uteri cavitas ſimili pinguedine densâ omnino repleta viſebatur, parietibus ejus annexâ. Hinc 40. annorum induciis nunquam concepit.

Aperto cranio repentinæ mortis innotuit cauſa. Omnes cerebri ventriculi concreto ſanguine turgebant, ut ne guttulam amplius exciperent. Sanguis iſte ex rupto plexus choroidis vaſe expreſſus, concretusq; liberum ſpirituum animalium commeatum impediendo, Apoplexiam excitavit, quam deinde Paralyſis ſiniſtri lateris, ad finem usq; vitæ pertinax, inſequuta eſt.

Hanc igitur causam Apoplexiæ sine causa negat *Nymmanus* c. 19. de Apopl. quam & *Chifletius* l. 1. dædalm. c. 4. in domina de Lessey & D. Barone à Bevois observavit. De sinubus exemplum habet *Duretus* in Coac. c. 23. § 1. & in cerebri basin procubuisse sanguinem *Fernelius* l. 2. abd. Caus. c. 15. vidit.

HISTORIA LXI.

De Unicornu Africano.

FRanciscus Marchio de Magellanes Africanus, nomine Regis sui Guinensis ad Curlandiæ Ducem Legatus Hafniæ 1652. mense Octobri substitit, visisq; rarioribus in Technicotheca Regia, inprimis Unicornu Boreali nuper ex Groenlandia advecto undecim spithamas longo, mirabatur cornu hujus longitudinem, monuitq; diversum in patria sua Unicornu reperiri ex genere Quadrupedum sæpe à se visum, nec de eo in Africa dubitari. Quia verbis pondus inesse videbatur hominis non Barbari sed Christiani, generi Regis ut ferebat & nepotis, de animali isto ejusq; cornu diligentius inquisivi, Serenissimo Rege meo clementer jubente, hæcq; ex ejus relatione comperi.

Unicornu quadrupes Africanis illius *Tirè binà* vocatur, h. e. cornutum animal. Velocissimum animal & ferum in deserto magno *Canó* Africæ oberrat,

oberrat, unde vivum capi facilè nequit, sed sagittis figitur. Cadaver tamen in deserto reperitur, & in usum venit incolis, quod cum veterum Monocerote non multum abludit. Ipse Magellanicus vivum viderat nunquam. Rogavi tamen ut Regis sui opera sagittarii conferto agmine emitterentur, quo vel vivum capiatur, vel ossa, pellis, cranium & cornu ipsum nobis transmittantur.

Magnitudine & forma equum mediocrem exprimit, capite, cruribus & pedibus pilosis, juba brevi vixq; spithamam prolixa, cauda equina, sed non valdè pilosa. Cutis universa glabra pilis brevissimis.

Color in dorso cinereus, lineâ nigrâ per medium dorsi excurrente, à maxilla v: inferiore ad abdomen candidissimus.

In fronte crinium fasciculus visitur, ex cujus medio excrescit cornu unicum, cui fasciculus ille pilorum semper adhæret, quanquam cornu à fronte animalis sit separatum.

Cornu ipsum, vix tres spithamas superat, 8. vel 9. circiter pollices crassum in basi. In apice hujus cornu fasciculus pilorum rubrorum est appensus, pugni amplitudine, quod hactenus nulli Unicornuum speciei proprium audivi vel legi.

Cornu neq; in gyros contortum instar Unicornu Borealis, sed exiguas eminentias habet & incisuras, quæ à fronte recta linea ad apicem producun-

ducuntur. Color flavescens. Cavum circa radicem. Mas solus cornu isto solo visitur, femina in reliquis mari simillima sine cornu.

Africani magnum huic cornu statuunt pretium ob virtutes de cantatas. Contra venena omnia illud exhibent, tam intus sumptum quam extra. Fera antequam bibat, semper cornu aquis mergit, quæ exinde planè turbanter. Unde incolæ cornu adhibituri, apicem cum fasciculo pilorum aquis mergunt, ex quo deinde aquam salutis gratia exsugunt. Aqua fasciculo immerso ebullit, sicut id omnibus siccis usu venit, Unicornu fossili, calcinatis cornibus, & de veterum Monocerote fama fert.

Caro Monocerotis Africani non ingrati saporis, recenter cocta & comesta, lepram curat. Pili Caudæ in pulverem cremati, & in vino Hispanico assumpti, Dysentericis prodest.

Monocerotis hoc genus nunquam descriptum aut depictum fuit. Veterum Monoceros cum leone & equo communia habebat multa, nigro cornu. Africanum equo vix dissimile. Nec Asinus Monoceros est, quem in Africa reperiri *Herodotus* & *Solinus* scribunt. Quanquam enim & ibi inveniri Asinos sylvestres & domesticos bicornes consentiat Magellanicus noster, disparem tamen ab hoc Unicornu faciem demonstrat. Nec Amphibion est Africanum descriptum *Garciæ ab Orto* l. 1. hist. Arom. c. 14. quia pedes poste-

posteriores similes sunt anterioribus, nec cornu illi est mobile. Monstravi Magellanico singulas Unicornuum ex *Aldrovando* & *Ionstono* figuras, sed nullam propius accedere affirmavit, quam Equum Monocerotem Tab. X. *Ionstoni* depictum, nisi quod ungulis sit solidis solipes.

Monstrum credidi, sed fidem fecit Afer omnia Unicornua hac facie comparere, sibi simillima. Navis præfectus Petrus Schultzius nostras confirmavit in Africa idem sibi narratum sæpius ab Incolis. Ita Africa semper aliquid novi. Relationi novæ fidem plenã spondemus, quando ex condicto unicornu ipsum ad Serenissimum Regẽ nostrum Marchio Magellanicus transmiserit.

Historia LXII.

Chamæleontis Anatome.

Chamæleontem vidi vivum Romæ apud Equitem magum *Cassianum à Puteo*, capsulæ inclusum, & Patavii apud Monachum Franciscanũ ex Ægypto allatum. Animal innoxium, & si ad lumen solis vel diei opponatur, ferè translucens. Oculorum orbes, quod mirum, in diversas partes flectit, unoq; momento dextrum oculum potis est ad anteriora movere & sinistrum ad posteriora, imò elevato capite oculorum beneficio tergum suum intuetur, quod nobis natura denegavit.

vit. Lingua tam longa, ut longitudinem totius corporis ferè exæquet. Complicata illa in ore latet annulorum instar, quam totam explicat emittitq; nictu oculi ad captandas muscas, formicas &c. Muscæ verò facilè adhærent muco linguæ lubricæ, & sequuntur captantis ductum. Hinc errasse veteres apparet, qui uno ore Chameleontem aëre solo vivere prodiderunt. Ita *Plinius* l. 8. c. 33. solus animalium nec cibo nec potu alitur, nec alio quam aëris alimento. Sed nata opinio inde, quod chamæleoni maximus sit pulmo, unde multò aëre indiget, & humidum animal diu famem ferat. Dentes acuti sed parvi. Cutem maculæ distinguunt, quæ quosvis colores vicinos imbibunt, viridem facillimè & nigrum, difficilius rubrum. Mutatio hæc colorum suas habet periodos, sicut *Io. Veslingius* mihi retulit, qui plures chamæleones in Ægypto vidit. Nam mane & circa vesperam virides colores ostendit, circa meridiem ad nigrorem vergit, circa noctem pallet, media nocte candicat. Chamæleonem à nobis Romæ visum, postea mortuum, consilio laudati Equitis *Puteani*, aperuit Anatomicus Romanus D. *Dominicus Panarolus*, diligenterq; singula animalis interiora scrutatus est, & brevem totius Anatomen vernacula lingua edidit. Observavit autem oculos musculis destitutos, motum in omnem partem nancisci à membranæ corrugatione quæ fibrarum circularium beneficio contracta

tracta oculum trahit quocunq; est movendus, sicut frons alioquin corrugari solet. Nervi optici ex cerebro enati statim dividuntur, ut singuli ad suum oculum vergant, nunquam conjunguntur seu confunduntur, quemadmodum in homine. Hinc oculi unius motum alter non statim sequitur. Laxi sunt, non tensi, ut ad posteriora sine ruptura reflecti possint. Linguam invenit non esse aliud, quam canalem convavum in exortu & prope finem carnosum, spongiosum, & viscosum, in cujus canalis medio transit funiculus, qui extenditur & contrahitur instar chordæ testudinis, inseriturq; in linguæ finem, quum ab osse hyoide sumat initium. Ossis hyoidis alia quam in homine fabrica, nam pars ejus extenditur in longum insinuatque se in linguæ concavitatem, ut instar gladii in vagina recondatur. Ab hujus ossis extremo cartilaginoso funiculus ille oritur linguam retrahens.

Liene caret & vesica, nec igitur bibit Chamæleon, nec mejit, sed alimenta ingesta deglutit, eademq; parum mutata per alvum dejicit, ut naturali Lienteria laborare videatur. Reliqua viscera ab humanis vix differunt. Diaphragma tamen nusquam in Chamæleone conspicitur. Pulmones satis spongiosi, rari & parvi. Viscera exiguum in abdomine spacium occupant, ut abdomen aëre potius plenum videatur, quam visceribus.

De Chamæleonte cætera videantur apud *Pli-*

nium l. 8. c. 33. &c. *Bellonium* l. 2. Obs. Med. c. 34. *Dioscor.* l. 2. c. 97. *Sionitam* in App. ad Geograph. Ubiensem. *Verulamium* Hist. Nat. Cent. 4. Exper. 360. *Panarolum* Nel Camaleonte esaminato, aliosq; passim obvios.

HISTORIA LXIII.

Fæces alvi per vulvam excretæ.

Uteri collum tam arctè recto intestino nectitur, ut sine cultro separari nequeat. Hinc læsa alterutra parte utriusq; excrementa liberè inter se commeant. Sæpe evenit, ut eroso vel abraso utriusq; pariete carneo, præsertim in partu difficili, alvi fæces per naturalia mulierum expurgentur, quod nonnunquam etiam clauso ano nativitatis culpa fit *Benivenius* Obs. c. 86. exemplum habet, & *Dodonæus* in Schol. ad Ben. c. 9. & A. *Lusitanus* Cent. 2. Obs. 10. & *Mercurialis* l. 1. Morb. Puer. c. 9. & *Sennertus*. Me Parisiis præsente puellæ cuidã idem contigit, & nuper *Hafnæi* in vico viridi puerperæ. Advocaverat obstetricem non satis exercitatam in his sacris, quæ in difficultate partus constitutam, miserè dilaceravit. Fœtum enim extrahere aggressa, linteamine caput constrinxit, ut vi ex angustiis maternis eliceret. Successit quidem rudior operatio, sed sive unguibus sive fœtus calcitratione, perruptus fuit

fuit communis paries inter uteri vaginam & rectum intestinum. Hinc non solum fæces alvi per vulvam prodiere, sed & lotium præter voluntatem. Sex hebdomadibus hæc via excrementis patuit, quam natura ipsa deinde solidavit, & ad anum suas remisit sordes, lotio tamen adhuc, ob sphincterem vesicæ læsum, non cogitanti exstillante.

HISTORIA LXIV.

Scroti in Hydrope periculosa apertio.

ABbas Cambianus Fontanus in Monasterio S. Antonii de Vienna Patavii, nobis notus, in eam excreverat corporis magnitudinem, ut partim naturali corporis vasti habitu, partim hydropis vitio, tonnâ nostram amplissimam facilè excederet. Ascites vasto corpori adjunctus augebat aqualiculum ex intemperie hepatis natus. Vino enim generoso libenter delectabatur, & nocte media ad captandum aërem frigidum surgere assueverat, fructibusque horariis insigni voluptate & palati blandimentis vescebatur. Interim dum remedia per *Salam* nostrum adhibentur, pedes salsis humoribus intumuere, qui & scrotum cum glande excoriarunt. Variis non sine successu tentatis, tandem domum raversus incontinente victus ratione malum revocavit, scrotumque ita intimuit ut

vasto aqualiculo propenderet maximum. Chirurgus sectione imperatâ vulnus justo majus fecit & profundius, unde gangrænæ data occasio. Sentijt post sectionem humorem ad fauces regurgitantem qui loquendi promptitudinem Abbati ademit. Post breve temporis intervallum inferioribus partibus à putredine planè nigrescentibus, è vivis excessit.

HISTORIA LXV.

Diarrhæa & Dysenteria Epidemica.

FEbrem Tertianam Epidemiam Hafniæ in æstate 1652. grassantem insequutæ sunt statim Dysenteria, & Diarrhæa maligna sine febre, qua trium mensium spacio aliquot millia hominum in urbe occubuerunt. Benignior fuit Dysenteria, sed Diarrhæa seu fluxus albus pluribus exitiosus. Illa facilius cessit remediis, hæc difficulter. Illam enim ex sanguine, vasis mesenterii vel apertis vel erosis, sedare & adstringere promptius fuit, quam Diarrhæam ex toto venoso genere seu sanguine in bilem corrupto, vel ulceribus malignis in intestinis excitatam.

In Dysenteria pura, ex qua eluctati plures nonnunquam sanguis & per vomitum & secessum rejectus.

In Diarrhæa maligna præcessit primum materiæ biliosæ excretio, deinde successere liquidæ, serosæ

ſeroſæ & pituitoſæ humiditates, tum porraceæ nocte dieq; perſeverantes, æruginoſæ, cum ſummis doloribus, torminibus, inappetentia & vomitu, qui circa finem vitæ maximè ingraveſcebat, nunquam ceſſante fluxu. Nonnunquam ſanguis purulentus tanto fœtore præditus excernebatur, ut adſtantes infecerit, meſenteriumq; apoſtematibus refertum certo indicio proderet, atque in his nulli clyſteres potuerunt injici, natura repugnante nec quidquam per rectum inteſtinum admittente. Ætatem puerilem pari violentia invaſit, ut miratus ſim tenera hujusmodi corpuſcula tantæ bilis flavæ & porraceæ eſſe feracia. Senſus reliqui externi & interni ad halitum extremum ſemper ſani.

Ad præcavendum exſtirpandumque malum Epidemium juſſu Regis Auguſtiſſimi, cui ſubditorum ſalus ſemper eſt cordi & curæ, Conſilium vernacula lingua in illorum gratiam edidit Facultas noſtra Medica, legitima methodo adornatum, quibus Medicorum præſentia in tanto Libitinæ cenſu non rarò deerat, cujus ſequuti ductum infiniti ex Orci faucibus ſunt erepti.

Certatim tamen vulgus ſibi remedia finxit. Pulte ruſtici uſi, & pomis auſteris, & lacte ovillo, vel ſero ejusdem lactis. Alii panibus rubi fructum nigrum miſcebant. Fuere qui præmiſſis legitimis remediis, in ſedando fluxu ſingularem oſſium quorundam porci uſum ſunt experti,

perti, cum accommodatis Alexipharmacis.

Civis Hafnienſis honeſtus ſecreto ſuo aliquot mille Dyſentericos ſervaſſe ſe gloriabatur. Ad præſervationem vinum vel cereviſiam abſinthites commendabat, non Dyſenteriæ tantum profuturam, ſed & Peſti & febri Petechiali ſalutarem, ſi à jejunis tribus vel quatuor horis ante paſtum hauriretur. Vinum autum ſeu cereviſiam non ſolo abſinthio, ſed aliis cardiacis & adſtringentibus temperabat, Carduo Benedicto, ſummitatibus centaurii minoris, corticibus Aurantiorum, radice Tormentillæ, Cubebis, foliis Meliſſæ, radicibus Helenii, Angelicæ, calami, & gentianæ. Ad curationem præſentis fluxus ſeu albi ſeu ſanguinei, libram ſemis calidæ cereviſiæ propinavit adultis ægris, cui ſummitates abſinthii & ſal album incoxerat, & nucem moſchatam tritam cochleari ultimo ſuperbibendam dabat; infantibus verò pro ratione ætatis, cochlearia hujus potus tria, quatuor, vel ſex miſcuit. Applauſum à multis meruit hoc ſecreto. Sed ferri non poteſt, quod unico remedio & roborantia & abſtergentia & adſtringentia incluſerit, promiſcueque ſine aliis ex Methodo præmittendis, & Dyſentericis & Diarrhæa maligna laborantibus exhibuerit. Diverſi hi affectus diverſam methodum poſtulant. Alioquin ſal ſeu muriam in dyſentericis laudat *Dioſcorides* l. 5. c. 126. 128. *Galenus* 2. Simpl. Med. Fac. c. 12. & Vinum ab-

ſinthio temperatum concedit *Platerus* l.3. Obſ.p. 871. ſeq. Ita varia varii remediorum genera elegerunt, alii ad adſtringentia ſtatim confugere, clyſteres & purgantia alii damnare, ſingulis ſubinde fortuna adſpirante vel plures eludente, ad Medicorum opem reverſos vel illis ſpretis pereuntes.

HISTORIA LXVI.

Hydrops Thoracis.

IOhannis le Mons Flandri placiâ ſed repentinâ morte extincti cadaver in Noſocomio Leidenſe 1639. apertum, utrumque dextrum pulmonis lobum, ſed præcipuè inferiorem oſtendit nobis conſumptū, ut ſola membrana externa inferius reſidua eſſet, adeò craſſa ut triplo pericardii craſſitiem ordinariam æquaverit. Non tamen membranoſa hæc tota erat tunica, ſed interiore facie qua pulmones ambiebat, conſiſtentia inſtar ſævi craſſa apparebat, candicans, non abſimilis cartilagineæ coſtarum ſubſtantiæ, niſi quod ob mollitiem digitis contrectata in pulpam reſolveretur. Arctè utroque latere pleuræ adnata, inferiore loco ad diaphragma hidatides aliquot ingentes limpidâ aquâ repletas formaverat, quæ fontis inſtar thoracis dextram partem copia aquarum inundaverant, & Thoracis Hydropem acciverant. Pericardium quoque multa aqua diſten-

diſtentum, ultra naturalem excreverat magnitudinem. Cor ipſum longè nativam molem excedebat, flaccidum, nigro ſanguine plenum, in ſiniſtro latere uterque pulmonis lobus videbatur ſanus, Parenchyma quidem conſumptum non erat, color tamen luridus, viſcidáque materia puriformis paſſim inſparſa comparebat.

HISTORIA LXVII.
In Porſis Obſervationes Raræ.

NOlo quæ *Cophon* de Porci Anatomia ſignavit, & *Severinus* in Zootomia, repetere. In nonnullis Porcis in ædibus noſtris mactatis quædam obſervavi, quæ trita non ſunt.

In ſiniſtro porci ventriculo circa conum contextus mihi viſus nervorum elegans, ſeu fibrarum, quæ cum valvulis nihil habent commercii, colligantque carnoſos parietes. In eodem ſanguis concretus adipoſus aderat.

In ſepto cordis hic Hafniæ 1650. plurima foramina piſi magnitudine pervia erant, quæ ſtilum leviter adactum facilè admittebant, deducebantque ad ſiniſtrum ventriculum, ubi tenuis membrana velut anaſtomoſis apponebatur, regreſſum inhibens. Non igitur falſus fuit *Gaſſendus* Vir ſincerus, qui Aquis Sextiis Payanum vidit oſtendentem ſeptum cordis pervium. *Riolanus* certè

Magnus

Magnus ævi nostri Anatomicus, versus mucronem pervium conspexit. *Hinc* sanguinis partem tenuiorem per poros hos ad sinistrum ventriculum ferri suspicor, majorem verò universi sanguinis copiam per pulmones circulari.

In multis porcis 1653. Hafniæ mactatis apparuerunt ova quædam sine testa in hepate, mesenterio, & lumborum vertebris appensa, quæ magnitudine ova gallinacea æmulabantur & subventanea visa, sed præter aquam limpidam nihil continebant, diutius enim coctis non induratus fuit liquor. Unde abscessus credo aquosos esse seu vesicas serosas, ex vasis nostris Lymphaticis, quæ circa hepar, mesenterium & Iliacos ramos luxuriant, exortas.

Sues prægnantes aliquot quoque 1650. diligenti cultro examinavi. In utero tot cellulæ, quot porcelli, sed numerus horum numerum papillarum excedebat.

Porcelli longitudine minimi digiti erant, in his omnia cartilaginosa. Cor benè formatum, candidum, ventriculis excravatum. Auriculæ rubentes sanguineæ, sanguini concreto persimiles.

*H*epar molle & rubrum, instar sanguinis concreti, universum occupans abdomen, & intestinis superstratum. Intestina subjecta candicantia, vermiculorum æmula. Vacuus ventriculus & parvus. Renes majores quam pro corporis propor-

portione. Capsulæ flaccidæ. Cerebrum fluidum & aqueum, sed venulis consperſum tenuiſſimis. Oculi grandiores. Reliqua diſcerni accuratè non potuerunt. Situs porcellorum in utero eſt oblongus, prono capite, extenſis pedibus. Ex umbilico tria vaſa umbilicalia diſtinctè prodeunt per transparentem funiculum conſpicua, major vena, laterales arteriæ exiles, diſtinctis deinde ramis per chorion diſperſæ. Amnios tenuiſſima, in qua mucus & copioſum ſerum continetur. Allantoides aqua limpida referta veſicæ oblongæ formam refert, cum collo excrementis viridibus ſcatente. Rectè ab *Aquapendente* depicta, ſed globoſior una parte extrema inſtar cucurbitæ. Chorion carnoſior circa utrumque finem, & in medio, ubi vaſa umbilicalia inſeruntur. Interior uteri ſubſtantia pariter carnoſa, cui chorion adhæret facilè ſeparabilis.

HISTORIA LXVIII.
Epilepſiam Febris ſedat,

EPilepſiam eſſe ſymptomata motus depravati & ſenſus, in confeſſo eſt apud Medicos. Senſus autem tactus non ſemper aboletur. Quanquam enim reverà ſentiant Epileptici externas injurias, non ſentiunt tamen ſe ſentire in ipſius paroxyſmi Vehementia.

In No-

In Nosodochio Hafniensi puella Epilepticis convulsionibus sæpe hoc anno 1653. corripiebatur. Nosodochii minister fucum subesse ratus, & simulari morbum, fraudem detecturus, carbones ignitos in volam Epilepticæ congerit. Ægra nihil sentiens, omne carbonum incendium perfert. Hinc tantum in vola manus ab igne vulnus excitatum, ut Chirurgus spacio mensium vix potuerit persanare. Interea febricula Epilepticam invasit, qua accensa convulsivi motus postea cessarunt. Rectè enim *Hippocrates* in Coacis & 2. Aph. 26. Convulsioni febrem accedere melius judicavit, quia frigidos lentosque humores in nervis farctos attenuat & discutit, sicut *Galenus* commentatur.

HISTORIA LXIX.

Maniacus seipsum suspendens.

ARdente febre corripiebantur plures Hafniæ in Autumno 1653. cum petechiis & delirio. Evasere multi, quidam larga hæmorrhagia narium, nonnulli abscessibus in collo obortis, alii tumoribus dolorificis in brachio vel pedibus. Multos jugulavit delirium. Ex classe Regia reduces nautæ quamplures febre hac infecti. Quidam ex illis extra portam Orientalem habitans, qui sti-

pendia 28. annorum in classe Regia meruit, ex navi rediens, uxorem febre defunctam amisit, mox ipse inficitur, febricitat, & tanto ex petechiis delirio furit, ut absente muliere conductitia custode, ipsum se summo mane omnium Sanctorum injecta fascia ad lectum suspenderit. Hinc delato, ad D. *Mothium* & me, judicio per Admiralium Regium, Virum Generosum Christophorum Lindenow, honorificè sepeliendum censuimus, nec per plateas more aliorum qui ipsi sibi violentas manus admovent, esse quadrigis trahendum. Sævientis enim morbi fatum, commiseratione potius, quam pœna dignum. Deliria in febribus petechialibus nihil non committunt, nullo supplicio expiandum. Exemplum recitat *Benivenius* Exempl. Med. c. 99. Ad insanam Viri cujusdam Nobilissimi filiam vocatus adeò furentem invenit, ut dum hinc inde sese violento quodam impetu jactaret, quicquid interim obvium habebat, dentibus arriperet, frangeret, laniaret. Ex quo proprios capillos, brachia & manus, & si quid præterea aliud arripere poterat, ita mordicus nullo habito discrimine suumne an alienum esset, apprehendebat, ut nisi scissum ac prorsus laceratum ex ejus dentibus eripi non posset, adeò ut vincire puellam oportuerit, ne sibi aut alteri noceret.

De maniaca muliere Patavii nobis narrabat *B. Sylvaticus*, quæ per plateas ambulans de rebus Venereis semper locuta, interdum baculo obvios

aggressa

aggressa est. Hæc tandem cum in Nosocomio S. Francisci detineretur, ab ejus loci ministris sæpius compressa convaluit, quia à seminali humiditate, diutius retenta & putrida, elevatis vaporibus Mania hæc orta fuit.

HISTORIA LXX.

Grumosus sanguis instar hepatis per alvum excretus.

CIvis quidam Rostochiensis per triennium ἀνορεξίᾳ laborans sæpiusque de torminibus alvi conquestus, frustra adhibitis variis remediorum generibus, eo tandem 1652. miseriarum devenit, ut emaciatus vixque ossibus hærens phtisici in morem gravissimè decumberet. Accidit demum ut præsente Medico D. *Sculteto* de maximis angoribus quæreretur, coloreque mutato sudor erumperet per totum corpus frigidus, aliaque mortem minitantia signa apparerent. Cum omnes de vita desperarent, alvum exonerare cupiit, sed è lecto surgere prohibitus, pelvi porrectâ, per secessum rejecit frustum massæ sanguineæ instar parenchymatis concretæ, fibrisque variis venularum in morem refertæ, ut crediderint adstantes hepar integrum per alvum redditum. Oblongus erat grumus variis quasi ligaturis distinctus. Æger autem dictum factum melius habuit, deincepsque

ex voto convaluit, ſicut per literas ad me perſcripſit Cl. V. M. *Michael Lyſerus*, olim Auditor meus, & amicus perdilectus.

HISTORIA LXXI.

Oculi vulnera.

JUvenis quidam Patavii baculo offenderat oculi angulum, ut relicta in oculo ſint fruſtula lignorum. Sæpius illa extrahere tentaverat *Marchettus* Chirurgus haud ex trivio, & tandem ſanatum juvenem ex Noſocomio demiſit. Reverſus verò poſt aliquot menſes, conquerebatur de tumore in faucibus & palato, quo aperto durum aliquod corpus in palati tumore deprehenſum fuit, quod ligni erat fruſtum ex prioris vulneris reliquiis, huc via incognita protruſum. Tumque ſecuriore recuperata valetudine lignum extractum collo ſuſpendit, urbemque circumiens miraculosè ſe ſanatum clamitavit.

Leidæ alius in oculo vulneratus. Cancro mox in oculo ſuccedente, conſilio *Io. VValæi* Viri Summi per Regium Chirurgum forfice oculus erutus. Primo, ſecundo & tertio die optimè exinde valuit, ſed ſubitò quarto die Apoplecticus mortuus, levi apparente convulſione.

HISTO-

Historia LXXII.

Maculæ Lunares in facie Epileptica.

Comitialis Morbus ſeu Epilepſia *Tralliano* & *Cælio Aureliano* non malè *Lunaticus* ſeu *Lunaris* dicitur, ſive quod ſecundum lunæ mutationes invadat, quæ imperium habet in humiditates & cerebrum, ut in vulneribus videre eſt; ſive quod in novilunio concepti & nati hoc morbo corripiantur. Certè ſi radiis Lunaribus quis aperto capite dormiat, Epilepſiam incurrere vulgò perſuaſum. Hinc apud *Matth.* c. 17, 15. puer cujuſdam vocatur σεληνιαζόμενος, lunaticus, qui Epilepticus erat, ut ex ſignis ibidem ſignatis patet. Nam cecidit in ignem & crebrò in aquam, ſputavit, & ſtridebat dentibus. Dicitur quidem ab eodem *Matthæo* v. 18. *Marc.* 9, 17. *Luc.* 9, 39. dæmoniacus ſeu à dæmone torqueri, nam ſæpe conjungitur hujuſmodi lunari morbo dæmon, vel certè à dæmone naturalium rerum ſcientiſſimo & cauſas naturales movente inducta fuit Epilepſia. Sæpe ſæpius quoque dæmonis præſentiam hi inſultus mentiuntur. Vidi Patavii Baronem Germanum Epilepticum à Monachis S. Antonii miſerè flagellatum, quia obſeſſum credebant, ſed nihil illis proficientibus à *Sala* Medico curatum.

Singularem Lunæ cum corpore Epileptici conſenſum in patria noſtra vidi. Filia enim Sophiæ in

horto Regio Fridericiburgenſe Epileptica, meæ curæ ſubjecta, maculas in facie habet apparentes, quæ pro varia Lunæ phaſi & mutatione, variæ videntur tam colore quam magnitudine. Tantum corporibus noſtris cum cœlo commercium.

HISTORIA LXXIII.

Muris Norwagici, Lemmender, Anatome.

MUres in Norwegia depluentes, quos vulgò *Lemmender* vocant, Bergis nuper Hafniam ad D. *Olaum VVormium* Virum ſummum miſſos, jamque exſiccatos & exenteratos, cum laudato Viro 1651. diſſecui, ſceletonque ex illis in uſum Muſæi Wormiani conſtruxi. In diſſectione occurrebant ſequentia:

Muris univerſi magnitudo glires noſtros æquat. Pellis variegata, flava, nigris maculis diſtincta, adeò tenera, ut citra rupturam ſeparari nequeat, niſi in myſtace.

Dentes inciſorii duo in utraque maxilla. Loco caninorum vacuus eſt locus, quem implet ferè lingua. Sequuntur mox molares, quorum utrinque tres ſunt, totidem alveolis diſtincti, primus latior inciſuris quatuor velut ſerris donatus, quarum in alveolis quoque conſpiciuntur veſtigia, alter tribus, quia minor, tertius totidem,

tidem, ſed arctioribus, quia priore adhæc minor.

Inciſorii inferiores ſub prioribus terminantur. In aliquibus longius prominent, minus in aliis. Protenduntur radicibus longiſſimè incurvi ad molarium principium. In medio latiores & inſtar gladii acuti. In principio ſeu extremitate prima excavati velut cochleare, quo melius fruges arrodant.

Lingua larga longitudine dentes inferiores inciſorios facilè exæquat. Maxillæ inferiori, qua ſuperiori inarticulatur, tres ſunt apophyſes. Os petroſum quaſi carioſum, cultro non difficulter abraditur.

Oſſicula auditus tria exigua, à *Caſſerio* depicta, ſed ſtapedis forma ab illo variat, hic ferè rotunda, medio foramine, in ambitu ſuo ſtellularum velut radios obtinens.

In ore gramina exſiccata unus habebat. Viſcera reliqua exſiccata. An ſimplex illis ſit inteſtinum, ut de agreſtibus ex Medico diſſecante refert *Geſnerus*, dubito. *Severinus* enim in mure diverſum obſervavit *Zootom.* p. 128. Rectum inteſtinum excrementa ſolita continebat.

Membrum genitale foris piloſum, intus cartilagineum, ex oſſe pubis prominulum. Cauda brevior, ſecus ac in vulgaribus, decem tamen articulis conſtans.

Os femoris triplici capite acetabulo ſuo jun-

gebatur. In uno mure crus cum fibula olim fracta per callum coaluerat, forſan cum pluvia impegit in duriorem lapidem, vel tectum domus.

Accuratam hujus Animalis Hiſtoriam pertexuit nuper ſeculi ornamentum *Olaus VVormius*, publicoque ſcripto elegantiſſimo illuſtravit, ad quod Lectores curioſos remitto.

HISTORIA LXXIV.

Onera gravia periculoſa.

RObuſtus quidam Venetiis diſcedens cum ſarcina mercatoria, quadraginta leucas Italicas uno die pedibus eſt emenſus, reverſus verò ſubito in Hydropem incidit, ut abdomen in molem ampliſſimam attolleretur. Suaſu D. *Ferri* allium in lacte coctum accepit, unde ſubitò venter tumidus concidit, appetituſque ingens rediit, ut ſemper voluerit edere & bibere. Idem tamen remedii genus in aliis non ita ſucceſſit feliciter.

Filius illius Magiſtri Romani, qui artem complicandi lintea exercet, Romæ à ſodale occiſus eſt, quod in dorſum ejus impingeretur tantum ſaccus cineris.

HISTORIA LXXV.

Spasmus ex oculi contusione.

ADfui 1644. Neapoli puero, qui 15. abhinc diebus ex lusu igneo oculum sinistrum eluserat & eliserat, cui deinde supervenit spasmus circa meridiem prono capite quasi in circulum acto cum spuma oris aliisque convulsionis indiciis. In eodem quoque capitis latere versus Lambdoideam suturam tumor adeò dolens emersit, ut ad minimum digiti tactum exclamaret. Membranæ enim oculi cum pericrania & dura matre habent consensum, ut unius irritatio facilè alteri communicetur. Præterea opticorum nervorum origo à Lambdoidea sutura parum abest, quæ per fibrillas membranarum interno cerebro jungitur.

HISTORIA LXXVI.

Anatome Pthisici.

THomæ Gualtheri cadaver 1638. in Nosocomio Leidensi tabifico morbo extincti anatomico cultro examinantes, Pulmones vidimus exsangues, siccos & constrictos, & in dextro latere arctè costis adnatos. Cor quoque flaccidum, quia sanguis omnis spissior, viscidior & exustus auriculam dextram in præternaturalem magnitudi-

nem diſtenderat. Hepar vitiatum, denſum, exſangue, ſine colore rubeo conſpicuum. Omenti pinguedo à febrili æſtu abſumpta. In Liene denſo & nigricante & digna viſu fuit appendix ovi columbini magnitudine, infra ipſi adnata, exiguis quibuſdam excreſcentiis eidem ad latera adhærentibus. Multa aqua citrina thoracem & abdomen implebat ex δυσκρασίᾳ ventriculi cordiſque procreata. Pancreas denſum & compactum, colore cinereo.

In alio ibidem 1639. à *Fr. Sylvio*, Anatomico dexterrimo & amico veteri, diſſecto obſervavimus ſummam pulmonum tunicæ craſſitiem digitum medium æquantem, hepar verò, lienem, diaphragma & inteſtina inter ſe arctius cohærentia, omentum denique planè carnoſum.

HISTORIA LXXVII.
Rara Renum & Capſularum Atrabilarium ſtructura.

NOlim in numero monſtrorum feminam habere. *Ariſtoteles* naturæ aberrationem vocavit. Alii homines eſſe pernegarunt. Omnes in ſexum cognati generis injurii. Valdè tamen in mulieribus ludit Natura, illarumque partibus generationi dicatis. In cadavere muliebri Patavii 1643. diſſecto raram omnino Renum & Capſula-

larum Atrabilarium ſtructuram obſervavimus. Renes utroque latere more ſolito ſiti, in unum concreverant ſupra diviſionem vaſorum in ramos Iliacos. Pelvis ureterum extra renes conſpicua, triplici ramo ex renibus egrediebatur. Capſulæ atrabilariæ quatuor numerabantur. Superior dextra triangularis, ſiniſtra quadrata. Inferiores duæ rotundæ, globoſæ & inæquales, quæ arterias à trunco, venas ab Emulgentibus accepere. Emulgentium venarum numerus inſolitus. Vena dextra emulgens triplex ſed exilis, ſiniſtra ſimplex, craſſior, ſed ante ingreſſum trifida. Arteria Emulgens dextra duplex, ſiniſtra ſolitaria, ſed pari modo ante ingreſſum diviſa. Vena ſpermatica dextra ex trunco orta, in medio diviſa iterumque deinde unita. Vena ſiniſtra duplici exortu inſignis ex emulgente ſiniſtra. Arteriæ ſpermaticæ nullæ. Singularis quidam ramus ex inferiore concurſu renum ad Iliacum ramum protendebatur. Quæ ut clarius demonſtrentur, figurâ adnexâ ſingula ante oculos ponere conſtitui.

A *Arteria magna deſcendens.*
B *Vena Cava deſcendens.*
C *Capſula atrabilaria dextra.*
D *Capſula ſiniſtra.*
a *Vena ex cavâ ad capſulam dextram.*
bb *Venæ ab emulgente ad capſulam ſiniſtram.*
c *Ramulus qui jungitur cum ramulo venæ* ἄζυγος.
dd *Arteriæ duæ ab emulgente arteria dextra.*

e *Ar-*

e *Arteriæ ramus ab emulgente ſiniſtra.*
E *Arteria emulgens dextra ſuperior.*
F *Arteria emulgens ſiniſtra.*
G *Emulgens vena dextra prima.*
f *Emulgens ſecunda.*
g *Emulgens tertia.*
H *Vena Emulgens ſiniſtra.*
I *Ren dexter.*
K *Ren ſiniſter.*
L *Renis utriuſque concurſus p. n.*
M *Capſula atrabilaria prima minor.*
N *Capſula altera minor.*
hhhh *Arteriæ ex aorta capſulis inſertæ.*
i *Arteria Emulgens dextra inferior.*
k *Vena ſpermatica dextra.*
OO *Pelvis ureterum.*
PP *Vreteres.*
Q *Arteria in ramos Iliacos diviſio.*
l *Ramus ſingularis ex rene ad venam Iliacam.*
m *Vena ſpermatica ſiniſtra.*

HISTORIA LXXVIII.

Singularia Epilepſiæ remedia.

SAnguinem ex homine ſano decollato hauſtum, Epilepſiæ præſens remedium plurimi commendant. Proprium autem ſorbere ſanguinem nec ita tritum eſt, nec horrendum. *Aëtius* Tetrab. 2.

Tetrab. 2. Serm. 2. c. 15. ex Didymo refert, si magnum pedis ægri digitum diviseris ex quacunque parte, & destillante sanguine labia ipsius collapsi seu Epileptici illeveris, statim excitari. *Io. Langius* lib. 1. Epist. Medic. 8. Chirurgos quosdam carpit, quod quum secta vena sanguinem in lebete ob flatulentum inclusum spiritum, contremiscere vident, vitam cum sanguine effusam suspicati, repente antequam tepescat, patientem absorbere cogant. Plurimi nostratium inter familiaria secreta habent sanguinem ipsius Epileptici. Extrahunt enim secta vena brachii in ipso convulsionis paroxysmo parum sanguinis, illumque ovo sorbili mixtum ægro sorbendum propinant. Quod experimentum non paucos & in urbe nostra & extra illam ab insultu Epileptico statim liberavit, & planè deinceps immunes reddidit. Sed post haustum liquorem, cordialia, pulverem Bezoarticum aliaque addunt, ut ad sudorem componatur æger, ita enim à sanguine proprio materia convulsionis mota & turbata per sudorem discutitur & evacuatur.

Riolanus Pater sæpe se expertum affirmat Epilepticos resurgere, si ter in aurem vulgati versiculi insusurrentur:

Gaspar fert myrrham, thus Melchior, Balthasar aurum,
Hæc tria qui secum portabit nomina Regum,
Solvitur à morbo, Christi pietate, caduco.

Non

Non verbis ſed ſolo halitu oris in aurem immiſſo experimentum ſuccedere expertus eſt Cl. *VValæus*, memini enim illum maxima vi in ſiniſtram aurem Epilepticæ puellæ inflaviſſe, nulloque prolato verbo, imò ne ſono quidem, ægram dictum factum excitaſſe. A flatibus verò ortam Epilepſiam halitus calidus diſcutere potuit, in aliis ſimile tentavi, ſed irrito effectu. Poſſe tamen & verba certo rythmo incluſa ſimile quid ſine ſuperſtitione ulla præſtare, demonſtravi in Commentariis de *Paralyticis* N. T. Nam 1. Varia verborum prolatione aër alteratur, tam ille qui per vaſorum oſcula in cutem deſinentia per tranſpirationem ingreditur, quam in aures, nares, pulmoneſque delatus. 2. Vocibus diverſus efferentium flatus ſeu calidus ſeu frigidus vim imprimit diverſam, quam aſperæ arteriæ reliquorumque vocalium inſtrumentorum diſpar conſtitutio vel acuit vel gravat. 3. Varia verborum prolatione halitus accenditur qui vel ſolus vel rythmis adſtrictus frigida calefacit, & flatulenta diſcutit. 4. Quantum Muſica in curandis affectibus valeat, tam animi quam corporis, Tarantula docet, Rex Saul expertus eſt, & pluribus in Paralytico *primo* & *tertio* probavimus. Sed quomodo flatus vi in cerebrum Epilepticum penetrabit, cum auris interna oſſe undique concluſa minimo foramine ad cerebrum pateat, quod & arteria & vena & nervo repletur. Nodum ſolvit nobis olim laudatus

VVa-

VValæus, quem rebus humanis ereptum seriò dolemus. Nempe flatu diſtentum tympanum & auris membranæ fuere, quæ quia eædem & continuæ ſunt cum membranis cerebri, inde cerebrum magis ſublatum & poroſius factum fuit, nervique liberiores evaſere, ut ordinatius moveri ſpiritus potuerint, & melius ſenſus, motus & mentis functionibus inſervire.

Ex Americanis Inſulis cum navibus mercatorum Hafnienſium 1653. Gallus quidam lapidem ad nos attulit, quem precio 1600. Joachimicorum Sereniſſimo Regi noſtro vendendum obtulit, longitudine minimi digiti & craſſitie, glabrum & ex viridi pallentem, de quo ferebat, collo Epileptici ſuſpenſum omnem convulſionis inſultum ſubitò compeſcere & quamdiu geſtetur ſemper impedire. Conquiſiti ſunt Epileptici, hinc inde, ut lapidis decantata virtus probaretur, nec tamen eventus promiſſa confirmavit. Quantum verò oculatiores perſpicere potuerunt, lapis erat Nephriticus, qui an pro Amuleto Epilepſiæ haberi poſſit, facili experimento fiat periculum.

HISTORIA LXXIX.

Cygni Anatome.

CYgnum ab amico mihi miſſum Hafniæ 1649. exenteravi, & interiora omnia Medicinæ Stu-

Studiosis tantò libentius demonstravi, quod in Zootomia M. *Aurelii Severini*, Amici mei colendi, neglecta viderim vel omissa.

Ventriculus membranosus minor ante majorem, cum œsophago continuus, major carnosus arenulis lapillisque subinde refertus. Intestina valde longa sunt, & multo adipe pollicem crasso, qui vicem omenti obit, intecta. Quæ cum multis anfractibus gyrisque haud sint intricata, sed simplici tantum media spira in se revolutione reflexa, huic malo volens mederi Natura, cœca duo inter anum & ipsorum initium, injecto recto intestino, appendit, quæ anfractuum intestinorum defectum compensarent.

Hepar ingens, tribus, ut in homine, lobis distinctum, cum vasis & vesicula, Pancreas longiusculum, venis refertum.

Arteriæ asperæ admiranda sanè structura. Nam pro colli longitudine deorsum œsophagi comes protenditur donec ad sternum perveniat, in cujus capsulam se incurvo flexu insinuat & recondit velut in tuto loco & theca, moxque ad fundum ejusdem cavitatis delata, sursum reflectitur egrediturque angustias sterni, & claviculis mediis conscensis, quibus ut fulcro nititur, ad thoracem se flectit. In quibus autem ista sterni capsula sive vitio naturæ, sive ætatis deest, sicut in sceleto Theatri nostri observavimus, aspera arteria, quia se huc inflectere non potest, recta brevior aliarum more in-

re incedit, Antequam autem thoracem & ibi ſitos pulmones attingat, prius laryngem quendam efformat cum oſſe hyoide lata membrana veſtito & muſicorum inſtrumentorum fiſtulam referente, ſuperius lata, ſed anguſtâ rimulâ, inferius verò anguſtiore & depreſſiore. Sub larynge ſeu oſſe hyoideo, antequam pulmones ingrediatur arteria, in duos ramos divaricatur bronchiis non abſimiles, tumidiores in medio noſtrarum caligarum inſtar, ſed quia pulmonibus vicini magis ſunt, anguſtiores. In quibus ab humana differt arteria, quæ quidem in ramos dividitur & bronchias, ſed nunquam antequam pulmonum ſubſtantiam fuerit ingreſſa.

Miranda hæc organorum conſtitutio, & reſpirationi inſervit, & voci. Nam cùm in ſtagnorum profundo victum quærat, longiſſimo indiget collo, ne longa mora ſuffocationis incurrat periculum, & ex ea arteriæ portione, quæ pectoris vaginæ incluſa eſt, tanquam ex promo condo ſpiritum ſub aquis haurit. Copioſo etiam aëre opus erat per bifidos ramos, & ad ſublevandum corpus grandius. Os hyoides autem ante diviſorem collocatum ad longioris colli firmitudinem facit, & anguſtiori rima vocem Cygni ſeu ſtrepentem ſonum moderatur.

Pulmo exilis & flaccidus. Cor humano ſimile forma & magnitudine, venaque elegans coronaria extremum corpus percurrit. In dextro ventri-

culo valvula in vena cava circularis una & carnea, reliquæ valvulæ humanis similes.

Vertebræ colli numerantur 23. dorsi septem, caudæ octo mobiles, aliæ enim interiores sub Ischii osse immobiles, & fixæ.

Os pectoris protuberans cum sua spina. In quibusdam solidum, in nostro concavum ampla cavitate, mediaque parte porosum, ut aquam admittat.

Os scapulæ oblongum & angustum, ut in anseribus. Alæ os brachii humani æmulum cum cubito. Deinde ossa duo Metacarpi. Extrema ala quatuor articulis constat in rectum protensis, quorum extremus bifidus est, utrinque tamen cohærens, primus maximus. Duo laterales, quorum superior major, in duos item dividitur.

Costæ utrinque duodecim, ex plurimis similaribus & musculis. Illarum duæ superiores sterno non junguntur, reliquæ novem sterno arcuatim inarticulantur, in medio cartilagine divisæ, & inter eas quinque medias apophyses habent incurvas. Ultima costula coxæ superius connata, ejus medio juncta cartilagine, in latum & incurvum finem desinit, quanquam potius os pubis dicendum, sustinendo abdomini dicatum.

Os cruris femori involvitur singulari apophysi, homini inusitata. Os fibulæ latiore principio circa medium cruris in acumen desinit.

Beslerus nuper in *Regno Animal.* caput Cygni depictum

pictum dedit cum lingua ossea, qualem in nostris non invenimus, & osse hyoide triangulari, linguæ subjecto. Nos accuratam procuravimus Cygni sceleti, Laryngis & asperæ arteriæ duplicis iconem, quam in Dissertatione de Cygni Cantu & Anatome, publicè me Præside in Academia Hafniensi à Juvene Literatissimo *Ioh. Iacobo Bewerlino* 14. Sept. 1650. proposita, inveniet Lector.

HISTORIA LXXX.

Monstra porcina.

MOnstrum ex sue 5. Aug. 1648. cum aliis tribus porcellis naturali forma effictis, in Parœchia S. Canuti Insulæ Boringholmianæ apud Petrum Laurentii in Kiereby natum, caput habebat humanum, amplum os hians, clausos oculos, latam frontem & copiosum cerebrum, grave & intra cranium mobile. Reliquo corpore ad candorem vergebat, humano æmulum, sine setis. Pedes & cauda genus suum referebant, nec à porcorum grege deviabant.

Aliud Hafniæ vidi. Quinque porcellos perfectos primò exclusit sus 7. Mart. 1648. Halfnæsi in Selandia nostra. Postridie aliud monstrum sequutum, quod catellos geminos referebat in pectore sibi connatos, quatuor utrinque pedibus. Capita duo eminebant adverso vultu sibi opposi-

ta, alterum nares aurefque canino fimile, os tamen & oculi fuilli ex maxilla inferiore dentibus longioribus protenfis; alterum priori haud abfimile, nifi quod roftro caruerit aperto, cujus vicem fupplebat foraminulum, ubi tanquam per nebulam dentes tranfparebant reconditi, & infra utrinque auriculæ.

HISTORIA LXXXI.

Cholericæ Virginis Anatome.

PUella 20. annorum Cholera obiit. Cadaver ad ufum Anatomicum *Adriano Falcoburgio*, Anatomico Leidenfi accuratiffimo, quem nunquam fine admiratione vidi fecantem, conceffum fuit menfe Februario 1639. Vafa mammaria diligentius inquirenti nufquam apparuere. In abdomine multa immutata. Ventriculi fundus tranfverfum palmum infra coftas fpurias demerfus, nullo omenti fotu gaudebat, unde ventriculus imbecillis tanta vehementia viventem puellam ad vomitum concitavit, ut revocato omni ad caput fanguine, poft mortem rubeus faciei color perftiterit. Qua etiam vehementia ruptis vifcerum vinculis ventriculus cum inteftinis fuit depreffus. Omentum infra ventriculum ad os Ifchii protendebatur. Inteftinum colon profundius, multis aliàs gyris & circumvolutionibus diftin-

ctum,

ctum, hic levi inflexione serræ dentes æmulabatur. In intestinis verò vermiculus rubicundus latitans, corpus verè cacochymicum notabat. Lien dupla magnitudine tumidus à solita figura in globum oblongum mutatus videbatur. Meatus cholidochus in plurimos ramulos divisus multum bilis, ob angustiam, regurgitare fecerat, unde molestus ille & lethalis biliosarum humiditatum vomitus concitatus.

Vena spermatica dextra ab Emulgente dextra. Arteria seminalis sinistra nulla. Nec clitoris in virginali corpore comparuit, nec hymen, quod morbo imputabatur, sed carunculæ myrtiformes leviter vaginam distinguebant. Sinister testiculus longior dextro, longiusque ab utero distabat quam dexter.

HISTORIA LXXXII.

Variæ in canibus Observationes.

DUm plurimam operam in venarum lactearum & Lymphaticarum inquisitione impendimus, multa se in canibus obtulerunt aliud agentibus, quæ breviter signabo prout in mentem calamumque venerint.

Renis dextri parenchyma illæsâ tunicâ externâ à vermibus absumptum aliquando fuit, quorum duo longitudinem digiti & amplius æquabant.

Semel tres in uno cane renes visi, altero latere duo invicem sibi suprapositi ejusdem magnitudinis. In rene dextri lateris duo vermes salvâ tunicâ totum spacium justo ordine implebant, qui termites dissecti aquâ repleti erant, sed ita lentâ ut filamenti instar candidi extendi potuerint, sive ex corruptâ renum carne generati, sive ab aqua impurâ.

In alterius aorta arteria prope cor sex glandulas ciceris magnitudine sine ordine dispositas vidi, quod nec in homine infrequens notavi.

Nonnunquam singularem costarum cum sterno observavi connexionem, nec enim costarum extrema sterno jungebantur more consueto; sed superponebantur.

Non ita pridem in cane porus cholidochus adeò distentus apparuit, ut cum intestinis amplitudine comparari potuerit, qui in duodenum desinebat, venulis externè scatens, sicut & vesica bilaria. In aperto poro observatus callus cartilagineus circa intestini ingressum, quo impeditus fuit ad intestina fellis transitus, unde intumuit, & in homine Icterum provocasset. Accuratè videri potuerunt in amplo hoc poro foramina quibus in hepar patet, quæ totidem erant conspectiora quot lobi hepatis. Exitus cervicis vesiculæ felleæ in communem porum patebat, quo discisso, quia tumidus amplusque, inquisivimus an valvula ulla prætenderetur. Sed nullam invenimus. Contenta bilis in poro tenuior, crassior in vesicula.

cula. Subſtantia pori ſubtilior, denſior veſiculæ.

Lactans canis tres utrinque in abdomine papillas habuit, unam in thorace, ſed exilem. Interiore loco ſub cute piloſa utrinque per totum abdominis latus glanduloſum corpus protendebatur, continuum ferè à ſterno ad pubem, lacte ſcatens venulis ſanguineis hinc inde inſperſis. Inter glandulas quoque & muſculos abdominis ſanguinea vaſa percurrebant à muſculis ad ubera, & cum iis candicantes quædam fibrillæ ſine ſucco, iiſdem gyris & ductibus intortæ.

In cane prægnante brevi paritura, reſectâ cute piloſa cum mammis glanduloſis ſecundum longitudinem protenſis, vaſa mammaria externa glandulas viſa ingredi, quibus ſe lymphatica jungebant. In utero ſeu cornubus uteri octo catelli. Placenta uterina ſingulis circuli inſtar circumtenſa, viridi colore. In chorio humor flaveſcens, urinæ ſimilis, in amnio liquor alius candidior. Catelli in poſtrema hac aqua latent ore aperto, & lingua nonnihil exerta. In ventriculo ſimilis liquor illi qui in amnio, in inteſtinis craſſis ſolida excrementa. Diſſecto catelli thorace, cor pallidum, ſed auriculæ rubentes ultra horam cum dimidia pulſabant.

Ex umbilico catellorum præter umbilicales arterias, venam umbilicalem & urachum, duo alii funiculi minores tenuioreſque ad meſenterium eorundem tendunt, ejuſque centro affigun-

tur, id quod obſervatum quoque *Auzotio* Viro ingenioſiſſimo. Alia in canibus obſervata in Hiſtoria noſtra de *Lacteis Thoracicis* & *dubiis Lacteis* ſuo loco retulimus.

HISTORIA LXXXIII.

Torpor vagus corporis.

NObilis Bononienſis Patavium acceſſit conſilium pro ægritudine petiturus. Narrabat ſe interdum capitis vexari ſtupore, qui mox in brachia derivaretur, mox femora & pedes, imò ipſa quoque genitalia ita ſubinde torpeſcere, ut niſi manibus ea teneret, ex corpore decidere crederet; linguam præterea adeò nonnunquam dixit ſibi intumeſcere, ut ex ore non poſſet extendi. Medici Bononienſes catharrum eſſe decreverant, ex capite reliqua membra invadentem: Benedictus verò *Sylvaticus* gravis ille ſenex & longa experientia inclytus, cum ſciret catharrum relictâ ſubitò una parte in aliam non ruere, Melancholia laborare pronunciavit, malumque de quo conquerebatur, imaginarium eſſe. Tanti Viri judicium ipſe æger confirmavit ex collegio iſto Medicorum egreſſurus; ſe namque in tantam putavit excreviſſe proceritatem ut vertice trabes tangeret, exitumque iccircò per januam ſibi eſſe denegatum.

HISTORIA LXXXIV.

In Agnellis singularia.

IN Insula Bornholmiana 1648. natus in ædibus Petri Ipsens agnellus; cui os sanguineo colore in maxilla inferiore tinctum erat, cum rubra in naso macula. Auriculæ clausæ rubebant, sed in dextra auricula rostrum visebatur incurvum inferiora versus. Pedes quoque sanguinei supra articulum, postica parte latiores cum eminentiis acutis incurvisque sursum reflexis sine ungula. Cætera genus suum referebat, nisi quod sine lana essent partes quæ rubebant.

Monspelii 1641. in corde agnino dissecto cavam venam vidi duplici ramo, & orificio Cor ingredi, sed non ita amplo, quia diviserat consuetam amplitudinem Natura. Valvulæ horum ramorum seu cavæ duplicis difficulter discernebantur. Ludit subinde & in homine Natura & vasa sanguinea multiplicat. Sæpe vidi in homine brutisque duplicem venam sine pari, utrinque ex axillaribus productam. Insignis ille Prosector *A. Falcoburgius* in dissectione humana nobis olim monstravit prope venam cavam adhuc aliam illi similem, quam pro altera cava habebat.

HISTORIA LXXXV.

Ossa in diaphragmate & meninge.

DE hepatis dolore Anglus quidam 1645. conquerebatur. In cadavere post mortem dissecto hepar maximum diaphragmati arctissimè undiquaque connexum apostemate laborabat. Sed in diaphragmatis carnosa parte qua hepati committebatur, os accreverat duriusculum externa cartilagine tectum.

In subjecto virili ob cusam monetam strangulato 1638. Parisiis in Collegio Cameracensi à D. *de la Faye* aperto, omentum in inguén dextrum producebatur, deinde verò musculo Cremasteri ita adnatum visebatur, ut naturalem nexum diceres. Epiplocele enim laboraverat. Uterque quoque testiculus Hydrocele infectus. Tandem in capite inter duram & piam matres, sex inveniebantur ossicula, piæ matri firmiter inhærentia, ut sine illius ruptura divelli non potuerint. Nulla tamen fractura cranii videbatur, nec ullum illius vestigium. Horum ossiculorum duo in sincipite, utrumque unum, quatuor reliqua duplicaturæ membranarum immersa latebant. Sive in utero genita aliorum ossium more, sive à calore cerebri insolito deinde efficta, quemadmodum ossa in cordibus humanis brutisque indurantur non raro; certe natura ad robur membranarum

his

his uti potuit. Dura ſunt & aſpera, ſed exigua, quæ inter Muſæi mei numero rariora, & Conſobrino meo D. *Henrico Fuirenio* in illa diſſectione præſenti, refero accepta.

HISTORIA LXXXVI.

Leporis Anatome.

NOn Leo ſum, nec Cervus. Neuter leporem aggreditur. Quanquam enim ſæva illius ora omnes fugiant, tam parvas tamen feras frangere non didicere. Ego inter ferociam & timorem medius, cultro minus infeſto, leporem mortuum venatus ſum, ne in timidiſſimo animali, indigna Anatomico timiditas eluceret. Interiora leporis 1650. ſcrutatus, ventriculum inveni utricularem, oblongum, utrinque globoſum, ſed ſimplicem, cui lien exiguus adjacet nucem parvam vix ſuperans. Quia ſimplex illi unicuſque eſt ventriculus, miratus ſum, quod ruminare poſſit, & inter ruminantia non biſulca numeretur *Levit.* 11, 6. *Deut.* 14, 7. Sed quod ventriculo ſimplici deeſt, ſupplet cœci amplitudo, ventriculi æmula. Cœcum enim inteſtinum ampliſſimum, ejuſque duæ partes. Extrema una clauſa pollices ſeptem eſt longa, unum craſſa, excrementis liquidioribus & candidis repleta, quaſi alter ventriculus, colore exterius glandulam referens: altera verſus Ileon craſ-

craſſior, nigris excrementis turgida, duas ſpithamas longa & amplius, cui prope coli initium affigitur circulus membranoſus glandulæ ſimilis. Colon rugoſum circulis exilibus gyriſque implicatum, anguſtius quam cœcum. In Meſenterio uberrima pinguedo, & circa renes.

Hepar duobus locis cum minimo, ſine veſicula fellis conſpicitur. Hinc verior cauſa timoris, quam vel ex ſanguinis tenuitate cum *Bodino*, vel cordis magnitudine cum pleriſque, *Ariſtotele*, *Galeno*, *Plinio*, &c. deducitur.

Pulmones flaveſcentes, tribus utrinque lobis, majori uno, & duobus minoribus, quibus in medio ſeptimus additur circa dorſum, levis, ſpongioſus. Tantus loborum numerus, tanta levitas fugientem leporem plurimum promovet.

Cor præter corporis magnitudinem ſatis magnum. Ita quoque *Plinius* l. 11. cap. 37. Maximum eſt portione muribus, lepori, aſino, cervo, pantheræ, myſtelis, hyænis, & omnibus timidis, aut propter metum maleficis. Conſentit *Ariſtoteles* & plurimi alii. Sed nec experientia illis favet, nec ratio. Vidi enim in cordatis ſat magna corda, & parva in timidis. Imò cordis magnitudo & facilius circulationem promovet, & ſanguinem accendit, & ſpiritus vitales, ſi ſunt, ſi ſanum cætera cor, generare poteſt. Columbæ ventriculorum carneæ rotundæ, ut in aliis, quibus fibrillæ nervoſæ valvularum attexuntur. Arteriam venoſam

ſan-

ſanguis grumoſus obſtiparat, qui in motus cordis defectu, non potuit ad ſiniſtrum ventriculum pervenire. Auriculæ cordis iiſdem foveis excavatæ, quas in aliis animalibus obſervamus.

Innoxium animal rarò cornubus armatur. Capti tamen ſunt in Saxonia cornuti lepores à *Geſnero* depicti. Vidi alia cornua leporina in Muſæo Regio Sereniſſimi Regis noſtri, & in Muſæo Wormiano ſuſpenſa, quæ raris naturæ luſibus annumerari merentur.

HISTORIA LXXXVII.

Suppreſſus Menſium fluxus.

SUppreſſis mulieri Malmogianæ menſtruis evacuationibus, ingens ſub coſtis ſpuriis dextri lateris oriebatur tumor circa hepatis regionem, de cujus dolore ſæpius antea fuerat conqueſta. Aperto abſceſſu maturo pus effluxit cruentum, percuratoque ulcere, ſana vixit ex voto deinceps menſibus fluentibus.

Neapoli feminam duobus abſceſſibus occupatam inviſi, quæ ex ſolo moſchi odore menſes ſuppreſſos provocavit. Sine dubio gratus ille ſubtiliſque odor uteri ſpiritus excitavit, & vaſorum obſtructionem tenui aura calidaque reſeravit.

HISTORIA XXXVIII.

Inſtrumentum Chirurgicum novum pro uvula abſcindenda.

INcolis Norwegiæ familiaris eſt Catarrhus, qui hyemali tempeſtate ad fauces & uvulam deſtillans hanc in tantam molem extendit, ut ſuffocationis periculum afferat, niſi maturè huic malo ſuccurratur. Confugiunt verò medicamentis deficientibus ad manuum operam, forficeque quocunque obvio tumentem prolapſamque uvulam abſcindunt ſine ullo aut vitæ aut vocis diſpendio. Sanguinem autem profluentem ſtatim ſedant pulte ex farina & aqua. Domeſtico morbo ut occurrant nihil non tentant. In quem uſum Ruſticus quidam Norwegus Canutus Thorberni in Diœceſi Bergenſi, ingenio minimè plebejo, excogitavit nuper inſtrumentum ſingulare, magna celeritate & dexteritate nictu oculi uvulam tumidam exſcindens, quod ad *VVormium* noſtrum Magnum non ita pridem tranſmiſſum operæ duxi precium & Lectorum oculis depictum exhibere & brevibus deſcribere.

Lamina ferrea oblonga, & anguſta unciarum undecim longitudine, in extremo manubrio exornatur globulo ad firmiorem apprehenſionem, paulatim deinde amplior circa medium fermè duarum unciarum latitudinem acquirit, hinc adſcen-

ſcendens quadratam conſtituit capacitatem unius unciæ cum dimidia longitudine, cui inſeritur lignum planum ad linguæ deprimendæ figuram efformatum dolatumque, tres circiter uncias longum, in extremitate rotundum, per ambitum circularem rima præditum profunda pro ferro acuto & incurvo recipiendo, quod ferrum machinis quibuſdam ab altera parte laminæ extendi & exſeri pro lubitu poteſt, ac uvulam abſcindendam comprehendere inter ferri aciem & laminam ligneam. Altera hujus inſtrumenti facies clavum habet mobilem, qui ferreum funiculum una extremitate ſibi annexum extendit vel retinet retractum donec laxari uſus poſtulat. Retinacula duo huic clavo adhærent, quorum unum extenſum firmat clavum, alterum compreſſum laxat.

Interiori facie machinæ bellicæ ſpeciem refert, exteriore verò plana ſpatulæ ſimilis, quæ nonnihil incurva & linguam deprimit & Chirurgi viſum non impedit, imò tegit ſubjectum machinæ clavum & retinacula, ut æger timidus nihil mali ſuſpicari poſſit. Commodum omnino organon & his aliiſque uſibus accommodum. Celſus volſella utebatur, cujus incommoda recenſet *Aquapendens* in Oper. Chir. qui forficulam eligit. *Hildanus* Cent. 2. Obſ. 21. oneroſum inſtrumentum ad uvulam depinxit & deſcripſit, quo tardior fit operatio, ægro non ita jucunda, Chirurgo denique operanti moleſta.

Mo-

Modus applicandi hic eſt: Primò clavo ſublato elevatur quoque ferreus funiculus clavo alligatus, hinc funiculus ſequax ſurſum pellitur, & ex extrema ligni rotundi rima protruditur, ſpaciumque relinquit pro excipienda uvula tumida. Hoc modo præparatum inſtrumentum aperto ore per Chirurgum linguæ ſuperponitur, planâ parte ſurſum vergente, aſperâ verò, ne machinas æger videat, deorſum ſpectante. In Fauces eo uſque protrudatur organon, donec uvula inter ferreum funiculum incurvum acutumque & ligneum circulum comprehendatur. Apprehenſâ uvulâ, digito tangendum eſt retinaculum ſecundum, ut in locum clavus redeat retrahatque annexum funiculum ferreum. Dictum factum concidente clavo & retracto funiculo, acutus ille circulus rimam ſuam repetendo uvulam comprehenſam reſcindit.

Commodum inſtrumentum etiam aliis in corpore tumoribus, & verrucis exſtirpandis, quod incredibili celeritate, ægris nihil cogitantibus, timentibus nil, omnia abſolvit breviſſimè, nihil minus quam rus olet.

Ut rudi penicillo adumbraretur, ſculptorem advocavi. Prima figura inſtrumentum exhibet clavo adhuc laxato & in rima ſua funiculo ferreo latente. Altera clavum elevatum monſtrat, funiculum ſurſum protruſum & ad excipiendam uvulam paratum. Singularum inſtrumenti particularum indicem ſignatæ literæ edicunt.

aaaaa *Ferrea lamina.*
bb *Lignum rotundum.*
cc *Clavus machinæ.*
dddddd *Ferreus funiculus, circa laminam & lignum repens.*
ee *Ferreus funiculus circa clavum alligatus.*
g *Ferrei funiculi incurva pars, interius acuta.*
f *Spacium inter funiculum & lignum.*
gggg *Retinaculum clavi primum firmans.*
hhhhhh *Retinaculum secundum retrahens.*
ii *Capulus organi ferreus.*
kk *Globulus extremus capulo appositus.*

HISTORIA LXXXIX.

Rabies Canina.

NObilis Matrona Patavina, uxor Judicis, à cane rabido morsa, per Chirurgum curatur. Post quindecim dierum decursum rabie redeunte assidentes invadere conatur. Hinc vulnus denuo scarificatum aperitur & diutius apertum conservatur, ut veneno exitus pateat. Interea cineribus cancrorum exhibitis, cum sanitate in gratiam rediit. Pulvis quippe cancrorum fluviatilium præsens rabiei antidotum est, experientia quoque *Galeni*. Eliguntur autem in Italia non communes *Gambari* illis dicti, sed qui cancris marinis sunt similes, rotundi, post caniculam collecti & in cineres resoluti. Hujus cineris accipiunt partes decem, radicis Gentianæ partes quinque, Thuris unam, miscentque, ut dosis sit Dragma una vel duæ per 40. dies continuanda.

Nobili Messanensi in Sicilia, Amico meo, canis morsus Icterum intulit, à quo ęgrè liberari potuit.

Neapoli diebus Canicularibus 1644. à cane morsi boves videbantur insaniæ quoque induisse speciem. Unde vulgus Neapolitanum hoc tempore à carnis bubulæ esu abstinebant. Inurunt autem Itali canes rabidos ferro candente in fronte, ad modum Signatorii sigilli oblongi quod clavem vocant. Hic in Dania diebus Canicularibus ob metum rabiei, obvii omnes canes solenni more à Coprianis occiduntur.

Mulier Leidæ 1645. à cane rabido morsa in aqua Rheni præterfluentis abluta sanabatur. Sed curru cum alia comite in civitatem reversura prope portam vomitu superveniente animam evomuit. Itineris socia, quam vomitus venenosus adsperserat infeceratque tertio inde die quoque exspiravit.

HISTORIA XC.

Varii Epilepticorum gestus.

PUer Tridentinus annorum XV. temperamenti pituitosi, post varios errores, inprimis vini generosi potionem frequentem, convulsivis motibus divexatus, primum quidem levioribus, nocte solum, postea vehementioribus etiam die invadentibus. Omnium, finito paroxysmo, erat nescius. In hoc cum *Io. Dom. Sala*, Duce nostro, variam

variam Epilepsiæ faciem observavimus. Subinde enim in paroxysmo mitis mansuetusque, subinde furibundus ut faciem sibi dilaceraret, nonnunquam sedendo absolvebatur insultus, aliquando ambulando cum manuum jactatione, ut non tam convulsio quam saltus videretur, quem somnus ferè sequebatur. Alios convulsos vidi qui brachium solum dextrum moverent, cætera immoti, alios alterutrum pedem. Alios ridentes, flentes alios.

Juvencula quædam Arhusiensis XVII. annorum ad me salutis causa 1647. accessit, quæ oborta circa caput nubecula in motus convulsivos inciderat, semperque ferè ad dextrum latus circumrotabatur. Brevissimos habebat paroxysmos, sæpe recurrentes, & cum timore insolito desinentes.

Historia XCI.

Vteri lethalis ablatio.

Plurimæ feminæ & diu satis & satis feliciter sine utero vixerunt, si observationibus *Abenzoaris*, *Aginetæ*, *Vieri*, *Zacuti* credimus, imò prolapsum putridumque citra periculum abscissum viderunt *Rhases*, *Carpus*, *Mercurialis*, *Io. Langius*, *C. VVega*, *Paræus*, *Bauhinus* aliique. *Fernelius* refert visam à se puerperam, quæ una cum fœtu uterum radicitus evulsum absque vitæ noxa emiserat. *Saxonias* similia describit. Castratas sues feminas

minas excisa vel rescisa vulva refert *Soranus* & *Plinius*, ut gratiores fierent & habitiores.

Nimis autem & difficilem & periculosam operationem existimo. Enimverò arctissimè uterus per ligamenta lata & rotunda ossibus alligatur, ut sine ingenti dolore avelli vix possit, præterea vesicæ & recto intestino firmissimè adnascitur, quæ separari sine damno nequeunt. Vasa præparantia spermatica utero, & vaginæ plurima alia inseruntur, quæ sine maximis doloribus, hæmorrhagia, & internorum viscerum consensu dilacerantur nunquam.

Si exempla volumus, puerperæ quotidie suppeditant. Unum afferre lubet communicatum mihi à D. *Paulo Mothio*, Regio Archiatro & Amico meo nunquam sine laude nominando. Nobilissima Matrona Chilonii Holsatorum quinque ante filiorum Mater, fœtum vivum, quem quadraginta hebdomadibus commodè satis gestaverat, semi horæ labore sine ulla molestia feliciter 1642. exclusit; remanentibus tamen more hujus puerperæ secundinis, quas cum obstetrix, ut solita fuerat, solvere & extrahere conatur, una cum secundinis uterum, quanquam inscia, extraxit. Inter operandum puerperæ sciscitanti quomodo negocium succederet, respondit, secundinam se quidem habere, sed subsequi carnis partem sibi incognitam. Adstantes feminæ molam esse credentes, sibique sæpe id evenisse, obstetricem ad extrahendam

dam carnem exstimulant, quæ omnia etiam validiore manu, irrito conatu & renitente carne jussa exsequitur. Advocatus D. *Mothius* sine voce, nutu, & pulsu puerperam invenit, mortuamque verè pronunciat; occupata deinde obstetricis sede, immissaque sub lecti stragulis manu, ipsum uterum integrum marsupii instar propendentem & ab utroque latere perforatum obstetricis digito, deprehendit, adstantibusque monstravit, verè tum mortuam serò credentibus.

Historia XCII.

Anatome Epilepticorum.

Epilepsia per inferiorum partium consensum rarò sui in cerebro relinquit vestigium. Vapores enim cum vita dissipantur. Cæterum si cerebrum ex se vitium contraxerit, facilè in dissectis conspicitur. *Bontius* Obs. 1. Med. Ind. in cerebro militis Epileptici ventriculos invenit materia viscida repletos ac glutinosa, colore luteo, vitello ovorum simili, sed fœtida. Abscessum puris albi ex vulnere vidit *Smetius* l. 10. Miscell. Corpuscula tenuia & exilia in ventriculis observavit *Ballonius* l. 1. Ephem. Aquam limpidam tenuemque *Hippocrates* de Morb. Sacr. *Volcherus Coiter* in Obs. *Hildanus* in Obs. *Thevartus* in Annot. ad l. 2. Consil. Ballon. *Riverius* Cent. 1. Obs. 37. Pus in meningibus *Fernelius* l. 2. abd. Caus.

c. 15. *Salmuth.* Cent.1. Obſ.17. Cerebrum ſphacelatum *Glandorpius* Spec. Chir. Obſ. 6. Nonnunquam cerebri ventriculi ita collapſi ſunt in Epilepticis, ut ſpirituum non facilis ſit tranſitus liber. *Adrianus Falcoburgius* Anatomicus cordatus ex Noſocomio puerum 16. Annorum in ipſo Epilepſiæ paroxyſmo exſtinctum publicè aperuit, nullamque aliam Epilepſiæ mortiſque cauſam invenit, niſi quod cerebri ventriculi valdè fuerint compreſſi, ſibique invicem ſuperjacentes ſine ulla manifeſta cavitate, in ſupremo verò cerebro prope cranium ſanguinem concretum detexit. Teſtem hujus obſervationis laudo fratrem meum chariſſimum Cl. V. *Eraſmum Bartholinum*, Medicum & Mathematicum inſignem.

HISTORIA XCIII.

Infantes cum Nutricum lacte aſſumpta ſugunt.

DE lactis generatione Phyſiologi acriter decertant. De viis Anatomici diſputant pari contentione, quas necdum induſtria humana aperuit. Egimus de viis in *Anatome Reformata* & Hiſtoria de *Lacteis Thoracicis*, nec adhuc ſumus certiores. Certum interim eſt & quotidiana Nutricum experientia firmatum, aſſumptorum damna ſentire infantes, & cum nutritio lacte ex uberibus quidvis ſugere. *Hippocrates* l. 6. Epid. Sect. 5. Mulier, Capra, elaterium aut cucumerem ſylve-

ſtrem

ſtrem comedentes, pueris purgatio. Conſentiunt *Theophraſtus*, *Dioſcorides*, *Varro* & alii. *Proſper Martianus*, Hippocratis genius, in Not.ad Hipp. Romæ exempla vidit. Nam D. Franciſca Uxor Mag. Baptiſtæ de Caſtellis Cementarii in urbe, aſſumpto medicamento purgante, ſtatim mammam porrexit puellæ anniculæ, quam lactabat, quæ adeò fortiter purgata eſt, ut de ſuperpurgatione lethali dubitatum ſit. Matri verò ne ſemel quidem alvus ſubducta eſt. Idem de Domitia de Griſonibus teſtatur, menſtruum illius filium ſæpius cum ſtercore excreviſſe furfures, quum panem furfuraceum comediſſet nutrix. Cavendum igitur nutricibus ſedulò ne vel ſtatim ſumpto cibo, vel purgante medicamento, uberibus infantem admoveant. Nutrix quædam Hafnienſis ad provocandum in mammis lac cereviſiæ largum hauſtum circa noctem ingeſſit, ut ſequente nocte lactationi ſufficeret. Hinc lactans infans, filius Magni in urbe noſtra Viri, uberibus nutricis ea nocte admotus, circa diluculum ſequentis diei toto corpore intumuit & Hydropi proximus videbatur. Tertio inde die ſponte ſua & Naturæ benignitate ſcrotum excoriabatur, evacuatuſque cum conferentia omnis liquor abdomen diſtendens, ſicque & nutricis errorem evaſit, & poſtea in patriæ ſpem parentiſque ſolacium adolevit.

HISTORIA CXIV.
De pilis Ciliorum & occipitis.

Τριχίασις seu multiplex in ciliis pilorum ordo & faciem deturpat & visum impedit. Incolis Alexandriæ in Ægypto familiaris hic morbus, seu duplex triplexque pilorum in palpebris ordo, qui corneam pungunt si oculi claudantur, unde inflammationes oculorum & dolores frequentes. Evelli debent & novi impediendi ne succrescant. Utriusque modum tradunt *Hildanus* & *Sennertus*. *Veslingius*, qui in Ægypto diu substitit, ut callum poris induceret laminam auream ignitam applicuit, sicut præsens mihi narrabat.

Neapolitani, si extremi in occipite capilli puerulis suis cirrhi instar promineant excrescantque, nolunt decurtare. Persuasum quippe illis audivi, moriturum infantem seu Epilepsia seu febre pestilentiali, si pili illi occipitis abscindantur. De Plica ne verbum addo.

HISTORIA XCV.
Herniarum species nonnullæ.

OMphalocele communi feminarum parturientium damno satis innotuit. At supra umbilicum dilatari ita cutem, ut viscera interiora excipiat, ab usu quotidiano est remotius. Mulier grandæva Hafniensis, nota mihi, corpore quadrato

drato & robusto multis laboribus defatigata, supra umbilici regionem, mox infra cartilaginem ensiformem tumore exorto & rupto peritonæo, herniam patitur istius loci planè singularem, quæ quocunque labore incrementum capit. Non tamen æqualis ubique tumor. In medio globulus eminet, quo omentum vel intestinorum particulam recipi ipsa credit.

Vidi Neapoli cum *P. Æmilio* & *M. A. Severino* Clarissimis Doctoribus, corpulentum quendam genio deditum, cui in inguine varix carnosus tuberosus propendet, ut abdominis superet amplitudinem, una parte varicosus durusque, ex quo pustulæ enascuntur, & suppurantur. Inferior pars mollior aquam continere videtur.

Herniosum Venetiis vidi, cui intestina ita scrotum extenderant, ut magnæ amphoræ instar inter crura propenderint. Penis tantum relictum erat in medio ingentis tumoris vestigium, per quod lotium stillabat.

In Consultatione referebat nobis *Io. Dom. Sala* Patavinus vidisse se Mesenterium cum intestinis tenuibus omnibus in scrotum delapsum, abdomenque alterum præ se tulisse, qua mole compresso vesicæ collo, urinæque impedito transitu necessitatem moriendi ægro esse accitam.


HISTORIA XCVI.

Baby Roussa, seu Porcus Indicus. Et Porci Americani Anatome.


MOnstrum porcinum in Insula de Bouro Indiæ Orientalis, triginta leucis ab Amboina vagatur, quod incolæ *Baby Roussa* vocant. Caput Porci habet, quatuor dentibus exertis longioribus & incurvis, cornu arietino similibus, quorum duo ex maxilla inferiore prodeunt, utrinque unus, duo verò ex superiore maxilla carnem rostri porcini perforantes. Reliqui dentes maxillares suo ordine dispositi ut in aliis porcis. Animal hoc corpore tenus odoratori cani simile, & setæ pilos canis venatici referunt, colore criseo murino, pedes caprini. A nullo hactenus, quod sciam, descriptum est animal, cujus cranium quatuor dentibus exertis conspicuum in Musæo Augustissimo Regis nostri visitur. Notandum hic in maxilla superiore duas esse apophyses singulares ex ipso cranio extantes, quibus ut alveolis dentes hi infiguntur. Iconem animalis in Insula Java Novæ Bataviæ 1. Jan. 1650. depictam, & cranii quod bis Hafniæ vidi, Naturæ Studiosorum in gratiam addendam existimavi.

Lubet hic addere Anatomen Americani Porci, quem Brasilienses vocant Tajacu Caaigoaru, à *Marcgravio* descripti depictique, 1637. mense Januario à *Falcoburgio* institutam. Porcus iste statura

Baby Roussa.



Cranium ejusdem.



tura parva est, setæ longiores quam pro corporis proportione, nigræ, hinc inde maculis candidis distinctæ. In dorsi externi medietate, sive super spinam dorsi prope vertebras lumbares, mamma est, cujus

cujus circumferentiam aureus ducatus metiebatur, quam porcellis lactandis destinatam esse ex glandulis substratis judicabat, in eas enim venæ variæ, eæque satis magnæ inseruntur. Papillarum in sumine nullum usum credebat, nulla enim glandula subjicitur, nec vasa sanguinea comparent pro lacte generando sufficientia. Sed mammam in dorso pro umbilico habet *Io. de Laet* Annot. ad c. 7. lib. 7. Marcgravii, ex quo sæpe observavit domi suæ humorem aliquem prodire lacti haud absimilem. Nam cum diligenter inquisiverit ab iis qui in Brasilia dudum vixerunt, an catulos suos illa parte aleret, negarunt omnes, & sugendum præbere papillis quas sub ventre habet, affirmarunt. Hepar nullo ligamento suspensorio continetur, per membranam solam vertebris junctum. Caret fellis vesicula. Lien palmas duas æquat transversas, vix digitum minimum crassus, membranæ adiposæ annexus. Ventriculus duas habet appendices, velut cornua, alteram in superiore, alteram in infima ejus parte. Intestina tenuia ad latus dextrum loco superiore protrusa, ad sinistrum Crassa inferiore loco collocata. Longa omnia 34. pedes Geometricos. Cor à diaphragmate distat palmam transversam unam. Pulmones in septem lobos distributi, quorum in utroque latere tres siti, septimus verò circa cordis mucronem positus, tanquam utrique parti communis.

HISTO-

Historia XCVII.

Criticæ Hystericarum Lachrymæ.

SExcentarum ærumnarum mulieri author est uterus. Una suffocatio uterina pro sexcentis sufficeret, qua intercepto subinde spiritu, mortuis simillimæ jacent feminæ. Vidi sæpe, & sequioris sexus miseram condicionem deflevi, quæ inquilini hostis insidiis totiens exponitur. Natura tamen huic infelicitati succurrit, ab arte Medicorum provocata. Lachrymas in ipso paroxysmo obortas, suffocatione nihil remittente, quidam observarunt. Sed lacrymis fusis solutum paroxysmum, necdum legere me memini. Sunt tamen in urbe nostra honestissimæ feminæ, quibus id solenne, ubertim lacrymas profundere, à suffocatione hysterica excitatis. Vapor enim ad diaphragma, & caput ipsum ex utero elevatus, respirationem lædens & sensus turbans, robore naturæ, soluto paroxysmo, in aquam resolvitur, & cerebri motu irritato per oculos exprimitur. Ne mihi soli credatur, crisin hanc Naturæ aliorum experientiis firmabo.

NobilissimamMatronam Holsatam 1644. suæ curæ subjectam habuit D. *Mothius*, sæpe laudatus, quæ cum sæpissimè graviter hysterica passione vexaretur, nullis remediis sive externis, ut frictionibus, ligaturis, cucurbitulis cum multa flammâ sine scarificatione; sive internis uti odoribus, graveolentibus, aquis hystericis & aliis à paroxysmo

exci-

excitari potuit, nisi sua sponte persistente adhuc paroxysmo in copiosissimas solveretur lacrymas, quibus paroxysmus paulatim imminuebatur, tandemque planè cessavit.

Simile exemplum Hafniæ 1653. nuper suppeditavit Virgo quædam Nobilissima, quæ eodem modo acerbissimis sæpe hystericis insultibus exagitata fuit; cui ut in principio & odores graveolentes naribus admoti, & aquæ hystericæ exhibitæ, nec non frictiones & pilorum in pudendis vellicationes, inprimis autem majoris digiti pedis dolorifica compressio valdè profuere; ita graviore reddito deinde paroxysmo nihil istis effectum est, sed tanquam mortua per tres ferè horæ quadrantes decubuit. Tandem, cum pulsum semper adhuc constantem, sed debilem deprehenderet D. *Mothius*, fasciâ validâ digitum latâ medium femur dextrum firmissimè constringere jussit, ad cujus ligaturæ dolorificam injectionem corporis levis quædam per intervalla commotio visa, at paroxysmo nihilominus obstinatè perseverante. Sed relicta in loco dicto fasciâ, post horæ quadrantem spiritus liberior ferri observatus, deinde lacrymæ per genas stillare visæ, & statim caput, pectus & brachia elevans exclamavit magna adstantium admiratione: Væ miseræ mihi, crus meum amisi. Audita voce querula sed rediviva, fasciam solvit laxatque, & exinde talium paroxysmorum expers sanam jam vitam degit.

HISTORIA XCVIII.

Anatome publica Juvenculæ.

AD perfectam humani corporis cognitionem nemo uno saltu facile perveniet. Iteranda erit diligentia & centies resumenda. Qua mente ego animatus, qui publicam utilitatem valetudini & occupationibus aliis præferre soleo, cadaver feminæ juvenculæ à Magistratu perbenigno impetratum ante instantes Nativitatis ferias publicè in Decembri 1653. anni ad exitum properantis, in usum Auditorum Spectatorumque dissecui & demonstravi. Conscia fuerat juvencula hæc annorum 16. infantis à patre occisi, hinc convicta, capite silentii pœnas luit. Caput truncatum ter quaterque subsultavit à spirituum reliquiis in sano corpore & juvenili. Cadaver sanum per omnia & elegantissimum, pinguedine larga flavescente æqualiter per totum abdomen, & thoracem, & artus dispersa instar involucri calidi. In recto musculo nulla vasorum mammariorum & Epigastricorum unio, quanquam recens esset à partu, vixque à puerperio hebdomades sex effluxissent. Arteriæ spermaticæ & venæ dextræ à truncis ut & sinistræ. Emulgens vena dextra duplex, superior una loco consueto major, inferior altera minor. Pelvis ureterum extra renes conspicua, amplum saccum præ se ferebat. Capsula atrabilaria dextra, non reni incumbebat inter adiposam tunicam, ut

in aliis ſolet, ſed hepati arctiſſimè erat connata, quæ ſine læſione ſeparari neutiquam potuit. In tuba funiculus oblongus candidus humore lento plenus. Teſtes exiles & ſolidi duabus veſiculis donati, ſine humiditate manifeſta, unde minus ſalacem fuiſſe ſit veroſimile. In ſiniſtri tunica exteriore rubra macula velut ex contuſione orta. Uterus contractus, craſſus, ſine linea media diſtinguente. Orificium uteri anguſtum, implicatis quaſi circulis conſtans.

In thorace mammæ capitis magnitudine utrinque propendebant. Glandula unica uniformis, candida, mollis univerſam mammarum molem ſub pinguedine conſtituebat, in qua tubuli lactei pauco lacte diſperſi viſebantur. Vaſorum autem mammariorum exigua veſtigia. Pulmo ſiniſter coſtis accreverat. Pericardium diaphragmatis centro latius adnatum. Reliqua non attinet referre, quæ, aliis communia, hic videbantur.

HISTORIA XCIX.

Mulier poſt mortem pariens.

UXor Nicolai Cereviſiæ coctoris in Noſocomio Hafnienſi extra portam Borealem gravida legitimum geſtationis terminum morte antevertit ſex hebdomadibus. Illa menſe Octobri 1653. defunctâ fœtus utero incluſus mortuus credebatur. Hinc ad ſepulturam omnia componuntur,

tur, lavatur cadaver, linteamina ſepulchralia corpori rigido induᴇuntur & more funerali arctè cadaveri aſſuuntur. Sic ſepulturæ dicatus dies exſpectatur. Poſt horam à morte 48. intumuit abdomen, thoraſque, & ruptæ ferales interulæ corpori emortuo aſſutæ, & lochia copioſius prodire viſa. Attonitæ adſtantes feminæ, aliud agentes cogitanteſque accurrunt, diductiſque cadaveris cruribus ex maternis clauſtris eluctantem vident puerulum maſculum, elegantem omnibuſque numeris perfectum, ſed mortuum, ſecundinas verò in via hærentes. Excipitur puellulus, & cum matre in cœmiterio Eccleſiæ novæ ſuburbanæ ſepelitur. Actam ita eſſe rem maritus defunctæ adhuc ſuperſtes retulit, fidem fecerunt mulieres honeſtiſſimæ præſentes, Noſocomii Præfectus confirmavit, omnes à me diligenter quæſiti & examinati, denique M. Torchillus Tullius Diaconus ad Templum B. Virginis, qui funebrem orationem ſacram habuit, uberius teſtabitur.

Memoriæ poſterorum digna hiſtoria, & oculis lectorum. Mirum profectò vitam embryoni ſpacio duorum dierum totidemque noctium defuncta matre fuiſſe ſuperſtitem. Augent admirationem compacta crura, clauſæ viæ uterinæ, & lintea ſepulchralia cadaver conſtringentia. Cæterum robuſtum fœtum fuiſſe oportet, qui matris vita & actione ceſſante ſolus partum promovere potuerit & terminum conſuetum anteverte-

tere. Alioquin in puerperis defunctis consilium *Caroli Stephani* l. 3. de Diss. Part. c. 1. sequendum est, ut matre in agone constituta, aliqua re inter dentes interposita apertum morientis os servetur, & obstetrix nunquam ab ostio vulvæ manum dimoveat, & incurva ac diducta mulieris femora, quanta potest diligentia contineat. Nulla talis cura puerulum nostrum adjuvit, solus & partus & puerperæ & obstetricis munia implevit, sed ope omni destitutus, fractis viribus, in ipso partu extinctus fuit. Mulierculæ nostrates superstitiosæ, etiam fœtum in utero mortuum defuncta matre necessariò sua sponte proditurum credunt, afferuntque experientias, quibus nolim fidem adhibere. Hinc cum cadavere puerperæ in arca ferali includunt forficem, acus, spongias, aliaque puerperii instrumenta, quibus credunt prodituro infanti opus esse.

Insolitus partus ferè exemplo caret. Aliqua similia afferam, ut lucem huic historiæ fœnerer. *Sphynx* Theologico-Philosophica c. 17. quendam narrat, cum mortuæ uxori pararet exsequias, exstinctæ matris ab utero, subitò emisso claro vagitu salvum & incolumen pusionem vidisse egredientem. *Io. Matthæus* de uxore Simonis Kreuteri civis Weissenburgensis similia refert. Hanc enim mortuam nonoque mense gravidam quum adstantes fœtu non extracto in sepulchrum intulissent, elapsis aliquot horis vagitum ibi exaudivere, occur-

occurrenteſque ilico aperuerunt, inque eo matrem quidem mortuam adhuc, ſed ad ejus pedes fere devolutam filiolam vivam, optimè valentem, & diu ſuperſtitem. Hiſpani milites, ut ſcribit *Eberus*, Anno 1567. inter Zutphaniam & Daventriam maritum cum uxore prægnante ſuſpenderunt. Uxor quum pependiſſet per horas quatuor, totidemque eſſet mortua, gemellos vivos peperit. Eodem atteſtante, Madriti matrona ex familia D. Franciſci Laſſo poſt tridui agonem mortua buſto inferebatur. Poſt aliquot menſes buſto iterum aperto, cadaver repertum fuit eodem loco, ſed in dextro brachio infans mortuus jacebat. *Salmuth* Cent. 2. Obſ. 36. ter vidit puerperas mortuas enixas eſſe fœtus, & Obſ. 1. ejuſdem Centuriæ interfectam mulierem refert gemellos peperiſſe. Me Leydæ 1638. præſente, gravida quædam ipſam ſe ſuffocatura, in mortis anguſtiis fœtum excluſit.

Historia C.
Homines Petrificati.

Prima nobis naſcendi initia lapides dederunt, ſi fabuloſo credimus ſeculo, qui tanquam oſſa terræ à Deucaleone poſt tergum jacti paulatim animâ caluerunt. Ut repetant ortum, nonnullos in lapidem accepimus converſos. De Lydiæ Metallurgis refert *Ariſtoteles* de Adm. Aud. obſtru-

cto oſtio, intercluſoque ſpiritu ſuffocatis, poſt longi temporis intervallum in lapides mutatos cum vaſis, amphoris & liquore in illis contento fuiſſe extractos. Cui metamorphoſi ſimilem narrat Hiſtoria Bavarica, de qua differunt *Parens* b. m. de Mixt. c. 6. *Sennertus*, aliique. Uxori Lothi Sodomis egredienti idem contigiſſe, ſacro credimus Codici. Quod per inſitum ſalem procuraſſe edicti ſui vindicem Jehovam *B. Auguſtinus* divinavit. Idem ſeculo noſtro in Africa prope Tripolin evenit, ubi certo iræ divinæ argumento oppidum ſubitanea transmutatione in ſaxeam duritiem fuit converſum, ex quo puer petrificatus ad Cardinalem *Richelium* transmiſſus fertur. Ego ligni fruſtulum in eadem civitate petrefactum in Muſæo *Io. Fr. Habelæ* ordinis Hieroſolymitani Vice-Cancellarii, cum in Inſula Melita degerem benevolè ab illo exceptus, conſpexi. Vidimus Romæ in Palatio Ludoviſiorum hominem in ſubſtantiam lapideam concretum, cujus argumentum ipſa oſſa præbent & coſtæ ſuam adhuc ſervantes formam. *Panarolus* in Faſc. Arcan. cranium humánum in mari petræ ſoliditatem acquiſiviſſe nuper ſcripſit.

Hæc extra uterum à ſpiritu quocunque lapidifico ſive in terra, ſive aquis, ſive aëre tranſmutata facilè aſſequimur. At in utero fœtum ſolum ſolideſcere, ſalvis aliis viſceribus, omnem fidem ſuperaret, niſi hi oculi vidiſſent, hæ manus palpaſſent.

ſent. De Lithopædio loquor, ſeu Infante petrefacto, quæ Agendici Senonum poſt 28. annorum moram ex utero matris Columbæ Charry fuit exſecta. De hiſtoriæ fide teſtantur *Thuanus* l. 17. Hiſt. *Paræus* l. 25. de Monſtr. c. 11. *Io. Alboſius* & *Simon Provancherius* ambo in ſectione præſentes, *Licetus* l. 2. Monſt. c. 45. *L. Bourgeſia* obſtetrix Reg. Franc. in Obſ. p. 102. quæ vidit exſectam. Data verò induſtria deſcripſit *Alboſius* ſingulari Diatriba, & *Thuanus* l. 17. graviſſimus Hiſtoricus, quem ſolum hic loquentem introducam:

Anno 1582. res incidit quo magis mira, eo minus fidei apud poſteros habitura, niſi certiſſimis veritatis teſtimoniis niteretur; quam quia pro comperto habemus, hoc loco, ne in dubium olim revocetur, amplius aſſeri officii noſtri & inſtituti eſſe duxi. Mulier quædam Agendici Senonum, quæ Celticæ noſtræ eſt metropolis Archiepiſcopali dignitate ornata, Columba Charria nomine, Ludovico Caritati Sartori nupta, quum ad annum 38. valetudine integra perveniſſet, neque adhuc uterum geſtaſſet, certiſſima habuit concepti fœtus indicia, menſtruis purgationibus non jam ut antea ſtatis temporibus erumpentibus, & frequenti uteri motu jam manifeſto, ac tumore lumborum & abdominis paullatim ſuccreſcente, mammiſque lacte turgentibus: Tandem decurſo ſtatæ geſtationis curriculo, graveis puerperii labores, & alvi tormina experiri cœpit, urina ad

aliquot dies ſuppreſſa, quæ poſtea currente veluti alveo magna vi erupit, profuſo illo ichore non tam ex veſicæ meatu, quam ex muliebribus loculis ſcaturiente, & tunica diſrupta una cum ſeroſis recrementis ſanguinis coacti quaſi rhombus emerſit: ex eo mammæ concidere viſæ, & motus infantis aut ignavus, aut nullus, ac labores mulieris tolerabiliores fuere, quæ à ludibrio illius fœturæ totum triennium in lecto decubuit, ſemper de valetudine adverſa, de duritie, de tumore, de torminibus alvi, ac de inutili illo pondere, quod per ſe mobile pro vario geſtantis motu, modo in hanc, modo in illam partem procumbebat, quandiu vixit, conqueſta. Fato poſt vigeſimum octavum geſtationis illius annum functæ diſſecto abdomine, uterus rugoſus apparuit, & verſicolor, tactu durus, ac veluti teſtaceus; ſectoque rurſus eo vix tandem renitente ad novaculæ aciem, portentoſa mole gypſea eductus fœtus benè conformatis membris, ac eodem prorſus quo cæteri poſitu, cor, cerebrum naturalem habitum ſervabant, niſi quod ultra modum induruerant, non tamen ut externæ. Hodie adhuc corpuſculum illud Agendici à prætereuntibus miraculi inſtar viſitur, expers putredinis & teredinis.

Fuſiorem actæ rei hiſtoriam pertexuit *Alboſius*, qui dextram manum ad carpum inadvertenter abſtractam addit, & in alvo matris relictam, præterea

terea dentem inopinanter à quodam contrectante exemptum. Transiit deinde mirandus hic fœtus ad Parisiensem mercatorem primarium Preteségle, curiosum rerum rariorum, apud quem vidit obstetrix *Bourgesia*: Hinc ab aurifabro & gemmario *Gilberto Vautron* Venetias adsportatus, ubi eadem facie integrum vidi & contrectavi. Tandem ex Italia 1653. migravit ad Serenissimum Regem Danorum DN. FRIDERICUM III. Dominum nostrum Clementissimum, qui iterato mihi subjectissimo clementer & videndum & accuratius examinandum concessit. Ne verò dubitemus eundem fœtum esse petrificatum, quem enixa est Agendici nominata mulier, in rei certissimæ fidem tabulæ & instrumenta contractuum de Lithopædio transmissa fuerunt ad Augustum Regem nostrum, quorum hic summam Regio indultu transcribam:

Ego infrascriptus Stephanus Carteron Aurifaber Parisiensis fidem facio, transegisse me cum Dn.Gilleberto Voder, de puero petrefacto, quem possideo, qui in Senonibus erat, & postea visus in Technicotheca defuncti Dni Preteseigle inter rarissima musæi, quem infantem promitto me traditurum nominato Gilleberto aut cuicunque id dederit negocii, cum attestatione sex hominum fide dignorum in Musæo ejusdem Preteseigle inventa, & plenè satisfactum mihi esse à laudato Domino pro fœtu isto, sic-

ut inter nos convenerat Venetiis 12. Februarii 1628.

Stephanus Carteron.

Ego Julius Cæsar de Filippis fui præsens, ut supra.

Nos infra signati Cives Parisienses testamur & fidem omnibus facimus quorum interest, quod infans petrificatus, quem nunc possidet Maria Charpenteria uxor Stephani Carteron Aurifabri Parisiensis, &c. sit idem fœtus quem mulier Senonensis in Burgundia utero gestavit per pluscu-los annos, sicut à defuncto Ambrosio Paræo descriptus fuit, sitque idem fœtus petrificatus, quem in Musæo suo defunctus Predeseigle inter rarissima sua servaverat. Parisiis 24. Martii 1628.

N. de Collemont.	S. Cancher.
Sacanes Pindamouch.	Du Mouff.
Pierre de Couvoust.	FF. e Proulx.

Figuram Lithopædii *Albosius* Hæduus addidit, sed contractam & in utero adhuc convolutam. *Paræus* in Oper. Gall. l. 25. de Monstr. c. 11. majorem dedit propius ad naturam accedentem & extensam. Ego accuratissimam iconem hic substitui

ſtitui ad Regii fœtus exemplum effictam, quam Auguſto Regi noſtro ſubjectiſſimè acceptam refero. In nonnullis enim immutatus fuit fœtus & temporis diuturnitate & itinerum varietate. Univerſum corpus juſti fœtûs magnitudinem, externaque formâ humanum fœtum accuratè exprimit. Oſſa hinc inde denudata ſolida & dura. Interjectæ carnes velut gypſeæ & induratæ calci ſimiles. Cutis lacera, dura & nigricans, quæ partem abdominis, thoracis & caput hinc inde tegit. Oculorum orbitæ vacuæ eminentibus oſſibus. Maxillæ ſuperioris & inferioris pars dextra ablata, & dentium alveoli vacui, uno ſolo relicto dente. Humeri os dextrum appenſum corpori nudum, manu deficiente. Siniſtrum brachium à corpore ſolutum, digitos manus complicatos exhibet. Pedes leviter diducti, junctis digitis & concretis, relicto tamen illorum veſtigio.

Si indurationis hujus cauſas quæramus, varias inveniemus ſed incertas. Difficile enim dictu, quid in utero materno à putredine conſueta puellulam hanc vindicaverit, & ſaxeam rigiditatem induxerit. Sunt qui ſiccitatem nimiam incuſent, ortam à doloribus geſtationis aſſiduis & ichoris effluxi defectu. Alii frigiditate obriguiſſe ſuſpicantur, quemadmodum teſta in ovis induratur. Calorem plures advocant, quo velut febre hectica colliquata fuerit illa & contabuerit. Nonnulli has cauſas conjungunt cum maſſa craſſa,

 denſa,

denſa, terrenarumque partium ubertate affluente. Propius accedunt illi, qui interna indurationis ſeminaria propugnant, inſitamque vim quandam abditam ab externis cauſis excitatam. Denique à ſpiritu lapidifico omnia hæc alii deducunt, eandem hujus fœtus petrificati eſſe rationem magna veri ſpecie perſuadent, quæ aliorum calculorum, ſcirrhorum & tophorum in variis corporis partibus genitorum. Cui volupe, de cauſis Lithopædii concertantes *Alboſium & Provancherium* Medicos Senonenſes junctim editos, *Licetum* de Monſtris l. 2. c. 52. *Sennertum* l. 4. Prax. p. 2. S. 4. c. 7. alioſque legat. Meum nunc non eſt tantas componere lites. Seriem rerum rariſſimarum pertexo breviter, non cauſas omnium, quas tam ſcimus accuratè quam cœcus colores. Rectè *Plinius* l. 7. c. 1. *Naturæ rerum vis atque majeſtas, in omnibus momentis fide caret.*

FINIS.

INDEX

INDEX HISTORIARUM.

Numerus prior Centuriam, alter Historiam notat.

A.

B.

C.

Car-

D.

E.

F.

G.

Glis

R. *Ra-*

R.

S.

T.

V.

FINIS.





THOMÆ BARTHOLINI

HISTORIARUM ANATOMICARUM RARIORUM

Centuria III. & IV.


Ejusdem cura accessere

OBSERVATIONES ANATOMICÆ

Cl. Viri

PETRI PAWI.





HAGÆ-COMITIS,

Ex Typographia ADRIANI VLACQ.

M.DC. LVII.

Illuſtriſsimo Viro

D^N. TAGONI TOT,

Toparchæ in Erichsholm, &c.

Equiti Aurato, Regni Daniæ Senatori ſapientiſſimo, Regio Borringenſis Præſidi Ampliſſimo, Literatorum Mecænati perbenigno.

S. P.

TH. BARTHOLINUS D.

EXceſſiſti humanæ felicitatis terminum, Vir annis conſiliisq; graviſſime, & inclyto animo mortales ſuperaſti. Poſſem Rempublicam advocare, ut publica tua merita, tot annorum prudentiam pace belloque ſpectatam, virtutes tanto hoſpitio dignas, & conſtantem familiæque illuſtriſſimæ propitiam mentem, pleno ore extollat: Sed unius

calami

calami non capit angustia, quod omnium superat admirationem. Ego privata merita tacere nolo, quibus Avum & Parentem Tibi dudum devinxisti, & literatos omnes. Ne posteri sint nescii, nosque ingratos damnent, quia majora non possum, æternam his chartis tanti Herois memoriam submissè inscribo. Patere, senex Inclyte, votivam debitæ devotionis tabulam tuo honori suspendi, ut ab illustri quoq; nomine ad invidiam magno, inter fastos Patriæ legendo, splendorem Historiæ meæ & authoritatem mutuentur. Deus tantum patriæ columen florente diu senecta & gloriosa servet, annosque facili largaque manu pro meritorum numero admetiatur fortunatos. Hafniæ Calend. Januar. cIↄ Iↄc LVII.

LECTORI S.

PLacido vultu ab æquis candidisque exceptæ fuere priores Centuriæ, & repetita prœla meruerunt. Exinde animatus meliorum consilio, neglecto vulgi contemptu, tertiam quartamque currente calamo, ex arbitrio festinantis Typothetæ, superaddidi, gratiam obsequij à Naturæ cultoribus meriturus. Non quæsivi elegantiâ fictâ laudem, sed Naturæ veritate, sed fide narrationum, sed varietate rerum, qua hæc aliaque Lectori me commendo, & alia si possum, spondeo stipulanti. Pluribus nolo pro me intercedere. Placet suapte natura, adeoque gratiosa virtus est, ut insitum sit etiam malis, probare meliora. Vale.

THOMÆ BARTHOLINI
HISTORIARVM
ANATOMICARUM
Rariorum
CENTURIA III.

HISTORIA I.
Abortus cum Mola.

FEbre continua, mox in intermittentem Tertianam degenerante, correpta Mulier Hafnienſis primæ notæ & formæ, poſt tertium graviditatis menſem, quanquam à remedijs generoſis cauta abſtinuerit, abortum tamen exortis uteri doloribus edidit facili partu, benè conformatum, maſculi ſexus. Exinde ſtatim febris videbatur extincta, quaſi venæ ſectione per lochia procurata. Tertio poſt abortum die remiſſi antea dolores parturientium per vices ſed levius recurrebant, quumque iſto triduo alvus eſſet ſuppreſſa, ſuaſimus ſuppoſitorium. Dictum factum, à ſuppoſitorio ſoluta alvus, eodemque conatu ſine ullo dolore aut graviore

ſymptomate fruſtulum carnis ſolidæ per uterum excrevit, quod hepar uterinum credidi, re verò accuratius perpenſa Molam eſſe deprehendi. Prima fronte cordis figuram exactè referebat ſuo pericardio incluſi, baſi & cono conſpicuam. Duplici involvebatur triplicique membrana tenui. Inter intimam tunicam & extimam cavitas in altero latere erat, ventriculi inſtar, quam efformabat tunica à baſi latiore molæ producta, ubi quoque craſſior, ſicut tota baſis ſolidior duriorque velut adipe inferta. Ipſam ſubſtantiam quam cultro dividerem. conſtare eam vidi ex fibrillis infinitis variè invicem connexis & ſanguine inter fibrillas concreto. Subtraxerat hæc mola fætui nutrimenti partem magnam, unde, accedente febrili calore, debilitatus, ante præfinitum tempus, excluſus fuit. Similem molam à non prægnante excluſam nuper vidi. Molarum quia variæ ſunt figuræ, neque unquam ſibi ſimiles, caſu potius & loci varietate compinguntur. *Platerus* ſtellam marinam arboreſcentem obſervavit referre. *Lemnius* L. 1. de Occ. Nat. Mir. c. 8. molam vidit, cui utrinque anſæ duæ annexæ erant in brachiorum longitudinem ac modum exporrectæ, utricæ marinæ ſimilem. *Hildanus* deſcribit molam Cent. 2. obſ. 52. fungum ſeu manum complicatam cum pollice referentem. *Foreſtus* L. 28. Obſ. 61. 62. varias vidit molæ

for-

formas, oculos habentes, item accipitris rostro, &c. P. *Salius* notavit menbrum virile expressisse. *Salmuth* Cent. 3. Obs. 98. oris lati figuram vidit, quale est tineæ vel cyprino pisci, & duo nigra puncta oculos referentia. *Panarolus* Pentec. 4. Obs. 46. bulbum omninò referentem. Oblatas sibi esse molas narravit in amico colloquio *D Paulus Moth*. Archiater Regius & amicus meus honorandus, modò hepatis formâ lobis distinctas, modò bufonis effigie cum rictu seu rima oris aperta, modò rostratas & alatas. Disputant nonnulli, an diverso tempore fœtus & mola excludi possint. Ne dubitemus, laudata nobis femina fidem facit. *Ballonius* L. 2. Ephem. p. 144. Damisellam de Briaco adducit, quæ legitimo partu pusionem edidit, viginti post diebus veluti molam. De abortibus *Hippocrates* L. 7. Epid. 86. *Terpidæ mater, à Dorisco per abortionem enixa est mense quinto gemellos ex casu, ab altero quidem statim velut tunica conclusa liberata est, ab altero prius vel posterius quadraginta diebus*. Perfectos quoque gemellos tempora partus inter se divisisse exempla docent, ut de mola mirum non sit, quæ diversis ligamentis utero annectitur. Memini Neapolitanas puerperas frequenter vel ante vel post fœtum edidisse carneam molam, quam feram vocant, suis membranis inclusam. Superstitiosæ de fera ista credunt, si tangat terram emori

puerperam ſyncope, cui incommodo ut eant obviam, ſupponunt ſemper ſtragulum, deinde aquæ immergunt verſantque, denique in cloacas abjiciunt.

HISTORIA II.

Phthiſici Anatome, in eoque Vaſa Lymphatica detecta.

JAnus Laurentii Norwegus, Sartoriâ arte Hafniæ victum privatim quæritans, annorum 30, habitu pinguiuſculo & athletico, temperamento calidiore, annis abhinc binis in phthiſin venit, tractuque annorum in tantam corporis univerſi maciem, ut vix oſſibus hæreret. A primo verò morbi tabifici inſultu vox intercepta fuit, ut præter affirmantis particulam effari nihil poſſet, nutuque ſolo neceſſaria ſibi ab aſtantibus peteret. Ante ſemeſtre ſpacium obortus illi tumor infra mentum durus, quo impedita fuit ſolidorum ciborum deglutitio. Interea in ædiculas horto noſtro urbano vicinas migravit, ubi inter anguſtias corporis & cubiculi ægerrimè ſolis potulentis vitam protraxit, donec penitus interceptis loquendi reliquiis, evaneſcente prius tumore colli, illuc abiret undè negant redire quenquam. Quarta poſt mortem hora ult, Mart. 1645. ad ædes clam advolo cum

Henrico à Mónichen sectionibus meis adsueto, præsente *Petro Erasmio* diligenter à muliercula ædes inhabitante prius edoctus nulla malignitate tum grassante, aut ædes esse infectas, aut ægrum decessisse. Emaciatum igitur phtisici corpus in angusto cubiculi angulo linteis sepulchralibus involutum dissecamus, nitidumq; cætera & labis in cute expers invenimus. In aperto thorace Pulmones spongiosi plumâ leviores, ex parte costis connati, externâ facie colore nativo tincti, dissecti vero per medium parum sanguinis continebant, cujus vice purulenta materia, alba, sincera expressis vasis exstillabat. In aspera arteria nihil heterogeneum visum, nec ullum istius tumoris vestigium apparuit, unde verosimile est à flatibus excitatum fuisse Cor sic magnum satis, sanum & sanguine abundans, vasis coronarijs tumentibus. In Pericardio copia aquæ natabat, fusca, quali colore venæ quoque cordis cernebantur. Pinguedo sub uni versa cute parcior sed flavescens. In abdomine viscera sana pleraque & parum à naturalibus deflectentia. Omentum ferè consumptum. Intestina flatibus repleta & vacua. Ileum hinc inde nigricabat, qualis esse solet color illorum quos malignitas aliqua jugulavit. Hepar, si colorem fuscum excipiamus, nihil monstri alebat. Vesicula fellis plena, sed obscurior. Ventriculus sanus capaxque, luridus Lien, Pancreas

incorruptum, ſed pinguedine obſitum. Meſenterium ſine pinguedine, ſine lacteis manifeſtis tandem explicamus. Ecce circa ramum Meſentericum & ſplenicum duo Vaſa Lymphatica ſe produnt tanto illuſtriora, quanto viſu magis grata. Lætabamur impensè in homine à nobis viſum quod anxiè hactenus optaveramus. Vaſa iſta tumidiuſcula undarum inſtar per venam Portæ fluctuabant oblonga, calami columbini craſſitie, propter contentam aquam limpidam reſplendeſcentia, & prorſus ſimilia illis quæ in brutis olim primi invenimus. Prope hepar alia viſebantur minora, numero tria, per portam deſcendentia plena & eadem ſplendente humiditate pellucida. Plures Lymphaticorum ramos obſervare nequivimus, quod accuratius inquirere nec locus incommodus averſus à lumine, nec anxia muliercularum ante fores præſtolantium exſpectatio feſtinantibus concederent. Motum tamen liquorum Lymphaticis Vaſis contentorum in tranſcurſu libavimus. Majora illa duo per ramum Meſentericum progredientia digito compreſſa humorem limpidum obſtinatè retinebant, nec ad inferiora propellebant, unde ex cruralibus Lymphaticis orta judicabam, propter valvulas & curſum liquoris, nihil remeare admittentibus: diſparuit autem verſus ſuperiora ſupra digitum quicquid cavitati inerat, ut conſpici amplius nullo viſu potuerit.

rit. Ex hepate quæ emergebant, eundem humorum cursum servabant, quem in brutis notavimus.

HISTORIA III.

Vulnus sclopeti in occipite.

PYrio pulveri nullam inesse malignitatem eruditè probavit *Hildanus*, neque cum ad nervosas partes pervenerit. Firmat Viri laudati sententiam famulus mercatoris Hafniensis. Quum superiori anno ad lustrandos cives post pestilentiam extinctam, armis suis per ordines dispositæ classes per urbem procederent, ex sequenti ordine quidam per imprudentiam sclopetum solo pulvere pyrio refertum in prioris ordinis commilitem qui uno passu ab eo distabat, explosit. Juvenis læsus viginti circiter annorum honestis in Germania ortus parentibus, corruit dictum factum velut fulmine ictus, domumque sensu motuque privatus defertur. Suspicio erat per nucham penetrasse pulverem urentem ad nervorum principium ob vocem interceptam & sensus omnes sublatos. Consueta à Chirurgo perito contra ambusta postico vulneri applicantur remedia, venaque secta humorum ad partem affectam affluxum & alia sequutura symptomata inhibuit. Decubuit ita sine

ſenſu, voce & motu quinque dierum ſpacio. Tranſacto quinto, eſchara decidit, nudaque calvaria ſine contuſione aut rima apparuit. Statim aliqua motus rediere indicia, oreque aperto ad roborandum cerebrum portionem Cephalicam meo conſilio hauſit, exterius verò undique caput cephalicis munitum. Præter exſpectationem ſenſim ad motum ſe erexit, & rogatus ad nutum Chirurgi vulnus deligantis in lecto ſe volutavit. Nono die fari cepit, & expeditior motus ſenſusque proceſſit, quum altera eſchara ex muſculis occipitis & colli ſoluta tendines nudos illæſos monſtraret, nec ad interiora penetraſſe pulverem indubiam fidem oculis faceret. Exinde melius habuit, curatoque ſimplici vulnere convaluit, metu ſeu mortis ſeu Apoplexiæ ante perculſus. Nempe turbati fuerant inopinato ſclopeti ictu ſpiritus in cerebro, & nervi ſive defectu ſpirituum ſive timore conſtricti ab officio ceſſaverant. Metus multorum morborum cauſa, & timore nonnullos exſtinctos accepimus. Fulminis quoque ictu non pauci concidunt moriunturque, ſive animi conſternati culpa, ſive malignitate communicata.

HISTO-

HISTORIA IV.

Icterus Quartanæ superveniens non semper malus.

NEphritici dolores ingentes post longum decubitum & dextri sinistrique hypochondrij dolores cum frequenti vomitu quartanariam uxorem meam suavissimam postridie magni solaris deliquii 1654. invaserant torquebantque miserimè, nulloque remedio juvante, ad dolores mitigandos & laxandas vias in balneum aquæ tepidæ ægram demisi. Vix post repetitum lectum hora effluxerat, quum febrilis paroxismus invaderet tanto cum horrore, ut convulsionis esset metus, exinde horæ spacio interjecto, calor successit sequentibus diebus continuus, nec quarto die alius typus comparuit. Initio hujus paroxysmi bilis per universum corpus effusa Icterum induxit, & flavo colore cutim aliàs candidissimam oculosq; infecit turpissimè. Urina crocea & satis flava, quæ chartam linteumque tingebat. Ominabar male & de salute uxoris desperabā territus duplici Prognostico. Solet enim mortis esse præsagium si Chronicis morbis Icterus succedat. Præterea *Hipp.* 4. Aph. 64. malum proclamat, si febri ante diem septimum morbus regius accesserit; Non enim

critica sed symptomatica est evacuatio. Sed præter spem fefellerũt me præsagia. Tertio enim die sanguis una per alvum dejectus, purus, fibrosus, quem, quia purus, à fæcibus separatus & guttatim fluens sine torminibus, hæmorrhoidalem rectè judicavi. Septimo die sensim turpis flavedo ex corpore disparuit, splendidior more solito reddita cutis, lien induratus ante detumuit, hepar quievit, sopiti Nephritici dolores; Nec ex illo tempore quartanæ sentiit insultũ. Tum in mentem veniebat *Hippocrates*, qui l. 1. Epid. sect. 2. 1. t. 22. sibi in Aphorismis contrarius, morbum regium etiam ante septimum prodesse prodidit, si vel per urinam purgatio, aut alvus turbata, aut sanguinis profluvium successerit, aut hæc omnia, ut Heraclidi evenit, juxta Aristoclidem decumbenti, cui & ex naribus fluxit sanguis, & venter turbatus est, & per vesicam est purgatus. Fluxus autem hæmorrhoidalis & quartanam sanavit, & lienem tumidum evacuavit, & ominosum Ictere signum elusit.

HISTORIA V.

Hermaphroditus sine cute.

CHristiani Cerdonis Hafniensis uxor consueto partus termino exspirante, facili partu enixa est hermaphroditum, muliebri natura

loco

loco solito, virili verò membro supra in pube conspicuo. Alebat præterea infans extremis artubus aliquid monstri. Loco manus extremæ pedes erant, & locum pedis occupabant manus. Adhæc nuda caro comparebat sine cute, cujus ne vestigium quidem in universo corpore conspiciebatur. Non à calore, quia nihil de intemperie conquerebatur Mater, nec ab acrimonia hnmorūm in utero contentorum, ut suspicabar, quia fidem fecit Obstetrix nostra, omnia secundum consuetam Naturæ legem fluxisse, nec modum nec qualitatem lochia excessisse. Igitur à primo conceptu defectus materiæ, vel cōformatricis facultatis imbecillitas incusanda.

HISTORIA VI.

Anatome mulieris quæ prægnans falsò credebatur.

UXor Eliæ Tabellarij in vico Regio prægnans ab obstetrice judicabatur, ob ventris tumorem & duritiem. Remittebat tamen illa & interdum per vices augebatur. Pedes subinde tumidi, internum sine sensibili evacuatione detumescebant. Menses interim ordinatis vicibus fluebant. Cætera toto corpore eleganter carnosa florentis ætatis femina. Cœperunt hæc symptomata invalescere à tempore quagesimali

dragesimali 1655. ad Junium mensem, quo ingentibus doloribus auctis vivere desiit. Consensu Mariti, & ita jubente ægra ante fatalem horam, cadaver aperuit *D. Simon Pauli*, qui curæ illius præfuerat, meque adscivit testem sectionis & rerum observandarum. Ex aperto abdomine ingens copia serosi sanguinis effluxit, quæ cavitatem quoque thoracis occupabat, implebatque mensuras nostras sex. Sive is sanguis ex rupto vase sit effusus, sive per διαπήδησιν expressus. Inanitæ vacuæque omnes venæ in utroque ventre cernebantur. Omentum nullum, sed putredine absumptum. Intestina tenuia protuberantia omnia arctissimè inter se connexa & membranis & pinguedine connata. Cohærebant eodem vinculo inter se ventriculus, hepar, lien & cætera huc spectantia: Remotis tenuibus & à membranis pinguedineque separatis, membrana adiposa & præpinguis à ventriculo protendebatur per universum abdomen ad coxas, qua discissa subtus delitescebant crassa intestina libera. Circa rectum intestinum maxima pinguedinis copia adnata, ut prima fronte magnæ glandulæ specie dubios nos reddiderit. Uterus sanus justæque magnitudinis sine ullo conceptu. Ventriculus densus cartilaginis duritie, eminentiam acutam supra pylorum, uropygij instar, habebat, forsan ubi omentum abruptum fuerat, cætera vacuus

sola

ſola pituita glutinoſa ſuperſtite. Hepar grandius utrumque hypochondrium implens, ſcirrhoſum, firmiter ſupra infraque omnibus vicinis cohærens, membrana prope coſtas variegata, rubriſque maculis diſtincta, quæ facilè ſeparabatur. Lien arctiſſimè infra ventriculum pinguedine immerſus, pugni magnitudine, colore ſano. In Thorace aperto, dextra cavitas plena ſanguine iſto ſeroſo, grumoſo & lento. Pulmo exiguus vix pomum magnitudine æquans. Pulmo ſiniſter præter ſolitum amplus coſtiſque adnatus. Nullam tamen ægra ſuperſtes reſpirandi paſſa eſt difficultatem. Pericardium pinguedine abundans, ſed ſine ſeroſa humiditate, quæ cum ſanguine diffluxerat. Cor elegans & puſillum, adipe ferè tectum. In ventriculis ne guttula ſanguinis comparuit, ut mirum non ſit tribus ante obitum diebus pulſum ceſſaſſe. Tantorum ſymptomatum & miræ hujus conſtitutionis cauſa credebatur venenum per errorem fortaſſis oblatum, quum enim prædicta accidentia illam invaderent, vomitus inſequutus, diarrhæa ingens, & ſanguinis ex naturalibus eruptio. Inde invaluerunt ſymptomata, tumor ventris, dolores incredibiles, ut, ſecundum methodum fruſtra adhibitis remediis, ipſi ſibi ventrem aperire ſæpius dolorum impatientia optaverit.

HISTO-

HISTORIA VII.

Monstrum sine cranio.

IN oppido Cimbriæ Bryns territorii Haderslebiensis natum monstrum sexus masculini primis conjugii parentum annis, in quo nullum cranium visebatur, sed inversum caput, oculis posticam partem occupantibus, lingua exserta. In occipite tamen os triangulare supererat. Nullum collum. Infra oculos posticos carnis cruentæ portio propendebat, ex qua sanguis stillabat. Sinistra manus ad superiora protendebatur erecta, quam si vi deprimeres, sua sponte ad superiora erigebatur. Sex digitis eadem manus ornabatur, ut & sinister pes. Dextra manus retrorsum à corpore flectebatur, quæ vi reducta, ad exteriora sua sponte redibat. In utriusque manus carpo dura adnata erat caro. Corpus reliquum per artus aut ventres distinctum non erat, sed æqualiter sine ullo discrimine à superioribus ad inferiora informe protendebatur. Rubra tamen lineola baltei, seu cinguli instar medium corpus dividebat.

HISTORIA VIII.
Menstrui fluxus ubertas.

CONsilium meum expetiit uxor Pastoris in Scania honestissima, annorum 38. uterinis passionibus obnoxia, quæ sex abhinc hebdomadis ingentes dolores dorsi, lumborumque & murmura ventris hinc inde oberrantia perpessa est, ut rugitibus supra infraque interceptus videretur commeatus. Puerperii dolores credidisset & partum imminentem, nisi pro certo constitisset gravidam non esse. Inter hos dolores menses prodierunt, quos non speraverat, sex hebdomadum spacio leniter fluentes, qui subinde per biduum subsistentes, recurrentibus iisdem doloribus, revertebantur. Sanguinis melancholici vitium mihi videbatur, qui serosus & flatulentus acrimonia sua venas uterinas reseravit. Quia tamen de absente nihil certi ausus sum pronunciare, & alias memini etiam in prægnantibus menses effundi, relictis generosioribus remediis suasi clysteres carminativos, sacculos uterinos, aquas fl. Chamomeli, Cinamomi, Cumini, &c. Quibus nihil proficientibus continuus evasit fluxus, qui octavo quovis die velut periodicus tanta copia effundebatur, ut grumosi sanguinis vasculum

culum ſatis capax exciperetur, jamque vires valde proſtratæ ſanguinem ſiſtentia poſcerent. Exiſtimavi maxima ſanguinis ſeroſi & acris evacuata copia, ab obſtructione eſſe nullum periculum. Præſcripſi igitur Electuarium adſtringens, & unguentem adſtringens lumbis pubique inungendum, quibus feliciter ſenſim ſedatus fluxus, & ſopiti dolores.

HISTORIA IX.

Medullæ ſpinalis Anatome.

QUia plurima circa medullam ſpinalem & exinde exortos nervos inter Proſectores noſtros emergunt dubia, placuit ſpinalem medullam ex ſpina dorſi exemtam curioſius examinare, ut aliis hactenus neglecta inveſtigarem. Exterior tunica craſſior levi opera ſeparatur, & corticis inſtar facilè tota ab interioribus divellitur, connectiturque interiori membranæ per fibrillas & nervulos ad vertebrarum foramina properantes. Venulas habet ſed exiles. Interior ſubtilis membranula, piæ matris ſoboles, hujus more fibrillas venularum medullæ arctius connectitur. Dorſi ſpinalis medullæ longitudinem inſigne vas ſanguineum perreptat, ex quo ramuli hinc inde elegantiſſima ſerie emittuntur, quemadmodum in cere-

bro.

bro. Ad latera utrinque alius ramus sed minor ejusdem membranæ longitudinem percurrit, ex quo utroque pari modo ramusculi per tunicam dispergutur, an medullam pertranseant, haud liquido constat. In medulla certe interiore discissa puncticulæ rubicundæ hinc inde comparent, sine dubio à venulis capillaribus derivatæ. Medulla ipsa dorsalis à suprema ad infimam dividitur in duas partes. Veluti enim cerebrum anterius per falcem seu duræ matris duplicatam meningem, ita hæc medulla, cerebri propago, manifesté distinguitur per tunicam internam, piæ matris filiam, nulloque negocio separatur. Medullæ divisura eandem membranulam recipit variis minutissimis venulis ornatam. Supra divisuram incedit nominatum nuper vas sanguineum, instar sinus in falce cerebri. Media tantum medulla per divisionem istam finditur, sed secundum medullæ totius longitudinem, paulatim enim & membrana tenui & medullæ confusione obliteratur. Remota membrana, quanquam pateat fissura & per tenuem falcem separetur, exterius tamen, integra tunica & salva ita constringitur, ut medullæ rotunda figura servetur. Cerebro perquam similis est medulla, quod & notatum *Galeno* l. 7. de Placit. c. 5. & l. 12. de Vs. Part. c. 11. Licet solidior, externé candicat, substantia constante, in centro mollior & obscurior. Libuit fi-

ſtula experiri an medullæ ſubeſſet cavitas. Maximo ſpiritu non potui ullum cavitatis indicium percipere. At immiſſa in ſinum ſeu diviſuram fiſtula, facillimè ſpiritum ad extrema perducebam, totumque medullæ corpus, qua diviſura pergebat, viſum eſt elevari. An per hunc ſinum quicquam in viventibus ſucci traducatur, non ſine ratione dubito, ſi quidem arctè extrema membrana clauditur, reſpondetque fiſſuræ cerebri, per quam nihil ferri obſervamus, præterea puriſſimus eſt iſte ſinus & candidus, quarti ventriculi æmulus, ſine ullo liquoris veſtigio. Cætera non addo quæ aliis Anatomicis notata paſſim leguntur.

HISTORIA X.

Tuberoſus pueri pes.

SExennis puer Ruſtici Hafniam venit conſilium apud Chirurgos petiturus. Delatus quoque ad me fuit ſpe auxilii. Vidi dextrum pedem obſitum tuberibus, non abſimili figura manus à *Severino* l. 4. de Abſceſſ. Anom. c. 1. depictæ & deſcriptæ. Dextri pedes pollex & index ita erant inflati, ut pedem integrum ſinguli digiti æquarent. Tres verò digiti minimi ſub reliquis velut ſub umbone latebant. Cujusque digiti tuberoſi unguis latè ſe extenderat, reconditusque diliteſcebat ſub flexura tube-

ris

ris ad superiora inflexi. Dorsum pedis similis fungus occupabat, & sub planta alius extabat. Omnia ista tubera mollia, levia, fungorum instar, sed rotunda & æqualia, sine ullo doloris sensu, ut expedito gressu supra tubera plantæ ambularet, sed calceus pedi aptandus caput æquè ac pedem exciperet. Increverunt tubera à primo nativitatis anno, ex quo sensim cum augmento corporis in istam amplitudinem excreverant. Parentis rustici votum erat, ut resecarentur partes spongiosæ, quo ad agrestia officia rediret. Dissuasi tamen operationem propter instantis caniculæ æstum, & ad nos postea revisere jussi.

HISTORIA XI.

Articulorum Exsiccatio.

Religiosus Doctusqne Pastor Grevanus post genæ sinistræ Paralysin, licet corpore robusto & obœso, in tantam articulorum incidit exsiccationem, ut omnium ossium, cervicis, dorsi, brachiorum &c. motum exaudiverim & exacte distinguere potuerim, quasi omnibus articulis è compage sua solutis. Sonus quoque scapulæ, singulorum digitorum, epiglottidis, nasi extremi percipiebatur. Mira res visa omnibus & ægro molesta, nec satis relationi

credidiſſem, niſi præſenti mihi ſingula & viſu & auditu innotuiſſent. Memini aliàs febribus ardentibus ita exſiccari in emacitis articulos, ut ſonitu ſe prodant. At nulla hic febris, nulla macies. Re preſſius apud ægrum examinata, comperi Hypochondriacum eſſe, murmura ventris ſentire & fere fauces ſiccas eſſe. Forſan articulorum humiditas fuit intercepta propter detentam lympham in obſtructo meſenterio. Divinum aliquid hic latere judicarunt alii quos conſuluit. Ego verò cognito affectu hypochondriaco facilem curandi viam inveni. Obſtructiones meſenterii commodis potionibus reſeravi, flatus diſſipavi, roboravi viſcera, & externis humectantibus tam fomentis quam exemplaſtris tantum profeci ut nec articuli ſicci ſint impedimento, nec hypochondria murmurent, commodeque jam vivat, Deique muneribus piè utatur.

HISTORIA XII.

Hermaphroditus Pariens.

ANcilla utriuſque ſexus, licet de ambigua natura varii rumores ſpargerentur, nupſit tamen Viro plebejo, & tandem gravida amiſit in peſtilentia illa magna 1654. maritum. Poſt computum decem & tres hebdomades effluxerant,

rant, anttequam verum pariendi tempus affulgeret. Interea in tantum tumorem aqualiculus est distentus, ut se gemellos parituram crederet. Tandem puerum grandiusculum enixa est, sed in partu extinctum. Vix obstetricem precio preceque exorare potuit, quod malè successurum negocium Hermaphrodito omnes ominarentur. Infans autem ob loci difficultatem vix eluctabatur angustias, unde compressum in partu caput μακροκεφάλους imitabatur, de quibus *Hippocrates* l. de Aere, locis & Aquis testatur, quod capita illorum tenella & mollia manibus efficta sint, & in longitudinem elevata. Lochia deinde copiosissima expurgata, quibus in tantam molem abdomen increverat. Ipsa Mater superstes & sana funus infantis sui procurat.

HISTORIA XIII.

Prægnans menstruata.

ORaculum est *Hippocratis* 5. Aph. 60. si prægnanti purgationes menstruæ procedant, benè valere fœtum esse impossibile. *Galenus* in Commento de magna sanguinis evacuatione senem interpretatur sæpe fluente, quod privetur fœtus alimento necessario. Alii ut *Liebautius*, *Heurnius*, *Martianus*, *&c.* post perfectam τύπωσιν 35. vel 40. die periculum cum Coo metu-

unt. Novi ego mulierem juvenculam Hafniensis mercatoris uxorem, quæ quotiens uterum gerit ordinarios patitur mensium fluxus adeò copiosos, ut lecto affixa imbecillitati suæ consulat. Subsistit is stato tempore, nec à primo conceptionis mense ad ultimum statas vices intermittit. Fætus nihil inde mali patiuntur, quos masculos & robustos feliciter solet eniti. Igitur in plethoricis non succedit semper Aphorismus, in quibus tantum super est sanguinis, ut nisi vel Venæ sectione extrahatur vel mensibus erumpentibus imminuatur, abortus immineat periculum vel gravidæ exitium. Uterum verò pertransire necessum non est, quum ex iis venis quæ utrinque in uteri cervicem inseruntur profluant, ut rectè *Galenus* monet, & experientia suffragatur. Cui volupe legat nuperum Commentarium viri Eruditissimi *Io. Claudii de la Courvée* de Nutrit. Fœtus in utero, ubi totus in eo est, ut demonstret fœtum non sanguine sed solo chylo in utero nutriri. Quid igitur periculi si gravidis vel fluant ordinati menses vel secetur vena? Non ob alimenti necessarii defectum, sed, quantum conjectura assequor, quod sanguine nimio evacuato vires puerperæ imminuantur, nisi & fœtus sit robustior & gravida sanguine præter necessitatem abundet. Novi quamplurimas prægnantes, quæ modò ter, modò bis, modò semel expurgentur sine fœtus detrimento,

& id pro certo conceptionis signo interpretantur.

HISTORIA XIV.

Vermis ex gravida.

UTterum gerebat Fridericiburgi mulier, sororis meæ olim serva, & necdum gestationis tempore completo, tormina supervenere, nausea & tandem vomitus, quo præter spem vermis satis longus ex ore prodiit matre mea charissima præsente. Mox conquievere omnia, tormina, nausea, & vomitus sedatus, sanoque statu per reliquum tempus decurrit donec feliciter eniteretur sanum fœtum & perfectum. Suspicio mihi nata, vermes in mesenterio vitiò alimentorum natos ab utero tumido sursum fuisse protrusos. Vidit *Panarolus* Pent. 5. Obs. 33. in puella virgine, uteri duritie & dolore afflicta, ex abrupto vermem per os vivum expulsum, dodrantali longitudine, capite viperino, colore cinericio, sed maculis nigricantibus inspersis, undique pilosum.

Lumbrici aliàs frequentes inferiora petunt varia forma, passim noti fere sine capite. *Tulpius* tamen Consulari dignitate conspicuus l. 2. Med. Obs. c. 42. lumbrici lati caput vi-

dit & depingi curavit. Ego lumbricum vidi ex puero trium annorum, nepote meo, excretum longitudine ulnæ mediæ fuſcum nulliſque articulis diſtinctum, utraque extremitate acutum, qui aquæ immerſus alteram extremitatem acutam oris inſtar diduxit hianſque aquam ſorpſit. Certè pleriſque lumbrici, niſi in inteſtinis detruncentur, caput habent, quanquam non ita manifeſtum ut à reliquo corpore diſtingui accuratè poſſit. Hinc enim dolores vellicantes & tormina pueros miſeré torquentia. Dentes habere & os rationibus probat *Codronchius* de Morb. Vulg. c. 14. *Antonius Vitaglianus* Medicus Romanus eruditus ex Antonio de Palito excretos vermes vel mille vidit, non majores cucurbitæ ſeminibus, ſed rotundiores & piloſos, habentes roſtrum acutiſſimum nigrum in ore inſtar animalium quæ vites corrodunt, & Muſculæ vocantur.

HISTORIA XV.

Motus ſine corde.

JAnus auceps homo nefarius, qui nuperis annis in ædibus ſolitariis viæ Regiæ extra Portam Orientalem Hafniæ quam plurimos una nocte ſolus ſecuri percuſſit, occiditque, tandem comprehenſus morti tremendæ & acerbiſſimæ adjudicatus fuit. Per urbem enim rhedá vectus,

ctus, forcipibus ignitis hinc inde miseré fuit discerptus, & ad supplicij locum deductus. Primum illi fracta crura & brachia, mox lingua faucibus evulsa, lora ex tergo exscisa, deinde celeri carnificis manu pectus apertum, extractum cor, & in faciem projectum. Omnia ille cordatus intrepido animo pertulit & constanti, quumque cor pulsans ad latus projectum jaceret, inter alia tormenta, quæ sequebantur, caput expedite movebat, adstantes torvo vultu intuebatur & cor suum accuratius contemplabatur, donec caput amputaretur. Occurrebat memoriæ *Verulamius* illustris, qui in Hist. Vit. & Mort. ad Art. 15. t. 32. certam de Homine recitat traditionem, qui eo supplicij genere versus proditores in Anglia recepto eviscceratus, postquam Cor avulsum penitus esset, & in Carnificis manu, tria aut quatuor verba Precum auditus est proferre.

Historia XVI.

Vesicatorium devoratum.

UNo eodemque tempore duobus ægris in Pharmacopolio nostro Parens meus cœlitibus pridem adscriptus, præscripserat huic Vesicatorium, illi Bolum purgantem. Culpa deinde & errore famulorum Pharmaceuticorum evenit

ut loco Boli vesicatorium ex Cantharidibus studioso mitteretur, & alteri bolus. Hinc assumpto hora sexta vesicatorio miri cruciatus excitati, linguæ fauciumque excoriatio, & extrema homini imminebant, cui hora 9. accitus Parens summa ope sategit occurrere, exhibitaque statim lactis copia & aquis refrigerantibus ad vomitum compulit. Interim plurimi dolores circa vesicæ regionem excitati, cantharidibus vesicam corrodentibus. Ad dolores vesicæ insessus, clisteres refrigerantes visi opportuni. Tandem Theriaca cum aq. acetosæ aliquotiens exhibita somnum procuravit. Sed tota nocte cruciatus perseveravit, & mictus sanguinis copiosus. Profuerunt Anodyna, syrupi refrigerantes & confortantes, emulsiones, quibus in integrum restitutus æger evasit. Turbas tales incuria famulorum sæpe concitat, & auxilij spe frustrantur mortales. Prudenti igitur decreto Medicorum Hafniensium in officinis nostris receptum est, ut & forma medicamenti & nomen ægri inscribatur pyxidi vel chartæ ægris mittendæ.

HISTORIA XVII.

Polypus Cordis.

HEnrici Schrafferi Belgæ annorum 50. cadaver Hamburgi à *Mich. Kirstenio* Medico & Ana-

Anatomico peritiſſimo apertũ fuit anno 1651. in quo ſequentia notabantur publico digniſſima. In dextro cordis ventriculo repertum eſt concrementum ſeu Polypus ingens, qui annatus erat dextræ auriculæ in parte ſuperiore verſus Cor, & extendebatur ſinuato ductu in ipſam capacitatem dextri ventriculi; ubi pariter adhærebat parieti inferiori; implicitus valvularum cuſpidibus. Porro progrediebatur ſurſum & exibat per venam arterioſam, in cujus truncum & deinde ramos tripartitus ſive diſtinctus in tres ramos porrigebatur. Rami illi rurſum in alios multos ſurculos & tandem filamenta deſinebant. Circa exortum duos prope digitos erat lata hæc concreſcentia, longa ſpithamam unam & tres circiter digitos. In auricula ſiniſtra inerat alia concreſcentia; ſed vel nullo modo, vel plane leviter adhærens. In cavitate auriculæ pars erat latior referens concretum ſanguinem; protendebatur autem in arteriam venoſam, ubi candicabat; diſtributa ſimiliter in aliquot ramos, inter quos erant tres potiores (qui rurſum in alios minimos dividebantur) inſerti in ramos minores arteriæ venoſæ.

In Aorta reperiebatur alius Polybus ejuſmodi inſignis, cujus pars lata ſive baſis ſita erat in divaricatione trunci, ubi etiam adhærebat firmiter: Ibiq; peculiaris quidam ſinus, inſtar

ſphæræ

ſphæræ dimidiæ vel veſicæ effectus fuerat, in quem una & major ejuſdem extuberantia inſerebatur. Hic appenſæ erant duæ quaſi radices, quarum una immittebatur in arteriã dextram, altera eaque bifida in carotidem ſiniſtram. Baſis erat ſubrotunda, inſtar cucurbitulæ balneatorum, & in longum extendebatur verſus Cor, ita ut illud non ingrederetur, ſed ingreſſum aortæ in cor attingeret. In fine erat altera appendicula. Longitudo totius quaſi quinque digitorum. Omnia vaſa cordis, ut & auriculæ erant ampliata mireque dilatata, inprimis caudex arteriæ aortæ. Præterea in vaſis Iliacis ejuſmodi vitia ſunt reperta, ut & in ſinu cerebri falcato, ubi per totam prope longitudinum effuſa videbatur concreſcentia alia, quæ, inprimis verſus poſteriora, in duos ramos dirimebatur, in plurimos ſurculos, ſimiliter & multas appendiculas diſtinctas. Singula ex figuris appictis clarius elucent, quæ mihi *D. Ioël Langelotius*, Archiater Gottorpianus meritiſſimus, Amicus honorandus, amice tranſmiſit.

FIGURARUM EXPLICATIO.

Fig. I. *Exhibet dextrum ventriculum cordis cum auriculâ, venâ arterioſâ & contento in illis Polypo.*

aaa. Ven-

aaa. Ventriculi dextri cavitas aperta.
bbb. Auricula dextra & vena cava, quæ circa eam discissa.
ccc. Venæ arteriosæ dissectæ & à pulmonibus separatæ principium.
d. e. ff. Excrescentia seu Polypus.
d. e. Pars ejus latior seu basis.
ff. ggg. Pars ejusdem longior cum pedibus, seu ramis, surculis, filamentis insertis in venam arteriosam.
h. Appendix alia.

Fig. II. *Ostendit sinistram auriculam & arteriæ Venosæ principium dissectum cum Polypo.*

aaaa. Cavitas quæ oritur ex auricula sinistra & arteria venosa dissecta, non satis tamen expressa.
bb. Pars cordis.
c d e. Polypus.
c d. Ejus Basis.
eee. Rami & surculi ingredientes ramos venosæ arteriæ.

Fig. III. *Monstrat Aortam dissectam & in ea Polypum.*

aaaa. Aortæ portio à corde & Pulmonibus resecta.
bbb. Divisio arteriæ.
c. Arteria axillaris dextra.
d. Carotis dextra.
e. Carotis sinistra.
f. Axillaris sinistra.
g. Aortæ truncus descendens totus dissectus.
h, i, k. Polypus,

bb. Pe-

h h. Polypi caput.
i. Longitudo Polypi versus cor.
l l. Pedes Polypi seu appendices.
m. Sinus ille p. n. in quo repositum erat caput polypi.
n n n. Pedes alij aortæ ramis inserti.

Fig. IV. *Polypum in cerebro exprimit.*

a a a. Pars summa cerebri membranis tecta.
b b b. Sinus falcis dissectus superior.
c c c. Polypus in sinu falcis.
d d. Pedes nonnulli ad vasa porrecti.
e e e. Venarum in dura meninge rudimenta.

HISTORIA XVIII.

Melancholicus loqui nolens.

PAralysi linguæ & sinistri corpori correptus mercator Hafniensis loquendi facultatem amisit. Adhibitis variis pro sanitatis recuperatione remediis, inprimis secta vena lateris sani, paulatim & resolutio partis emendata & loquela facilior. Perstitit verò diutius fatuitas quædam melancholica, ut amicis quibuscumque præsentibus de re quacunque interrogatus respondere, nihil voluerit. Potuit tamen cantilenas distinctè cantare sequutus ductum horologij templi vicini S. Spiritus, verba omnia sacræ cantilenæ sine hæsitatione assequi, sed ad alia quæsita amicorũ & uxoris præter negãtem parti-

particulam, Jesu nomen, &c. nihil reposuit. Vitium linguæ incusabant amici, venæ sublingualis sectione emendandum, sed revera melancholica erat animi perversitas, nolentis linguam ad voces expedire, satis facilem. Qui enim articulata voce Psalmos cantabat, cur non alias posset voces proferre? Interea quia cerebrum stupore quodam fatuum videbatur & intemperie frigida laborare, huic omni arte succurrebatur; quia & ante morbi hujus invasionem de oblivione conquestus fuerat.

HISTORIA XIX.

Lochia per alvum expurgata.

LOchiorum post partum expurgatio copiosior nonnunquam ex justo, parcior nonnunquam, interdum planè intercepta. Pro diminuto vel cessante fluxu lubrica alvus confert, cujus rei causam non raro admiratus sum. Novi puerperas quibus nulla lochia post partum successerunt, magno vitæ discrimine. Injecto vero clystere simplici alvoque soluta convaluerunt, quibus diarrhæa loco sanguinei purgamenti fuit saluti. Quum uxor mea charissima feliciter filiolum meum Casparum enixa esset, parcissimè præter morem lochia fluxerunt, sed continua fere aliquot dierum diar-

diarrhæa ſine ulla virium jactura purgata fuit. Dubitavi per quas vias retracta ſit materia ad inteſtina. Longæ viæ ſunt, nec hic per alvum cruor decurrit. Igitur vero mihi ſit ſimile per alvum revelli & evacuari ſerum quo alioquin diluitur ſanguis & impregnatur ad venas uteri patentes deducendus.

HISTORIA XX.

Convulſivi motus ex dextro hypochondrico.

MAligna ſubinde ex certis partibus aura elevatur, & nervos ad convulſiones irritat. *Galenus* l. 5. de Loc. Aff. c. 5. vidit convulſione comitiali ob oris ſtomachi vitium correptos, & ſimile quid Grammatico juveni eveniſſe. Alibi l. 3. de L. A. c. 7. obſervavit in puero decimum tertium ætatis annum agente, diſpoſitionem Epilepticam ex tibia initium cæpiſſe, mox inde recta adſcendiſſe per femur & lumbos, ac per latera ad cervicem donec ad caput perveniſſet. Alius adoleſcens dixerat veluti frigidam quandam auram adſcendiſſe ad caput. *Fernelius* l. 5. Pathol. c. 3. vidit à manuum pedumve digitis, vel à crure, interdum ab utero ſuſcitatam. Alia exempla recitat *Marcellus Donatus* L. 2. Hiſt. Med. Mir. c. 4. *Holler.* in Prax. c. de Epilepſ.

in

in Schol. refert historiam Monachi cujusdam Parisiensis, qui ex vaporibus à liene adscendentibus & cerebrum impetentibus menstruam patiebatur epilepsiam. Quod illi ex liene, Pastori cuidam Hafniensi ex hepate nuper accidisse suspicio. Nam â dextro hypochondrio ubi hepatis est sedes, invasit Reverendum Virum calor per musculos externos sensim adscendens cum pattium, per quas transit, stupore, ad musculos thoracis ejusdem lateris, ad brachium dextrum, ad dextram faciei partem & collum, ubi pedem quasi figebat stupor. Faciei autem musculi ad dextrum latus leviter convellebantur, eodemque modo paroxysmus iste sæpius recurrebat, ut gravioris convulsionis metus ingens ægro sit ortus. Sed sectâ venâ, injectis clysteribus, exhibitis pulveribus & aquis Antiepilepticis opera D. Mothi Medici felicissimi intermiserunt paroxysmi, sublatus metus, & inexorabile fatum subjectum pedibus, strepitusque Acherontis avari.

HISTORIA XXI.

Ructus Hystericarum.

NOvit *Fernelius* l. 6. Pathol. c. 10. quibus plures ructus quam verba essent, in colicis doloribus flatulentis. Nos similia notavimus

in muliere Hypochondriaca & uterinis suffocationibus obnoxia, quæ quotiens sive ad curationem sive præservationem uterini affectus aquam Hystericam ex carminativis & uterinis compositam sumit, totiens infinitos ructus edit & liberatur. Nonnunquam spacio horæ quadrantis plus quam 400. ructus numeratos retulit mihi maritus amicus optimus, & uno spiritu subinde 50. eructari. Nitrosi aliquid subesse putatur, sicut enim ex nitro sonitus in bombardarum explosione, ita in humano corpore fieri existimant. Uteri verò intemperies hic culpanda frigida, & affectio hypochondriaca, in qua rugitus ventris audiuntur ex flatibus creberrimi, qui solent increscere mensibus imminentibus, & quod mirum, nunquam ventrem distendunt, aut in tympanitide. Et utero præterea non minus quam alvo prodire flatus ventris annotant *Zacutus* l. 2. Prax. Admir. Obs. 141. *Salmuth* Cent. 2. Obs. 57. Passimque similia exempla audiuntur. De uxore sua mihi narravit Vir quidam summus, inter sermones interdum crepitum emisisse, ruboreque suffusam prævia excusatione necessitatis durum telum prætendisse, cogi enim se non per alvum sed uterum hujusmodi peditum edere. Observavi in aliis sæpe ex flatibus commotum uterum imposuisse mulieribus, quæ falsò sibi persuaserant se & uterum gestare & embryonis motum percepisse.

Historia XXII.
Hernia Umbilicalis.

IN vico Hafnienſi Laurentii Biornonius filiolus Sartoris ſex menſes natus Herniam umbilicalem paſſus eſt, ſive ejulatu rupto umbilico ſive flatibus diſtento, ab obſtetrice enim umbilicum naſcenti probe ligatum & procuratum aſſerebant. Rupto umbilico prodiere foras inteſtina tenuia membranulâ tecta per anguſtum abdominis & peritonæi foramen, quo quaſi circulo calloſo pendula inteſtina conſtringebantur. Quum interea ad inhibendam gangrænam applicarentur remedia, calidoque lacte foverentur inteſtina, quinto die rupta membranula latiusque diſcerpto peritonæo, nuda prorſus inteſtina propendebant ad longitudinem mediæ ulnæ, per gyros conſuetos intorta. Utrinque portio inteſtinorum eminebat, dextrâ verſus craſſius erat ileon ob flatus diſtendentes, anguſtius quod ſiniſtram partem foraminis occupabat, duos tamen gyros involuta inteſtina efformabant. Conſilium fuerat ampliare foramen, ut intrudi poſſent, & in locum ſuum reponi, ſed ante puerulus fatis ceſſit quam Chirurgus adveniret. Poſt mortem longius adhuc inteſtina proceſſerant, ſine dubio in extremo morientis conatu protruſa.

HISTORIA XXIII.

Mirus Hydrops.

Ex Insulis Ferrensibus Socer meus honorandus famulum habuit nautæ filium, annorum viginti, temperamento pituitosum & ad actiones segnem, qui partim Insulani aëris intemperie, partim nativa imbecillitate & segnitie, in hydropem sensim incidit, quo venter increvit & munia necessaria sunt impedita, tandemque in immensam molem aqualiculus distentus intumuit. Ubi ad summum tumorem elevatum est abdomen ut speculi instar pelluceret, ubertim per poros cutis aqua stillabat, detumuitque sudore isto spontaneo hydrops, ut & venter subsideret, & omnia linteamina corpori circumtensa lectoque injecta liquore diffluerent. Increscenti iterum hydropi, idem stillicidium aquæ sponte sua prorumpentis, remedio fuit, sed tandem sæpius recurrente inter cutem aqua fractis vi morbi viribus ad plures abiit. Mirum sanè nec semper obvium aquæ per cutis foramina stillicidium. Nempe in immensum dilatata cutis per patulos poros facilè aquam exstillantem admisit, quemadmodum id arte quotidie procuramus, sive laconico sive sudoriferis exhibitis.

HISTORIA XXIV.
Tetanus ab esu anguillæ.

IN publico urbis Hafnienſis diverſorio Hoſpitis filia & neptis in cœna cum aliis convivis anguillas in ferculo propoſitas comederant. Finitâ cœnâ utraque miro affectu correpta. Senſibus enim interceptis, ut ne acus puncturam ſentirent, rigidæ ſtabant, nonnihil ſubinde in priora curvatis corporibus, ſicut in emproſthotono evenit. Perſtitit hic Tetanus tribus diebus, ſed vicibus interruptis. Eſus anguillæ quanquam non paucis in deliciis ſit, à Medicis tamen improbatur omni tempore ex quacunque aqua emerſerint, maximé circa ſolſtitium, teſte *Iovio*, *Arnoldo Villanovano* aliiſque. Nam nunquam boni ſucci ſunt tametſi puro in humore verſentur, nedum in eo qui urbium ſordes & purgamenta in ſe recipit, ut autor eſt *Galenus l. de cib bon. & mal. ſucc.* c. 15. Rationem alibi reddit *l. de Ten. diſſ.* c. 6. quod tametæ carnem habeant mollem, ſucco tamen lento & pituitoſo abundent. Tales noſtræ ſunt anguillæ in portu variis ſordibus ex urbe inquinatæ. Reliquis tamen convivis innoxiæ fuerunt. Sed robuſtiores illi & calidiores evincere facilius potuerunt imminentia damna &, generoſiori po-

tu ſublevare. Unde autem Tetanus? Limoſæ Anguillæ craſſum lentumque alimentum ſubminiſtrant & obſtructionibus nervorum peropportunum. Hinc voci quoque nocere ſcribit *Ioannes de Mediolano* in ſchola Salernitana:

Vocibus anguillæ pravæ ſunt ſi comedantur,
Qui Phyſicen non ingnorant hæc teſtificantur.

Advocatus in ſubſidium laborantibus Medicus exercitatus D. Chriſtianus Fabricius, amicus noſter, propter veneni ſuſpicionem, vomitoriis ſtatim ventriculum exoneravit, qui eſculenta ſola rejecit, perſeverante verò malo ad Alexipharmaca digreſſus noxium affectum jugulavit.

HISTORIA XXV.

Anatome nuper natæ puellæ.

THeatro noſtro Anatomico illatum cadaver 1654. exeunte ſequioris ſexus nuper natæ, à Matre impia occiſæ. Quæ ſingularia occurrebant & mihi & *Martino Bogdano* Viro clariſſimo, qui me ſubinde propter negocia publica abſente, diſſectioni præerat, paucis lineis notabo.

Per venam umbilicalem tanta ſanguinis copia regurgitabat, ut ſectionem impediviſſet, niſi vinculo fuiſſet conſtricta. Urachus planè im-

impervius, per quem nullus liquor compressa vesica nec spiritus remeabat. Pinguedo ubique sub cute diffusa, sed rubicundior, Omentum araneosis telis simile, exiguis glandulis hinc inde conspersum. Hepar amplum more solitio in utroque hypochondrio, caput fœtus exæquans. In mesenterio vasa lactea notabantur, & pancreas Asellii candicante succo turgidum. Lien obscurè rubebat, gustu nitrosus, transversos digitos duos longus, latus vero unum digitum. Colon meconio seu succo atro repletum. Ventriculus cremore humido plenus, & ileon simili materiâ circa finem scatebat. Cœcum nil excrementi continebat, sed lumbrici instar more consueto intorquebatur.

Uterus parvus vesicæ & recto intestino affixus, nymphæ exterius prominentes membranosæ, alæ vespertilionum seu ligamenta superiora inserebantur in ossis ilii spinam. Ligamenta rotunda videbantur membranæ carnosæ, quæ est circa musculos femoris, esse processus, quibus adductis crus totum movebatur ex membranarum consensu, nam in pedes anserinos longius diffundi non erat conspicuum. Uteri cavitas tanta erat, quæ lentem reciperet. Nullum aliud virginitatis in puella vestigium comparebat præter carunculas. Glandulæ renales renibus & hepati & lieni & peritonæo arcte affixæ, cavitas vesicæ aqualis & figura similis

pha-

phaseolo, atro succo tenuique tumida. Renes ipsi ex plurimis glandulis magnis compacti.

Aperto thorace thymus circa jugulum ex tribus glandulis conspicuus, magnitudine cordi æqualis. Pulmones rubicundi, substantia densi: In pericardio humor ferè aureus, quantum duo cochlearia caperent. Foramen ovale in corde magnum, eleganti membrana tenuissima in circulo obvelatum, Canaliculus itidem conspicuus. Oesophagus refundebat spumæ quid simile & sputo. Crassa meninx adhærebat calvariæ tam arctè ut vi separari debuerit. In cerebro notabamus omnia quæ in adultis, sed imperfectiora, quia substantia cerebri mollior, & ventriculi compressi. Cerebellum cinericio & obscuro colore. Processuum mammillarium vestigia tantum signata, velut tenui muco dependente.

HISTORIA XXVI.

Pedes manus vicarii.

OPeras mutuas inter se tradunt pedes manusque. In pedum defectu manus suppetias in ambulando ferunt. Versa vice manibus vel culpa naturæ vel externo errore deficientibus, pedes ea præstant omnia quæ manus solent. Vide plura hujus exempla. Elegantissimos literarum characteres à pede mulieris vide

signa-

ſignatos. Alij mihi viſi, qui pedibus pro lubitu uſi & nummos donativos colligerent, & caput detegerent & ſecuri expeditè ad operas uterentur. Illuſtre exemplum referam, quod omnium oculis nuper Hafniæ exponebatur. Mulier Suecica nomine Magdalena Rudolfs Thuinby, annos nata 42. nupta Germano militi, à primis incunabulis ſine brachiis vixerat, & ne dolum crederemus ſubeſſe, illius conſenſu, nuda brachia exploravi, tactuque deprehendi ſolas ſcapulas adeſſe, nullumque veſtigium oſſis humeri & cubiti ſupereſſe, cutemque articulo humerali inductam ſine ulla artificii ſuſpicione. Quanquam autem brachijs ſit mutilata, tanta tamen dexteritate & promptitudine pedibus omnia munia exſequitur, ut ſpectatorum admirationem mereatur, manibuſque commodè carere videatur. Pedibus net, fila per acum traducit, textoriam artem exercet, ſclopetum onerat exploditque forfice; & cultro artificioſas chratas ſcindit, teſſeris ludit & alea, paterâ libat, infantem ſuum faſciis involvit. Flectere eoſdem pedes novit, capiti & pectori adducere, ut infantum velut ulnis admoveat uberibus, cibum potumque & ſuo & infantis ori indat, crines ſibi pectine expediat. Omnia denique ſine moleſtia præſtat quæ & propriæ neceſſitati ſufficiant & aliorum deſiderio.

HISTORIA XXVII.

Penis gangræna.

JUvenis mercator Hafnienſis febre corripitur ardente, cui venæ ſectione & ſudoriferis occurritur, ſed fruſtra. Quibus nihil proficientibus, tandem victus dolore aliud malum aperit, quod occultabat, nempe tumidum penem, inflammatum & gangræna ferè defædatum. Confeſſus quidem eſt, rem ſe cum muliere habuiſſe, ſed contractam inde luem negabat, quod ſana illa videretur & viribus integra. Orgaſmum igitur incuſavimus, & nimium juvenis fervorem, unde inflammatio, quam ſpretam vel diſſimulatam gangræna eſt inſequuta. Curatus fuit à Chirurgo impoſito Ægyptiaco, & inflammatione refrigerantibus ſedata. Tandem pars poſt partem ſponte ſua decidit, donec ad ſanam colis partem perventum, quæ vix unius digiti articuli longitudine ſupereſt, per quam promptè lotium mejit.

HISTORIA XXVIII.

Antipathiæ variæ.

VAria ſunt quæ pro ſingulorũ natura, homines inſita & occulta antipathia averſantur.

Multi plura notarunt, nos nobis visa signabimus. Nobilis Venetus ferre non potuit calidum recentemque panem discindi. Hospita mea Veneta anguillas aversabatur. Vidi sæpe felis præsentiam sed insciam, plurimis sudores provocasse & animi anxietates. Credit superstitiosum vulgus illos solos à fele abhorrere, quorum cunas felis forte ante baptismum transilivit. Nobilis quidam Baro, amicus meus, ægerrimé ferebat, si aciem cultri sursum in mensa verteres. Caseum & butyrum plures sunt qui repudient. Butyrum quidam frigidum fastidiunt, liquatum in cibis appetunt, & si errore coqui frigidum forte cibis misceatur, in lipothymiam incidunt. Domesticum hujus antipathiæ habemus exemplum, ad nepotes translatum, ut si vel vi vel blanditiis, puerulis vel butyrum vel caseus obtrudatur, superveniat vomitus, anxietas & narium hæmorrhagia. Nobilissima apud nos familia sinapi & allium aversatur. In medicamentis quidam Rosam non ferunt, alij Cinamomum, alii Aurantiorum flores. Pleraque mulieres offenduntur à suaveolentibus, uterique patiuntur commotiones & hystericas passiones. Novi tamen Hafniæ mulieres quibus fœtida naribus admota nocent, benè olentia verò libenter etiam hystericæ, excipiunt. Generosa quædam Matrona, omnia suavem odorem spirantia perfert, exceptis violis recentibus.

Unde summo studio in singulorum naturam Medicus inquirat, antequam vel hæc vel illa medicinis admisceat. Viros vidi exhibitam confectionem Alkermes vomitu statim rejecisse. Robustus quidam Hafniensis cætera sanus & cordatus, quotiens canem vel minimum videt, totiens perterritus convulsione sinistræ manus corripitur.

HISTORIA XXIX.

Arteriosus sanguis serosus.

SAnguini arterioso plus seri inesse quam venoso ex arteriotomia nos docuit *M. Aur. Severinus*, amicus magnus & Chirurgorum Princeps. Experimento enim comprobavit *Epidoch.* l. de Aq. Pericard. t. 8. in cruore crebris arteriotomijs extracto duplam fermè compertam ichoris portionem. Serum in arteriis contineri, nemo dubitavit, eo enim vehiculo indiget sanguis calidior. Cur autem & unde major ichoris quantitas in arterijs reperiatur, nemo divinare potuit. Lumen nobis hic fenerantur vasa Lymphatica, quæ aquam ex arteriis recipiunt suoque alveo includunt, nec sinunt omnem ad venas effundi. Unde mirum non est, copiosiorem esse aquam in arteriis quam venis. In splenetico mihi amicissimo nuper experimenti veritatem

ritatem comprobavi. Per vomitum quinq; circiter vel ſes menſuras noſtras ſanguinis ex liene rejecit, copioſis arteriis referto, Interjectis horis aliquot tertiam menſuræ partem ſerum occupabat, floridoque ſanguini innatabat. Eodem vomitus tempore ad revulſionem ſecta illi fuit vena brachij, ſed nullum in ſanguine venoſo haud illaudabili ſerum vel perpaucum comparuit, quod familiare ſibi eſſe & conſuetum ipſe æger mihi fatebatur.

HISTORIA XXX.

Melancholicus digitos ſibi detruncans.

AGathias Smyrnæus l. 2. hiſt. Gothorum, peregrinarumque hiſtoriarum ſcriptum reliquit, Leutharem Barbarorũ Ducem eo amentiæ deveniſſe, ut propria membra dentibus carne lacerata voraret, defluentemque lingeret cruorem. Quod ex illo inter picæ exempla recitat M. *Donatus* l. 4. hiſt. Med. c. 1, Studioſus Hafnienſis pius & eruditus, melancholia Hypochondriaca miſerè diu afflictus, quum ſe ex ſuprema ædium publicarũ contignatione præcipitaſſet, & à chirurgo deligarentur accepta vulnera, præ impatientia dextræ manus indicem dentibus ſibi detruncavit, & niſi vinculis in lecto fuiſſet conſtrictus, nec reliquis digitis pepercifſet.

HISTORIA XXXI.

Thorax compressus.

NAuta quidam Petrus Finlandus recenter extructam naviculam è sentina in aquas per glaciem cum socijs aliis protracturus, sub onere concidit pede titubante. Cæteri socij ignari hujus casus, naviculam, ut cæperant, protrudunt, unde miser ille inter naviculam glaciemque medius, à pondere incumbentis naviculæ ita fuit compressus, ut thoracis figura rotundior planam acquisiverit, indeque difficilis respiratio, urinæ incontinentia, ex ore auribusque copiosi sanguinis fluxus. Tractu tamen temporis ita convaluit, ut pugno aliis prævaluerit.

HISTORIA XXXII.

Monstrum intestinis exsertis.

IN civitate SelandiæCoagio, nativitate Brochmannorum clara, natum pridem monstrum humanum, cujus superior capitis pars, suturis solutis, ut in aliis nuper natis usu venit, moveri & à vicinis separari potuit. Sinistri brachij loco truucus erat duabus appendicibus digitorum vice distinctus. Tres digiti in manu dextra,

dextrâ, quartus digitus referebat granum hordei cum appendicula infra cubitum. Cor in hypochondriis situm. Intestina extra umbilicum prominebant nuda colore rubicundo. Digiti dextri pedis connati, quibus prorsus sinister pes carebat. Uterque pes rotundus instar ungulæ, calcibus introrsum versis.

HISTORIA XXXIII.

Lotium calculosi copiosum.

PAstor ruralis temperamento calido & humido, eusarco, ætate consistenti, ante paucos annos calculo laborans per quinque dies à calculo obstruente urinam suppressam continuit, nec præter guttulas perpaucas interea excrevit. Post quintum sua sponte prodiit calculus insignis magnitudinis, qui nucleum pruni majoris facilè æquabat. Exinde tantam lotij copiam emisit, ut octo pottis seu mensuris nostris implendis sufficeret. Nihil ex illo tempore sensit incommodi, nisi quod per vices recurrant dolores arthritici in dextri brachij articulis, quibus leniendis, donec finito Æquinoctio, corpus universum expurgari possit, & inprimis caput evacuari, unde fluxionis principium, quia calidum & humidum & de ejusdem dolore imminentibus paroxysmis articularibus conqueritur,

queritur, dedi Emplastrum Anodynum in officinis nostris usitatum, quo & dolor solet mitigari & peccans materia discuti.

HISTORIA XXXIV.

Anatome calculosi pueri Brixiani.

Filius D. Marci Antonij Scalvini Brixiani, novem annorũ, bonæ complexionis, 1645. ægrotavit diebus 33. febre ardentissima, quæ spacio paucorum dierum consumpsit omnem carnem, reduxitque miserum puerum ad sceleti maciem. Extremis diebus de ardore urinæ conquerebatur ejusque difficultate, quam sanus nunquam passus fuerat, licet siti continua aridus sine modo & modio tam vinum quam aquam puram lutulentamque & sapone inquinatam avidius hauserit. Demortui cadaver Parentes de incantamento dubitantes, cupientesque scire causam mali, aperiri jusserunt. Inveniebatur hepar immensæ magnitudinis prorsus sanum; nisi quod in extremis partibus esset tostum, nigrum & durum. Renes flaccidi nulliusque consistentiæ, in venis emulgentibus prope renes reperti sunt duo calculi, unus utrinque, neç tamen unquam in juvenili corpore urinæ mictionem impediverant. Primus calculus æquabat pondus duorum aureorum Hispanicorum,

rum, $1\frac{1}{2}$. ungaros, & ſex grana. Alter duos aureos, medium ungarum exceptis ſeptem granis, quemadmodum teſtis mihi eſt frater chariſſimus *Doct. Eraſmus Bartholinus*, qui per *D. Moretum* inſignem Patavij Mathematicum à Brixiano Medico hanc obſervationem accepit.

FIGURA CALCULI.



HISTORIA XXXV.

Anatome calculoſi pueri Leidenſis.

PUer tredecim annorum, poſtquam per duos annos & quod excurrit, purulenta mictione & per intervalla diris cruciatibus graviq; pondere in hypogaſtrio laboraſſet, tandem ſpiritum

DEO reddidit. Parentes & amici ad causam tot malorum cognoscendam advocarunt *Thomam Staffardum* ChirurgumLeidensem peritissimum, amicum meum, ut cadaver aperiret. Vesicam invenit mirum in modum dilatatam, cujus crassities mediocrem digitum transversum æquabat, qua aperta extraxit calculum oblongum coloris cinericei. In vesicæ collo nihil præter naturam inventum, sed in renibus causam purulentæ michonis detexit. Renis dextri parenchyma planè consumptum erat, ita ut nihil præter membranosam ejus substantiam sacculi in modum contractam, esset reliquum. Sinister æquabat magnitudinem duorum pugnorum, subnigro colore, apertus pure scatebat totus, & in infima ejus parte exiguus abscessus reperiebatur. Vtriusque pelvis admiranda amplitudine erat dilatata. Vreteres à renibus ad vesicam usque tam ampli visebantur, ut facili negocio digitum minimum admitterent. In reliquis visceribus nihil memoratu dignum fuit repertum. Lapis ipse obtusa & porosa parte in collo vesicæ latuit.

HISTO-

HISTORIA XXXVI.

Vomitus ſanguinis ſalutaris.

SAnguinem ſupernè efferri, qualiſcunque ſit, malum pronunciat *Hippocrates* 4. Aph. 25. nempe ſi cum febre, ut ſe explicat. 7. Ap. 37. quia inflammationem indicat, interprete *Galeno* in Comm. & ἐπιγίνεται eſt. Aliàs vomitu ſi rejiciatur per ſe periculo caret, præſertim tumido liene. Qui vomendo effertur vel ex hepate, vel liene eructatur. Vtrumque fieri conſentit *Galenus* l. 5. Lo. Aff. c. 5. Pro liene vas breve adeſt, quod ideò tumidum ſanguineque diſtentum obſervavi in horum Anatome. Hepar per porum cholidochum & ſanguinem & bilem mittit. De alio ſanguinis vomitu loquitur *Hippocrates* l. 2. *Coac. Prænot.* qui uterum expurget & ſterilitatem tollat. *Sect.* 3. §. 43. *Sterilibus ſanguinis vomitus ad concipiendum utilis eſt.* A menſtruorum ſuppreſſione ſerum exprimi ad ventriculum *Duretus* credit. *Hollerius* contra vomitum ſanguinis ad conceptum rariſſimè prodeſſe, niſi ſi cui præ copia ſanguinis aut largius fluentibus menſtruis id accidat. Recte id quidem. *Pro Dureto* enim non video quid reſponderi poſſit. Evacuato quippe ſero facilius ſubſiſtent ulterius menſes, ſuo vehiculo privati, niſi nimium abundet.

In largo autem menſium fluxu, qui conceptum impedit, ſi ex quacunque parte evacuatio ſuccedat, onere liberabitur uterus.

Nobiliſſimus quidam in Dania Vir, ſexagenarius, vomitum cruentem perpetuum patitur, magnaque copia per ſtatas vices ſanguinem rejicit à liene, nullo vitæ aut valetudinis damno, ſed ſalutari evacuatione. Supra trigeſimum annum eo commodo gaviſus eſt, ſanusq; hoc medio vixit, & ſi ſubſiſtat, vitæ ſuæ & incolumitati timet.

HISTORIA XXXVII.

Scintillæ ex capillis.

CArdanus l. 8. de Rer. Var. c. 43. de Monacho Carmelitani ordinis refert, quoties capillitium reduceret ad occiput, ſcintillas ignis è capillis erupiſſe. Heroina Caumontiæ apud *Scaligerum* Exerc. 174. in mediis tenebris capillum dum pecteret ignem vidit. Sæpius id *Petro Io. Fabro* inſigni chymico contigit, uti teſtatur in Pallad. ſpagyrico c. 14. & vidit in puella nobili, forma gratiſſima prædita, quæ dum coram illo capillos venuſtè admodum pectine implicatos diſſolveret, flammas veluti cadentes cœlo ſtellas, è capite ſuo in ſinum excutiebat, quo meteoro perterrita puella in ſyncopen ferè incidiſſet, ni ſubito verbis lepidiſſimis refocillata

metum è pectore depressisset. Antiquiores si repetamus, frequens apud illos hoc visum ostentum. De Ascanio *Virgilius* l. 2. Æn.

Ecce levis summo de vertice visus Iuli
Fundere lumen apex, tactuq; innoxia molli
Lambere flamma comas. —

De Tullio Romanorum Rege consentiunt historiæ antiquæ conditores *Livius*, *Plinius*, *Florus*, *Valerius*, *Dionisius Halicarnassæus* aliiq; numero plures; quum aliquando circa meridiem in regio thalamo consedisset, somnoq; esset oppressus, flammam è capite ejus emicuisse, nec prius totum caput flamma collucere desiisse, quam à Matre accurrente excitaretur. Bamba Gothorum Rex apud *Sabellicum* l. 1. c. 4. ad supremum Regni fastigium efferendus per flammam à capite adscendentem de sequuturi imperii omine proceres Curiæ admonuit. Nolumus extera exempla cumulare, quia domestica occurrunt. Serenissimus Daniæ & Norwegiæ Princeps *Christianus V.* imperio patrio destinatus, non semel pectine capillos ad occiput reducens scintillas exsilire vidit, & præsentibus monstravit. Dignus tali omine Princeps imperio, nisi morte præventus inter æterna sidera omnibus virtutibus Heroë dignis coruscans esset repositus, & avitum regnum Augustissimo Fratri, quo majorem Sol non vidit, ex publico singulorum voto, consignasset. Miraculorum autem

horum rationes Libr. de Luc. Anim. persequuti sumus.

HISTORIA XXXVIII.

Infans hirsutus & rugosus.

HOspita Hamburgensis contumaci febre maligna laborans frustra consilio Medicorum adhibitis medicamentis, quia gravidam se profitebatur, in spem venit illorum persuasione, à contumaci morbo liberam fore instante partu. Ultra definitum imprægnationis tempus cum procederet, molam suspicati Medici, sanguinem aliquoties detraxerunt, nihil remittente febrili ardore. Nocte quadam obortis parturientium doloribus vix marito persuadere potuit febrem causanti, accersendas esse mulieres & obstetricem. His per ancillam convocatis brevi interpositâ morâ partum feliciter edidit, bis eodem die febrili paroxysmo gravius redeunte, sæpiusque exinde recurrente. Editus infans toto corpore hirsutus erat, pilis digitum longis, rugosa facie grandiorem ætatem mentiebatur. Triduo elapso omnes pili deciderunt, nec ullæ in facie rugæ comparuerunt. Sanctè affirmavit Mater puerpera, ita immutatum fuisse infantem ut fœtum proprium non agnosceret, nisi propriis oculis deciduos pilos vidisset, quotiens

enim

enim novis fasciis involvebatur, totiens in fasciis lotio madidis pilos invenit. Interjectis aliquot mensibus convulsus obiit, sicut ad me perscripsit *H. Moinichen* Affinis & amicus dilectus. Quotidianum quidem est nuper natos leviter esse hirsutos, sed in tantam longitudinem increscere, raris annumeramus. Copiam excrementorum indicant in morbosa & febrili corpore prægnantium.

HISTORIA XXXIX.

Spasmus Periodicus.

UXor Cupedinarii Hafniensis in difficili partu convulsionibus corripiebatur. Salvum tamen sanumq; fœtum enixa est. Postea spasmi manuum pedumque quotidie recurrunt eodem fere horæ momento vespertino, quo primum in partu invaserant, servantq; statum istud tempus per plusculas hebdomadas, etiã post quam à puerperio convaluit. Consultus ego dedi pulverem Marchionis in aqua hirudinum & cerasorũ paroxysmo imminente circa vesperam in lecto sumendum, quo iteratis vicibus sumpto à spasmis liberata fuit.

HISTORIA XL.

Nattæ.

PAracelſus l. de Apoſtem. c. 12. nattas aliquas cartilaginoſas aſſerit, aliquas carnoſas, & ligamentoſas. De cartilaginoſis valdè dubito, ex ipſo Nattarum termino. Succeſſu enim temporis putrefieri vult augmentoq; ſuas membro vires deprædari. Nattæ pleræq; in carnoſis partibus oriuntur, & cuti mobiles molleſq; inhærent. Partibus alimentum non ſubtrahere obſervavi, præſertim in capite enatas, nec ſemper putrefieri, ſed tamdiu partibus ſuis inhærere, quamdiu vita eſt. Avus meus maternus in occipite innoxiè ultra 60. annos geſtávit Nattam globoſam, nudam, mollem & mobilem. Semel aperiri juſſit, pus exiit. Rediit poſt paulò, & exinde intactam ſemper reliquit. Hæreditario jure ad Matrem tranſiit eodem capitis loco eademque figura, quam, mollem licet, propter ætatem ingraveſcentem exſcindere auſus non ſum. Notavit *G. Horſtius*. l. 4. Part. 2. Obſ. 14. nattam in Jacobo Achermanno radicitus infra nucham feliciter ablatam fuiſſe, ſed ſemſim viſum hebetiorem factum, & augeſcente indies malo omni penè videndi uſu privatum. Nuper erumpentes ſi dentibus leviter comprimantur

Nattæ, ſenſim marceſcunt & pereunt. Quod bis obſervatum Patavij, ſemel in Nobili femina, cujus erumpentem nattam dentibus vicina mulier apprehendit, & ſemel in filia Sinclitici Juriſconſulti ibidem ſummi. Ita *Galenus* l. 14. Meth. c. 17. autor eſt Romæ quendam excogitaſſe quemadmodum acrochordonas & myrmecias ore ſanaret. Has enim primum labiorum applicatione ceu ſuctu ad ſe trahebat, atque à radice evellebat, deinde primoribus apprehenſas dentibus totas ſimul eximebat. Alij filo conſtringunt, intercipiuntq; nutrimenti affluxum, quo artificio verrucas alias tollunt. *Theophraſtus* nominatus aluminis plumoſi filo utitur in oleo de gilla prius madefacto. Aliam Nattam, quam Alcola vocat *Paracelſus* c. 15. in ruſtico vidi, pomi magnitudine & figura ex labio oris ſuperiore dependentem, quam primo aſpectu putavi roſam eſſe rubram ore geſtatam.

HISTORIA *XLI.*

Terrore inductus morbus.

TErrore inſperato & ſanantur morbi & inducuntur. *Benivenius* Obſ. Med. c. 62. ex horrore flammæ in febrem ſe incidiſſe fatetur. Novit præterea c. 63. puerum, qui viſis duobus viris, nigris veſtibus cœlo ſubobſcuro obvolutis, adèo perterritus eſt, ut toto corpore contremiſ-

cens, in admirabilem ægritudinem ac demum in mortem inciderit. Filius Matthiæ vespillonis quum ex angulo hypocausti tumorem parentis à Chirurgo obligari & curari prospiceret, tanto terrore est perculsus, ut subitò velut mortuus concideret, quem paroxysmum Epilepsiæ affinem sæpius exinde patitur aliquot annorum decursu. Ex improviso enim sive domi degat, sive in ludo literatio versetur, dolore corripitur ingenti, ut alta voce clamet, mox consternatus concidat & immotus jaceat. His symptomatis annorum tractu cessantibus, remansit tremulus brachii motus, quem commodis remediis tandem persanavi. Fuere qui alio terrore primum morbū depellendum suaserint. Nolui verò vulnus vulneri addere, nec salutem pueri incerta spe prostituere, quanquam Epilepticam noverim tempore paroxysmi frigida largiter affusa præter exspectationem perterritam convaluisse.

HISTORIA XLII.

Mors ex vulnere acus.

NUllum planè vulnus temerè est negligendum, nam ut rectè *Celsus* l. 5. c. 26. quod per se exiguum est malum, majus fit curantis negligentia. Malo suo id experiebatur mulier quædam, mihi visa, quæ ludentis pueri impulsu acum

acum netoriam in genu admisit, quo vulnere exili spreto post triduum convulsa moriebatur. Nempe circa articulos tendinum nervorumque est concursus, quibus vel obiter punctis, convulsio metuenda. Idem evenerat sutori apud *Hippocratem* l. 5. Epid. §. 44. soleas veteramentarias suenti. Pupugit seipsum supra genu in femore, & ferme digitum immersit. Illi quidem nullus sanguis effluxit (quia parte nervosa vulnus inflictum), ulcus verò citò clausum est: Femur autem totum in tumorem elevabatur. Tertia die mortuus est. Quid huic loco propter nervum magnum crus moventem subsit periculi, videsis *Vallesiam* doctissimum Interpretem.

HISTORIA *XLIII.*

Linguæ portentosa magnitudo.

IN oppido Drisna Marchiæ Brandenburgicæ, Frederico Singero fabro filius natus Nicolaus, prominente ex ore lingua primum nucis avellanæ magnitudine. Medici plurimi, inprimis Electoris Brandenburgici D. Ottho Bœticher, parentis auxilium implorantes, & ferrum ad linguæ diminutionem expetentes, certo insecuturæ mortis metu deterrebant. Igitur in terrorem reliquis infantibus adolevit, & intuentibus horrorem, ut adæquaret vitili ses-quimestris

cor,

cor, quo Mater illius gravida ferebatur in macello à lanione per jocum percussa. Non impedivit crassa lingua loquelã, quam perfectè formabat, licit gutture rauco. Narravit hæc mihi *Cl. Martinus Bogdanus*, amicus & auditor meus, qui olim puer in patria illum sæpius vidit nuces avellanas ad oris latera intrudentem, & dentibus maxillaribus confringentem. Magis tamen delectabatur pisis aridis, quæ ex repleta crumena omni tempore cuivis poscenti offerebat. Utebatur peculiari ollula, eaq; fistulosa, lateri oris admota, ad sitim levandam. Increscente Luna crescebat lingua, & continuo cruorem modicum fundebat ex dentium forsan allisu, vel buccis nimium dilatatis, vel linguæ distentione.

HISTORIA XLIV.

Cæcus Eruditus.

BEnignam Naturam meritò admiramur, quod unius partis defectum majori commodo compenset. Cæcus fertur *Homerus*. At quæ regio, quæ ora, qui locus Græciæ, quæ species formæ, quæ pugnæ, quæ acies, quod remigium, qui motus hominum, qui ferarum, non ita dipictus est, ut quæ ipse non viderit, nos ut viderémus effecit, sicut de eo *Tullius* in Tuscul. loquitur. Cæcos novi eleganter instrumenta Musica pulsantes.

ſantes. Alius lumine à nativitate caſſus ludum Pythagoricum, vulgo ſchacchium, tam callebat accuratè, ut non tantùm omnem artificio ſuperaret, ſed & fallentes deprehenderet. Tactu enim digitorum omnes calculos diſcernebat, & ſummam univerſi ludi animo ſuo complectebatur. Comes Mansfeldius viſu deſtitutus, ſolo contactu candidum à nigro fertur diſtinxiſſe. Uldarichus Schonbergerus Philoſophiæ Doctor noſtra ætate omnium in ſe admirationem concitavit. Cœcus is ſingulari ingenio & diligentia id aſſequutus eſt, ut plurimis, quibus videndi felicitatem Natura conceſſit, palmam fecerit ambiguam. Enimverò linguas Latinam, Græcam, Ebræam & Syriacam eruditè callebat, naturæ arcana didicerat, promptus in Diſputationibus Philoſophicis & acutus, muſicæ peritus, utriuſque picturæ ſtudioſus, & quod mirandum, ſclopetum tam dextre exploſit, ut à ſcopo non aberrarit. Nuperis annis Regiomonti Boruſſorum obiit, de quo inuſitati exempli viro elegantem hanc Elegiam *Cl. Simonis Dachij* accepimus memoriæ poſterorum digniſſimam.

Sera patrum magno lectura volumine faſtos
Poſteritas lectis vix habitura fidem.
Poſt belli varios caſus paciſque labores,
Regis & intrepidâ colla reciſa manu,
Sarmaticos tandem venies ſi forte Boruſſos,
Quod ſtupeas etiam tempora noſtra dabunt.

Schonbergerus id eſt, qui noſtris cœcus Athenis
Vixit, & heu! mœſto funere raptus obit.
Hic utriuſq; tener fit caſſus luminis infans,
Accipit & gemino noctis in orbe chaos;
At, quem perpetuis damnat ſors atra tenebris,
Hunc beat alterius lucis honore Deus.
Olli ter centum fixit ſub pectore ſoles,
Atque oculis animi cernere cuncta dedit.
Quas habet aut cœlum, quas aut mare, terrave, vidit
Naturæ varias ingenioſus opes.
Quid loquor Auſoniæ, quid Grajæ munera linguæ?
Diceret hunc Syrus, & curtus Apella ſuum.
O quotiens docta ſtupefecit acumine Phœbum
Multiſcio pandens pectore grande Sophos.
Vix uſa eſt illo meliore juventa Magiſtro,
Tam quævis mirè dexter in arte fuit.
Atque ea ſi ſcimus tantum, quæ mente tenemus,
Quolibet hic verè judice doctus erat.
Adde quod argutas norat compingere chordas,
Et pulſanda manu nablia ſæpe dedit.
Non credenda loquor, ſclopo retuliſſe brabeum
Trajecto ſolers eminus orbe fuit.
Hunc ubi ſæva nimis ſurreptum fata tulerunt,
Et Muſæ & ſciſſis flevit Apollo comis.
Illius ut vita, ſic Pruſsia morte ſuperbit,
Exuviis tanti nobilitata Viri.
Si dices aliis hæc turpia ſecula monſtris,
Poſteritas iſthoc eſſe beata feres.

HISTORIA XLV.

Splendores in Epilepticis.

LVx sæpe oculis Epilepticorum obversatur omine sinistro. De quo *Hippocrates* l. 1. Præd. & l 2. Coac. Præn. in Convulsione: *Quibus convulsis oculi intente relucent, neque apud seipsos sunt & diutius ægrotant*: Vidit id *Cœlius Aurelianus* l. 1. Tard. Pass. c. 4. de Epilepsia: *Circulos igneos circumferri oculis sentiunt ægrotantes.* Ex oculis vertiginosæ mulieris scintillas emicare Patavii cum *Sala* & *Avantio* observavimus. Ignei subinde globuli prodire visi. Mulier quædā apud *M. Donatum* l. 2. hist. Med. c. 8. Lauræ nomine, dum vena ipsi aperiebatur, quendam in media parte capitis interna crepitum, ac si vesica disrumperetur, persentiit, ex quo in levem lipothymiam incidit, qua levata maximo animi mœrore correpta est, ac post aliquot dies globulū igneum sibi videre visa est, qui postea in maximam flammam excrevit, ac deinceps melancholicis & Epilepticis symptomatibus per intervalla vexata fuit. Ad lucidos spiritus animales, hic condensatos & vi ex nervis expressos, alibi culpam relegavimus. Aliud mihi hujus ostenti exemplum nuper admodum summisit *D. Ioh. Frid. Treubler* Practicus Bergensis & Amicus meus, lectorū oculis haud

in-

indignum. Capitaneus Regiæ navis Bergis Norwegorum, Vir robuſtus, temperamento melancholico, cum Anno 1655. ineunte, deambulando laſſus domum reverteretur, urinam excernere coactus fuit, inter mejendum verò ſplendores & coruſcationes non ſine ſtupore ante oculum ſiniſtrũ obverſari ſibi animadvertit, quibus evaneſcentibus putabat rem eſſe nullius momenti, ſi quidem ad priſtinum ſtatum oculus ſtatim rediret. Eadem tamen hora per intervalla ſcintillas eoſdemq; ſplendores intuebatur, & quaſi Meduſam aſpiceret, ſtabat immotus trucibus oculis. Malum iſtud indies per duas hebdomadas ſequentes adeò increvit, ut non ſplendores ſolum & ſcintillas, ſed globulos igneos, igniſq; maximam quantitatem è phiala quaſi effuſam ſibi videre viſus ſit. Multa adhibuit vulgi conſilia, quod omnia ad veneficia referebat, donec convulſionibus Epilepticis adeò horrendis corriperetur, ut vix quatuor Viri robuſtiſſimi ad ſuſtinendum illum ſufficerent. Inter quas violentiſſimas commotiones vitam cum morte miſerè commutavit.

HISTORIA XLVI.

Mammarum moles.

NImio ſubinde incremento augentur mammæ, quarum ſororiante tumore, ſi intra

intra mediocritatis terminos subſtiterint, impensè juvenes delectantur. Ferunt Indicorum itinerum ſcriptores in Regno Senegæ, uxoribus mammas ad ventrem uſque à maritis divelli, & in Inſula Arnabonis nutricibus tam vaſtas eſſe mammas, ut ad terga reflecti poſſint. Mulier Helſingorenſis primaria tam amplas & ponderoſas non ita pridem mammas circumtulit, ut ad genua propenderent. Oneroſam molem ſedendo genubus ſuffulciebat. Conveniret his mamillare *Martialis l.* 14. Epigr. 66.

Taurino poteras pectus conſtringere tergo,
Nam pellis mammas non capit iſta tuas.

Antiquis enim moribus receptum fuit, faſciis mammillas conſtringere, ne nimium excreſcerent, teſte *Iſidoro* l. 20. c. 32 *Nonio Marcello* l. de Veſt. *Polluce* l. 7. 14. *Ovidi* l. 1. de Art. Am. *Martiale* alibi l. 14. Ep. 134. ſtrophium vocat *Catullus* in Arg. & Pumicam, Zonam *Auſonius* Epigr. 92. de zona Hermiones. Erantque ferè inter primæ notæ feminas purpureæ faſciæ papillares. Teſtatur enim *Iulius Capitolinus* Clodium Albinum purpurea matris illigatum eſſe faſcia, quia forte lotæ atq; udæ eſſent ruffulæ, quas mater prægnans paraverat. *Apulejus* l. 2. Met. de Fotide: Rubea prænitente altiuſculè ſub ipſas papillas ſuccintula. Orientalibus eædem faſciæ uſitatæ Quo trahunt nonnulli *Ierem*. Proph. c. 2. v. 32. Græcis quoq;. Medea enim venenũ Jaſoni

E præ-

præparatura odoratæ falciæ impoſuiſſe dicitur, qua ipſi ambroſium inſtringebatur pectus. Vide *Apollon. Rhod.* l. 3. Argon. v. 866.

HISTORIA XLVII.

Monſtrum ſine oculis.

IN oppido Scaniæ noſtræ Væ, natum eſt monſtrum parentibus honeſtis. Rectè omnia in partu ſucceſſerant. Sed infanti nulli oculi erant. Bregma apertum colore rubicundo patulum. Naſus latus oblongusque, ex quo tumor protendebatur una parte oſſeus, altera carneus, cute tectus, ſine foraminibus. Os latum & deforme. Maxilla ſuperior unico oſſe conſtare videbatur. Utraque manus ſex digitis aucta, ut & pes ſiniſter. Miſerando continuoque ejulatu omnium in ſe miſericordiam vertit donec exſpiraret.

HISTORIA XLVII.

Abſceſſus poſt febrem.

IN convaleſcentibus ex morbo abſceſſus fieri *Hippocrati* credimus 4. Aph. 32. præſertim ad articulos & juxta maxillas, ſi præ cæteris laborent doleantque. Idque ex cruditatibus in refectione congeſtis, ut ex *Aph.* 45. patet. Idem per

per μετάστασιν materiæ morbificæ in febribus evenit, quæ non crisi, sed decubitu humorum solvuntur. Translatas vero humiditates peccantes illæ partes recipiunt, quæ imbecilliores. Vidi febres decubuisse ad pedes, ad fauces, ad universum corpus scabie infectum. Febre acuta correptus scriba Fridericiburgensis, eum delirio, convaluit; Sed quia sine crisi febris extincta, successit tumor brachii sinistri ingens durus cum calida intemperie & tendinum manus distentione, ut nullum articulum movere posset. Præmisso purgante, sudoriferis exhibitis, balneum injunxi emolliens & discutiens, hinc emplastra post balneum applicanda, quibus paulatim detumuit brachium, tendinum remanente obstinata duritie, quam ita crebro usu pinguedinis humanæ emollivi; ut restitutum in integrum fuerit brachium & ad motus actionesque expeditum.

HISTORIA XLIX.

Serum in sanguine glutinosum.

SErum in sanguine contentum aquæ simplicis superat tenuitatem. Præter enim lympham nostram qua diluitur, partes crassiores habet admixtas, quod tali experimento didicimus. Serũ in pelvi ex sanguine emisso sua sponte separatum lebeti seu vitro indidimus, suppositisque illi

ignitis carbonibus vel huic calidis cineribus, ſivimus aquoſam humiditatem exhalare. Remanſit tum gelatina denſi glutinis inſtar, majori plerumque copia quam fuerat ſerum, nam bullis excitatis ampliorem in pelvi & vitro locum occupabat. Difficile dictu eſt, quænam iſta ſit materia, quæ poſt evaporationem aquæ relinquitur, ſimilis planè gelatinæ ex juſculis carnis bubulæ, caponis aliarumque rerum cordialium. In ſanis & morboſis eadem facies, niſi quod colore variet pro vario hominis ſanguiniſque conditione. Quum idem prius facerent experimentum Patavii, putavit *D. Frigimelica*, inſignis Gymnaſii Doctor, ſerum in coctione ſecunda hepatis genitum non purum eſſe excrementum, ſed plurimas partes heterogeneas & adhuc utiliſſimas contineri. At obſervationum noſtrarum preſſior interpres *D. Lyſerus*, chyli portionem ſuſpicatur, quæ in corde immutari ſubitò non potuit, ſed cum ſanguine arterioſo ex corde pervenit ad extremas partes. Certè ex Thoracicis noſtris Lacteis, quibus chylus cordi per axillares infunditur ex prima cl. Pecqueti obſervatione, & ſanguini miſcetur, commoda foret ſententia, præſertim quum glutinoſa ſeri materies appoſitioni partium ſit opportuna, & plurimæ partes ſint huic humori magis amicæ, vel, ſi chylo quis nutriendi poteſtatem adimat, poſſent cum ſanguine venoſo ad cor redire ulterius

rius perficienda. Videtur tamen residua gelatina ex sanguinis perpetua aliqua parte esse accersenda, quia omni sero miscetur, tam sani quam ægri, tam jejuni quam pasti. Quó id certius ad oculum pateret, sanguinem ex sano homine, aliumque ex febricitante detractum cineribus imponendum curavi, & vix ullam in utroque adverti differentiam, nam gelatina in omnibus seris post exhalationem aquæ remansit. At chylus nec in ægris tam copiosé, nec jejunis sanguini admiscetur. In febricitantibus & serum supernatare & gluten copiosum observavi. Similis quoque est hæc gelatina à sero divisa, glutinosæ crustæ quæ in sanguinis scorbuticorum, Cachecticorum, aliorumque superficie condensatur frequentissimè, pessimi habitus certissimo signo. Quidquid sit, sive pro pituita habenda est, sive chyli parte, dispiciant curiosi ocio abundantes. Dubium non est quin plus in recessu habeat serum, quam in fronte promittat.

HISTORIA L.

Ventriculi dolores periodici.

PRæter febres alii morbi periodos certas servant. Vidi enim 1654. periodicos ventriculi dolores in quamplurimis, qui sine febre alternis diebus recurrebant. Notavi idem in filiola mea, quæ alternis noctibus inquieta de ventriculo conquerebatur, quem soluta alvus vel

lotium mitigabat nullo calore p. n. præsente. Post febrem in aliis similia observavi, per vices solitis paroxysmi diebus solitaque febris hora redeunte dolore & nausea, nullo amplius febrili calore infestante, quos abstergentibus medicinis, jusculis citriatis & acetosis persanavi. Est quippe in febribus nonnullis ventriculus primariò affectus ex observatione *Panaroli* Pentec. 1. Obs. 20. Pent. 4. Ob. 8. *Riverii* Cent. 2. Obs. 83. *Helmontii* Tum. Pest. p. 85. 22. *Diemerbrochi* l. 4. de Pest. Hist. 15. ut, extincta quamvis febre, ad se membranosum corpus non possit redire, nisi interposita mora aliqua.

HISTORIA LI.
Anatome Embryonis XVI mense nati.

DE stupro conquerebatur Lipsiæ Juvencula, à juvene benè nummato illato, & in jus hominem vocavit. Amici juvenis 17. annorum meretriculæ parum fidentes ob illatam injuriam, in carcerem ipsam conjiciunt. Illa indies tumidior ad partum terminum visa est accessisse, nec tamen fœtum ullum enitebatur. Hinc molam suspicatus Medicus expellentia præscripsit, & tumido ventri Cataplasma ex sem. lini, &c. applicuit, quibus aliquamdiu usa sexto decimo mense feliciter peperit fœtum sed debilem, nec

ultra

ultra unum alterumve diem superstitiem. Caput infantis nucem juglandem vix superabat, tumor verò capiti superna parte adnatus erat, universo capite major, qui quotiens manu contrectabatur, totiens infans convulsionibus corripiebatur, Mortuo infante caput aperuit *D. Godefridus Welsch* Anatomicus Lipsensis, amicus olim meus, invenitque in ipso cranio exiguam cerebri portionem, quam pro cerebello habuit, in tumore verò substantiam cerebro valdè similem. Hinc diuturnam istam in Utero maternomoram ex vitiosa cerebri constitutione derivavit, qua impeditus fœtus & fractus subsidiariam operam matri parturienti ferre non potuit, nisi forsan in calculo erravit femina, vel ut juvenem reum ludificaret, serius se ab alio subigi passa est.

Historia LII.

Penis constricti periculum.

Puer quidam Hafniensis in ædibus civis urinæ incontinentiâ lectum permingebat somno sepultus. Ancilla ægrè ferens totiens linteamina esse mundanda & lavanda, inito cum puero, qui hospitis quoque sui iram & indignationem metuebat, consilio, constrinxit noctu penem tam arctis fili vinculis, ut urinæ profluvium sisteretur. Ita miser puer per aliquot dies constri-

ctus & quasi infibulatus, retento latio, tam sæva sensiit symptomata & membri inflammationē, ut nisi maturè Chirurgus advocatus fuisset, actum esset de vita. Magno labore depressum tectumq; à tumido pene filum rescidit, quo soluto & lotio excreto ex faucibus orci rediit puer.

HISTORIA LIII.

Fungus maxillæ.

FUngi in maxilla à se curati historiam *Thomas Staffart* peritissimus Leidæ Chirurgus hac verborum serie ad me misit. Ante aliquot tempus ad me accessit Nobilis quidam Holsatus, nomine Joh. Wolffvon Alfeldt, Toparcha in Hutten, cui in dextro latere colli magnus & valdè durus tumor, ejusdem coloris cum vicinis partibus, dolorisque expers erat, qui immediatè ab infima parte auris deorsum usque ad pomum Adami tendebat, à postica parte circa musculum Levatorem scapulæ antrorsum ad Os jugale protensus, totam malam occupabat. Ejus magnitudo ad basin in ambitu erat paulo plus Ulnæ. Miser ille de sanitate sua sollicitus, postquam in Germania (ubi vitam militarem vixerat) Coloniæ ad Rhenum consilium & curationem à plurimis tam Medicis quam chirurgis rogaverat, tandem ad me (nescio quo fato) venit Leidam, idem à me petens. Ego sanè magnitudinem & duritiem

hujus tumoris obstupui, sententiamque meam ipsi aperui, tumorem nempe causatum esse à materia petuitosa sensim ac paulatim ibi congesta & tādem indurata, meque spacio 14. dierum vel trium septimanarum tentaturum promisi quorsum tumor vergere vellet, quod Cataplasmatibus emollientibus feci. Transacto hoc tempore, tumor tam mollis & tractabilis factus est, instar phlegmones suppuratæ. Clarissimus atque Doctissimus D. Joan. Elemannus (cujus consilio in principio usus fui) mecum judicabat tumorem esse suppuratum & magnam sine dubio copiam puris eidem inesse. Quid actum est? Applicavi cauterium potentiale, deinde post aliquot horas incisionem per crustā feci, exspectavimus ut pus abundè efflueret, sed nil nisi guttula una vel altera nigerrimi sanguinis exstillavit, in misso minimo digito in vulnus deprehendi tumorem in circuitu cavernosū & planè fungosum, post escharæ casum, fungosam substantiam longo temporis spacio medicamentis cathæreticis atq; septicis consumpsi; Verum circa guttur & collum aliqua durities satis profundè remansit, quam propter vicinitatem majorum vasorum colli ulterius attingere mihi tutum non videbatur. Postremo ulcere mundificato operam dedi citatricis inductioni, quæ tandem secuta, unà cum patiente meo DEO Opt. Max. gratias egi pro optato fine, & ille quam primum curatus erat, in Galliam se recepit.

HISTORIA LIV.
Manus exſiccata.

PAgus eſt in Selandia noſtra Weíby, proximus fontibus S. Helenæ, in cujus templi ſacello reconditur ſervaturque manus integra exſiccata cujuſdã hominis priori ſeculo defuncti: Ferunt manum iſtam cum corpore reliquo conſumi in buſto & putreſcere non potuiſſe, quia impia hac manu parentem filius verberaverat. Superſtitio hæc multorum pectoribus dudum inſedit. Teſtatur *Chriſtophorus Viſcher* in concionibus quum Wittebergæ literis operam navaret, in monte Apollinis tres digitos effoſſos fuiſſe, toto corpore corrupto & conſumpto, ubi ſeniores ejuſdem loci ruſtici affirmaverant, ante multos annos quendam qui pejeraverat ibidem ſepultum fuiſſe. Plura exempla manuum, quæ parentes percuſſerant, & corruptis corporibus incorruptarũ recenſet *Kornmannus* de Mir. mort. c. 48. 49. 50. Quantum verò conjectura aſſequi potui cnm præſens manũ viderem, miki dubium non fuit calce viva exſiccatam eſſe manũ, quod color indicavit. Exſiccari hoc modo non manus tantum ſed integra cadavera & abſumpta humiditate à putredine conſervari poſſunt, ſi viva calx ferali arcæ injiciatur. Novit id vulgus Pa-

tavinum,

tavinum, quod hybernis mensibus, ut cadavera suorum amicorum à scholaribus vindicet, simulac animam exhalarunt, calce viva aspersa ita exsiccat corpora defunctorum, ut ad sectiones Anatomicas prorsus reddantur inutilia.

HISTORIA LV.

Quartanæ typus.

QUartana, scandalum illud Medicorum, ubi satis desævijt, & ægrum læto omine est relictura, varium typum induit, variasque formas Protei instar. Constans est & semper eodem tenore affligit si vel ad interitum vergit, vel gravioribus symptomatis, ut Hydrope, Phtisi &c. sui absentiam est compensatura. Variat verò vices, si salutis sit spes. Quartana laborabat consanguineus meus, statasq; diu servabat periodos. At tandem quum paroxysmus postero die exspectaretur, præter spem die priore invasit, sicque postero die liber & sequentibus evasit. In aliis non paucis, meæ curæ subjectis, observavi, quartanam ubi desitura est, quotidie per octiduum perseverare, tandemque post largam diarrhæam vel hæmorrhoides vel sudores terminari cum salute ægrorum. Ratio est, quod mota in corpore materia & sedibus suis discussa quotidie moveatur, & quacunque crisi naturæ facilè tum expellatur, quod instante solstitio felicius succedere expertus sum.

HISTORIA LVI.

Mors & flamma ex Vino adusto.

VIni adusti copiam obesse, malo suo plurimi experiuntur. Nam vel fervore suo adurit ventriculum & intestina, ut in flammam facilè erumpat, vel accendẽdo vitales in corde spiritus calorem suffocat, constringitq; vasa, unde syncope, vel per carotidas arterias in cerebrum delata & constringit ventriculum & vapore repleto Apoplexiam inducit. Prope ædes nostras nuper projectus homo summo mane mortuus reperiebatur. Tota nocta in vicina taberna vino adusto se ingurgitaverat, ut excesserit mensurã duarum pottarum nostrarum, unde œnopolio egressus in platea statim mortuus concidit. Præter modum alius mihi notus urgentibus compotatoribus spiritum vini hauserat, cui flamma extra fauces tantum extabat ut loqui nesciret, quam tamen assumpta frigida extinxit. Anno præterito extra portam Hafniensem repertus rusticus vino adusto obrutus, ex cujus collo flamma emicuit. Assueti huic symptomati & potationi rustici id consilij solent dare, ut ebrij situm supinum eligant, ut pateat flammæ exitus ne suffocentur, imminere enim suffocationis periculum si proni flammam cohibeant. Cum in Galliis versarer Lugduni ad confluentem Araris &

Rhodani

Rhodani mulieris cujusdam cadaver sive nimio sp. Vini haustu, sive calidiore Theriaces aqua extincta, rationem mortis investigaturi Medici aparuerunt, & ingentem ex ventriculo flammam erumpentem observarunt, sed brevi interposita mora extinctam, narrante mihi *Renato Moræo* Medico Parisiense, Professore Regio meritissimo, & Magno amico nostro.

Historia LVII.

Fragorum vis Diaphoretica.

FRagariæ herbæ fructum non in deliciis tantum æstuanti stomacho cedere, sed & urinam potenti vi movere calculosque frangere sive per se comestum, sive in aquas resolutum cottidiana experientia didicimus, & testantur *Matthiolus*, *Dodonæus* & ferè omnes ad unum. Diaphoreticã verò fragorum virtutem ignorant quotquot de hac re consului. Tacent veteres in fructu hoc describendo valde parci, quia in Italia paucissimis notus fatente *Plinio* l. 21. c. 15. & de sola herba loquitur *Nicolaus Myrepsus* in Unguenti Martialis compositione sect. 3. cap. 46. & *Apulejus* l. de Virt. Herb. cap. 37. qui malè Comaron Græcis dici fragum notat, quum Κόμαρος *Dioscoridi* l. 1. cap. 176. sit arbor cotoneæ malo non dissimilis. Rectius μιμαίκυλον, ut *Plinius* l. 15. cap. 24. & ex Glossis *Clau. Salmasius*, nisi

de

de fructus similitudine sola loquatur, quo sensu unedones & comaram & memecylon Græci appellant eodem *Plinio* authore. Recentiorum nullus aliam fragis inesse potestatem sudores movendi observavit. Qui tamen in urbe nostra Vir & candore & eruditione conspicuus, Affinitatis vinculo mihi conjunctissimus, suo exemplo fragorum auxit usum. Tam enim largum illi sudorem provocare solent, ut quotiens sive in conviviis sive inter mensæ delicias hoc fructu vescatur, totiens rubentia exanthemata per universum corpus prorumpant, ut libentius grato alioquin fructu malit abstinere quam fœdatam maculis cutem experiri. Certè solent inter se commercium exercere Diuretica & Diaphoretica, quum in expellendo sero utraque occupentur. Nisi forsan singulari dissensu fraga aversetur laudatus Vir.

Historia LVIII.
Spectra Funesta.

De muliere lotrice Belia narrat *Diemerbroeckius* de Peste l. 4. hist. 6. prævidisse mortem uxoris Dimmeri de Raet, hoc pacto: Vidi, inquiebat, super tabulatum in domo illius ad portam magni cubiculi anterioris spiritum ejus sine capite, optimis vestibus indutum, & clavem portæ haud aliter manu tenentem quam si januã

aperire

aperire voluisset. Quam spirituum visionem sibi familiarem & molestissimam esse testabatur, quorumcunq; verò spiritus sine capite videbat, illi omnes intra paucos menses moriebantur. Sunt multi in patria nostra, qui morituros in spectro videre se sancte affirment, nulla alias superstitione irretiti. Familijs Principum quorundam Germaniæ familiare ferunt, instante funere, præcedere visionem spectri candido indusio velati. Pertinax paucis diebus antequam periret, fertur dixisse, se cum in vivariũ inspiceret, in aqua umbram conspexisse, quæ gladio stricto mortem minabatur, autore *Sabellico* l. 1. c. 4. P. Annio Tacito Imp. mortis præsagia fuere, quod jam mortuæ matris umbra ei apparuit, neq; sine horrore, diversa in specie locoq;, fratris manes, annotante post alios *Fulgoso* l. 1. c. 4. Ad fluvium arcis Finlandiæ, nova arx dictæ, spectra subinde apparere & imminente morte præfecti arcis vel militis alicujus citharædum per noctem in mediis undis ludentem conspici & audiri scribit *Olaus Magnus* l. 20. c. 19. 20. Domesticum exemplum verius narrabo, ne aliunde longius repetantur dubia. Nobilissima apud nos Virgo prævidere potest excusso semper somno, quotiescunque ex nobili illius familia, quocunq; locorum degat, aliquis est moriturus, cujus sexus vel mas vel femina, aliter enim apparet ipsi femina, aliter mas. Nunquam in hoc præsagio se falsam

præsente & exempla certi eventus memorante Magnifico Reg. Maj. Cancellario *D. Christiano Thomæo*, inclyto Heroe, nulliq; superstitioni aut mendacio favente, testata est, sed apparentibus visionibus angi se & turbari, & optare à naturali hac sibique quasi connata potestate liberari. De fide igitur dubitare non possumus, quia vigilantes & vident & narrant. Socrati olim suus genius seu Dæmon adfuit amicus & futuri præscius, comes vitæ inviduus, mentisq; illius hospes, de quo elegãter differunt *Apulejus* l. de DEO Socrat. *Max. Tyrius* Differt. Phil. 26. 27. & Platonici omnes, qui medium inter Deum & homines crediderunt, fusè refutati à *B. Augustino* l. 8. & l. 9. de Civ. Dei. Certè Christiani, præter Angelos, ductum scripturæ sacræ sequuti, ignorant alios seu genios seu dæmones Platonicos. De aliis præsagiis quæ vigilãtibus excidunt divina inspiratione *Iamblichus* de *Myst.* ait: *Animos verè præsagientes, afflatosque, & quum dormire videntur, non dormire; & quum vigilare, non propriè vigilare, neque more hominum sensibus uti.*

HISTORIA LIX:

Noxius prægnantibus annus.

D*Ionisius Halicarnasseus* l. 4. Hist. Rom. annotavit quadam peste duntaxat virgines & gravidis

gravidas correptas fuisse. Sunt quippe habitu teneriore & molliore ad resistendum veneno imbecilliores. Primis Anni 1654. mensibus satis calidis post æstatem æstuantem, Hafniæ plerisque prægnantibus malè cessit graviditas, calidioris cœli vitio. Petechiis enim plurimi occubuerunt, & gravidarum periculum sequuturam pestilentiam præsagiebat. Infectus certe & intemperie quacunque vitiatus aer à Matre attractus facillime tenellum fœtum vel in utero enecat suffocatq; vel, si robustior ut inquinatum sibiq; noxium aerem fugiat, ante statum tempus expellit. Hinc aliæ prægnantes ea hyeme primis mensibus abortiverunt, aliquæ postremis magno propriæ vitæ discrimine. Aliæ petechiis infectæ una cum fœtu exspirarunt, aliæ Epilepsia convulsæ, quæ sine intermissione miseras comprehendens paucarum horarum spacio è medio sustulit. Detestanda verò nonnullarum fuit religio, quod Matre petechiis vel Epilepsia extinctâ, fœtu in utero superstite & diutissimè se volutante, sectionem tamen Cæsaream intermiserint, adeoque rudibus adhuc & simplicibus animis abnegarunt lucem non à se datam, ut loquitur *Lactantius* l. de Ver. cult. c. 20.

HISTORIA LX.

Pestilentia magna 1654.

PEtechiales febres hyeme grassantes excepit sensim veris initio & tota æstate pestilentia ingens, quæ supra 9000. funera Hafniæ procuravit. Contagio ad nos disseminato per naves Holland. quæ Gedani frumento, cannabe, lino, &c. onustæ ob classis Anglicanæ metum se in portum nostrum receperant, ex nautis hospitio receptis aliquot extincti. Expositæ vestes in solatu tangentes pueros infecerunt, latiusque deinde serpente lue universam urbem occupavit, & vicinos pagos, quocunque vel vestes demortuorum vel chartæ vel alia essent delata. Pani quoque inhæsit venenum ex infectis ædibus exportato, vino adusto & similibus. Lactantes multæ infantibus contagium sugendum præbuerunt, ipsæ superstites. Multi iisdem vestimentis inclusi, quæ infecti exuerant, salvi evaserunt, alii audaciæ pœnas morte luebant. Notatum verò plures feminas juvenculas, gravidas, virgines, nuper nuptas, & pueros puerasque sublatas quam viros senesque plebejos plures, qui infectorum consortium non vitarunt, quam patricios. Paroxysmus magno rigore plerumq; invasit, sequuti dolores dorsi & capitis cum æstu magno,

magno; tum dolor cruris finiſtri; interdum hydatides in planta pedis, quibus recedentibus, veneno cor occupante, apparuere exanthemata lethalia; quibus erumpentibus ſedatus omnis dolor ad extremum ſpiritum, ut non pauci fuerint qui & promptè ambulaverint & ipſos ſe arca ferali incluſerint. Tertio hi ferè die moriebantur. Quantum ſuſpicor veneno narcotica vis inerat, quæ dolori s ſenſum ſopivit. Bubonibus verò in inguine apparentibus, aliqua ſubinde ſalutis affulſit ſpes, quæ decollavit, ſi modò prorumperent modò recederent, natura in protrudendo ſuccumbente. In pagis vicinis tanto correpti peſte delirio vexabantur, ut ipſos ſe aquis immerſerint & ſuffocaverint, imò laqueis & cultris vitæ ſibi filum abruperint. Pauci infectorũ convaluerunt, niſi exhibitis ſtatim ſine mora repetitiſq; Alexipharmacis ſudores confertim moventibus. Profuit plurimis Elixir Peſtilentiale Tychonis Brahæi quod in officinis noſtris in frequenti eſt uſu, præter alia à Medicis Hafnienſibus in publico conſilio præſcripta. Veſpillones fune pice illito, odoris gratia, ſe immunes conſervarunt.

HISTORIA *LXI.*

Vomitus ſanguinis lethalis.

STudioſus Hafnienſis temperamento melancholico præditus, poſt longas ſplenis invetera-

teratasque obstructiones, evomuit magnam sanguinis copiam, & per inferiora parem cruoris mensuram. Non fallax erat suspicio, reseratum esse vas breve, & per ventriculum exoneratum esse lienem. Consilio D. Wormii, quem ereptum nobis seriò deploramus, ad cohibendum fluxum sumpsit syrupum symphyti, quo sanguis fuit ex voto suppressus. Empiricus togatus majori salutis promisso, suasit oleum Hypericonis, quo assumpto fluxus sanguinis ἄνω & κάτω tam copiosus rediit, ut convelleretur. Suspectus enim in sanguinis fluxu oleorum est usus, quod orificia venarum reserent magis quam adstringant. Unde oleum amygdalarum omnibus vomiturientibus denegat *Aloys. Mundella* dial. 1. f. 4. Et in dysenteria clysteribus miscenda non esse olea *Rondeletius* docuit, aliique à cl. *Rhodio* in Analect. Septal. magno judicio collecti. Tandem igitur paucarum hebdomadum lapsu, recrudescente malo, viribus fractus, purpuream animam citissimè evomuit.

HISTORIA LXII.

Amuleta elusa.

AMuletorum grande apud plurimos est precium. Sæpius tamen fallunt, & superstitiosos eludunt. De characteribus loquor & literis, quæ ad sanitatem nihil conferunt, corporibus

ribus appensæ, nec ad fortunas. Ægritudine correptus Hafniæ mercator Islandicus præter Medicum expertum, furtim usus est opera Monachi Empirici. Gestabat ille secum ægros revisurus in pyxide globulos, quibus instructus omnia sibi ex sententia prospera ominabatur. Clanculum famulus mercatoris globulum surripuit, ut hujus amuleti experiretur certitudinem. Reversus fortè servus, negociis heri non rectè curatis, eodem die misere à Domino vapulabat, unde diris exsecratus est impostorem. Interrogatus quid causæ haberet maledicendi, globulum produxit, quo tutum se credebat. Contextus is erat ex bombyce, ubi charta convoluta latebat verbis S. Johannis signata: *In principio erat verbum.* Ita amuletum preciosum Clerici laicus elusit. Felicior tutiorque est illorum amuletorum usus, quæ vi sua naturali morbis resistunt. Externa licet, vaporum tamen specie & atomorum sive per respirationem sive patulos cutis poros attrahuntur. Ita radix Pœoniæ, ungula alcis, aliaque usu probata collo Epilepticorum appensa convulsiones sedant. Carpis manuum telæ aranearum, fuligo, succus citri, aceta varia, &c. applicita febrilem æstum solent extinguere. Fœtida hystericis prosunt. Pulvis bufonis ad urinæ incontinentiam laudatur, & mille alia sunt Amuleta quorum virtus passim consensu Medicorum feliciter innotuit.

HISTORIA LXIII.

Arthritis menstrua.

PRidie quam menses consueti fluant honestissimæ mulieri juvenculæ meæ fidei commissæ, post Chronicum splenis morbum, incredibiles artuum dolores excitantur, qui brachia primum invadunt inprimis sinistrum, per vices ad dextrum recurrentes, deinde pedes tanta occupant acerbitate, ut nulla dolorum intensissimorum sit intermissio. Infestant illi præsertim articulos omnes, chiragramque & podagram & gonagram specie simili mentiuntur. Exasperantur fomentis calidis, nec ullum levamen nisi à Theriacæ inunctione, quam pro doloribus sedandis peropportunam suasi. Mensibus verò supervenientibus, omnino, quasi illuc translata dolorum materia, cessant.

HISTORIA LXIV.

Scroti Tumor.

CUm Pastor in Vemminghoy spineam sepem transcenderet, à spinis sepis ita scrotum & testiculi læsi fuerunt, ut dolor ingens & inflammatio partes illas divexarit. Empirico-

rum

rum variis remediis omnia in pejus ruebant. Tertio inde anno ulterioris mali metu Chirurgum nostrum exercitatum Martinum Sixium advocat. Scrotum tum videbatur pellucidum, humidumque excedere caput. Loco scroti commodo corrosivum applicat, tum inductam escharam scalpello aperit, tandem aquæ flavæ croci instar ad ℔ vj effluxerunt. Frustulum scroti magnitudine Thaleri Imperialis excidit, ut ea parte nudi dependerent testiculi. Exacto trimestri tam benè restitutus est, ut liberis operam dare potuerit.

HISTORIA LXV.

Apostema spinæ.

GEneroso in patria Viro apostema ingens in spina dorsi obortum. Barbitonsor imperitus scalpello apostema aperuit supra affectam partem, quæ nisi compressa nihil liquoris emittebat, hinc stagnans materia ossa corrodendo fistulam spithamæ longitudine excitavit. Adhibiti postea in consilium D. *Nicolaus Fossius* Medicus in Scania felicissimus, & *Martinus Sixius* Chirurgus urbis dexterrimus, cauterium potentiale affecto loco imponunt. Apparuerunt post escharam ossa nigra, quibus abrasis, & nitori suo restitutis ossibus, vulnus curabatur Sarcoticis & Emplasticis. Residuum adhuc erat in vul-

nere punctulum aciculæ caput vix superans, ex quo sanguis liberalius fluxit, nec ante sextum diem sisti potuit, tumque inducta cute convaluit æger generosus.

HISTORIA LXVI.

Transplantatio Morborum.

MAgnum Naturæ pando mysterium. Transplantatio morborum, stupendum est remedium, quo ægritudines hujus vel illius transferuntur vel in animal brutum, vel in alium hominem, vel in rem inanimatam. Superstitiosa quidem plurimis videtur curatio, sed, si quidem naturalia adhibentur remedia nulla concurrente superstitione aut verbis aut characteribus, aut gestibus, quanquam non semper manca mortalium mens rationem assequatur, damnare non ausim quod experientia plures comprobarunt. In sacris vestigia quædam Transplantationis hujus observo, quanquam miraculosæ, de agno apud Moysen & porcis in Euangelio. Primus is modus est transplantationis morborum in animalia bruta. Nonnulli Phthisicos sanant, evacuato ex brachiis ægrorum sanguine, & gallo gallinaceo propinato. *Flud* Anglus podagrã cujusdã in cane familiari, quo cum dormiebat, fertur trãsplantasse, qua deinde torquebatur canis certis periodis, quemadmodum ante dominus. Sanguine

guine ex medianâ ægrotantis extracto, ovi gallinacei testæ artificiose iuclufo, & deinde ovo gallinæ per 14. dies fuppofito, poftmodum famelicæ exhibito; iterum, morbofque quofcunque ex Scorbuto, Cachexia, Hydrope orto abolere apud multos innotuit. Sunt apud nos qui experti fint, morbos plerofq; curari fi refcifi ungues ex manibus pedibufq; ægrorum alligentur pifci vivo & in mare demittatur pifcis. De hominibus alij fide digni obfervarunt, ftrumas aliofq; tumores aboleri, fi pars affecta affricetur ad manum cadaveris humani, ita enim fenfim evanefcere rumores prout fenfim putrefcit cadaver, quod tardius hyeme, æftate citius contingit. Frequĕtior tertia fpecies Transplantationis in res inanimas quafcunq;. In folia fæpe vetulæ Calabricæ morbos transferebant, ut mihi teftabantur. *P. Caftellus* Clariffimus Meffanæ Medicus expertus eft, hæmorrhoides fi tangantur ruberofa radice Chondrillæ, ficcari fi chondrilla ficcetur, corrumpi verò fi corrumpatur, quare fub camino exficcandam fuadet. Periam fanguine imbutam fub cineribus calidis pofitâ menfes fiftere fcribit *Panarolus* in fafcicul. Arcan. Duplex fcirrhi lienis curati fympatheticum remedium defcribit *Io. Bapt. Sitonus* Jatrofoph. Mifcell. tract. 29. Prius eft, fi trium vel quinque noctium urina ab ægro fchirrhum lienis patiente micta fingulis auroris cum fuffi-

ciente cineris communis quantitate commiſceatur, ſoliſque radiis ſiccandum quotidie exponatur totum mixtum illud ex urina & cinere, donec exſiccatione peracta tota maſſa igni domeſtico apponatur, & diſſolvi paulatim ex ſe permittatur, quia maſſæ illius diſſolutione perfecta diſſolutum eſſe volunt & ſcirrhum. Secundum autem ſit, ſi ex urina ſcirrhum patientis hominis phiala vitrea impleatur, ſtuppaque lini vel cannabis, aut communi papyro clauſa humi ſepeliatur ab homine jejuno, & ibi dimittatur quouſque tota abſumpta ſit urina, qui illa conſumpta urina conſumptum dicunt ſchirrhum. Generoſus quidā Vir in patria noſtra ad febrem aliud ſecretum mihi communicavit, quod ſuccedere in propria uxore expertus eſt. Ovum in urina ægræ inſtante paroxyſmo excreto ebulliat, donec omnis humiditas ſit abſumpta: Tum excorticatum ovum ſterquilinio immittatur, & quam citò à formicis conſumitur, tam promptè febris ceſſat. Lues Venerea & cancri perſanari dicuntur, ſi baltheus Mercurio illitus corporiq; applicitus profundè in terram demergatur. Ad quartanam alii hoc commendant: Ægri urina in ollā novā excipiatur, miſceaturque illi farina ex ſiligine & in pultem redigatur. Puls arbori ſeu ceraſo ſeu alij illinatur, ut avibus cedat in prædam, tantum enim quartanæ decedet quantum ex pulte aves comederint. Sunt, teſte

Scrodero,

Scrodero l. 5. Pharm. Med. Chy. class. 1. § 23. qui ad quartanũ capillos patientis cum aliis in corpore dispersis pilis permixto ovo imponũt, duriter coqunt & avibus deglutienda objiciunt, qua ratione quartanã curatum iri volunt. Lardo perfricatas verrucas, postea in terram defosso, evanuisse experta mihi mulier retulit. Idem sua experientia confirmat *Verulamius* Cent. Jo. Sylv. hist. 997. puer enim admodum in digito verrucam habuit, circa annum ætatis suæ decimum sextum cum Parisiis degeret, sensim in utraque manu subnascentibus pluribus, ad minimum centum mensis spacio. Angli Oratoris uxor, femina minime superstitiosa dixit quodã die, velle se quicquid verrucarum manus fœdabat, tollere. Post accepit lardi particulam, pelle non exutam, cujus pinguedine illevit omnes verrucas, & inter eas quæ pene ipsi eo usq; fuerat coæva. Clavo deinde affixam lardi particulam ad postem fenestræ cubiculi sui quod meridiem spectabat, soli exposuit putrefaciendam. Successus fuit, quod omnes verrucæ intre septẽ menses prorsus evanuerunt, etiam illa quæ reliquas ætate anteibat. Exemplum habet *Salmuth* Cent. 3. Obs. 34. intensissimi doloris brachij per transplantationem sublati. Corallos enim rubros cum foliis quercus contusos partique affectæ ad supputationem usque impositos, in foramen in radice quercus orientem versus spectantis

tis mane terebrâ factum immittebant, & cuneo ex eadem arbore obturabant. Dolor inde planè cessavit, & cum refoderetur amuletum extemplò cruciatus sæviores recurrebant. Ramum salicis dentibus scorbuticorum alij affricant, & fumo camini exponunt, ut cum rami exsiccatione sanentur dentes. Nihil tritius, quam fascias ægrorum patibulis suspendi, quod Trasplantationis beneficium est, si succedat. Hydropicos vesica bibula ægrotantis lotio repletâ in furno fumante aliquandiu suspensâ, & deinde effuso lotio, ac vesica in Cloacam conjecta, detumescere narrat *Io. Löselius* de podagr. Sect. 2. Membr. 2. Art. 2. Subs. 5. ubi & transplantatoriam artem Podagræ incipientis ira describit: Ægro pilos in utroque crure novacula demunt, & insimul ungues manuum pedumque stato tempore, vere scilicet, arboribus de integro succum recipientibus & quidem propridie ante novilunium, resecant, post terebrâ, in populo albâ, vel quercu virescente, foramine facto, ad medullosam usque arboris partem, unguium segmina & pilorum filamenta in locum excavatum, nullo segestri adhibito, transportant, foramine ligneolo, ex arboris cujusdam ramulo fabricato, accuratè & profundè clauso. Ligneoli propendens particula proximè arborem securi amputatur, & admoto fimo vaccino saucia ligni pars propediem optimè deligatur. Quod si trimestri

meſtri ſpacio malum podagricū haud recurrat, arborem magneticâ virtute efficaciſſimā arguit. Similis huic Tranſplantationi eſt balneum lactis, quo ſe non ita pridem Nobilis femina cimbrica immerſerat occulto morbo laborans, quod lac porcis exhibitum, omnes enecabat, ægra convaleſcente. Plura paſſim occurrunt hujus curationis exempla, quæ miraculis ſunt vicina, quia à communi ratione recedunt. Multi tamen in Natura ſunt effectus, quorum cauſas nemo aſſequitur, niſi qui fecit. Occultæ ſunt & magneticæ in mundo virtutes, quibus etiam diſſita invicem alunt commercium. Ita Unguento armario vulnera abſentia ſanantur, ſi cruoris tantū guttula ex vulnere telis vel linteis inſidiat. Et quæcunque ex corpore vivente prodeunt, longius quanquam ſeparentur, occulta ſympathia feruntur ad ſuam originem, & tacita attrahunt. Non negandum tamen ſæpe caſu ſucceſſiſſe in exemplis allatis felicem eventum, ſæpe nullum. Nos limites Naturæ non figimus, nec prorſus damnamus quæ imperita ratio non percipit, *quaſi verò menſuram ullius rei poſſit agere, qui ſui neſciat*, ut eleganter *Plinius* l. 2. c. 1.

HISTORIA LXVII.
Anatome Cachectici.

DN. Trenti Nobilis Patavini cadaver, me præſente, apertum fuit, qui diuturno morbo

Ca-

Cachectico ad hydropem vergere videbatur. De eo contulerant consilia Maximi Medici *Io. Dom. Sala* & *Benedictus Sylvaticus* Præceptores mei, quorum hic abscessum in hepate, ille in corde divinabat, quia plerumq; in lentibus hujusmodi morbis ad cachexiam vergentibus, cordis aliquis solet esse abscessus, & pulsus in hoc erat interceptus. Cor tamen in aperto cadavere nihil noxæ contraxerat. Hepar pallidum, quasi coctum, lien verò rubicundus sani hepatis instar. Pulmonum sinister inflammatus & ferè putridus.

HISTORIA LXVIII.

Anatome febris malignæ.

JOh. Jacobus Heilmannus Medicus & Chymicus Doctissimus, historiam retulit de quodam febre maligna apud Germanos laborante, cujus nasi extremitatem rubra quædam macula obsederat, symptomatis benignum quid portendentibus, nec cibi appetitu planè dejecto, unde certam recuperandæ salutis spem æger conceperat; Sed nox obitum præcedens sinistra portendebat, omnia quippe in deterius ruebãt, ignisque quidam internus viscera comburebat, cujus ardorem externō ac culinario igni nihil cedere ajebat, donec latius serpente veneno mi-

ferrimam vitam cum felici morte commutaret. Diffecto cadavere omnia viscera nigricantia erãt & sphacelata, quin & ipse ventriculus adeò computruerat, ut sine ruptura & læsione digitis attrectari nequiverit, quocunque enim digitorum attactu disrumpebatur, cavitasq; relinquebatur manifesta. Id ex Heilmanni relatione ad me perscripsit *Henricus à Moinichen*, rerum Medicarum & Anatomes peritus.

HISTORIA LXIX.

Cliteris osseus.

SPernendæ exilitatis in junioribus Clitoris conspicitur, nec multum auctior in adultis, sæpe tamen membri virilis æmulatur longitudinem. *Tulpius* notat in femina animi virilis dimidiatum digitum æquasse, ut se feminis aliis viri instar misceret. *Platerus* ad colli anserini magnitudinem excrevisse observavit. Venetiis scortum erat Italis quibusdam meis amicis satis notum & familiare, cujus clitoris osseus extans amasios in amplexu impediebat lædebatque ut sæpius inflammatione oborta Chirurgorum imploraverint auxilium, à multis tamen visitabatur ob formæ elegantiam haud cottidianam.

HISTO-

HISTORIA LXX.
Mulier splendens.

CUm in Italia, orbis Paradiso, versarer, Matronæ Veronensis summa cutis vel leviter tactâ scintillas manifestè ejaculabatur. Dignum curiosorum indagine spectaculum fideliter orbi publico scripto exposuit *Petrus à Castro* Medicus Veronensis eruditissimus, edito de Igne Lambente libello, quem in hujus historiæ filo pertexendo sequar. Illustrissima Domina Cassandra Buri, Ill. Jo. Francisci Rambaldi Patritij Veronensis uxor, ætatis consistentis, corporis habitu mediocri, universalis temperaturæ calidæ & humidæ, hepatis calidioris sicciorisque, adeoq; bilioso atroque sanguine abundantis ab innato fervore, adustione, ætate proportionata & animi mœrentis pathematis vehementibus procreato. Hanc Nobilem Matronam eo prærogativæ dignitatis & stupendæ Naturæ signo signavit Creator, ut quotiens leviter linteo corpus tetigerit, scintillæ ex artubus copiosè prosiliant cunctis domesticis conspicuæ, non secus ac si é silice excuterentur, comitatæ etiam stridore omnibus audito. Sæpe ducta manus per indusij manicam scintillas excipientem, observavit flammam caudato radio ad instar accensarum

ſarum exhalationum decurrentem, à qua ſæpe deluſæ ancillæ ignem ſe intra ſtragula lintea ingeſſiſſe per incuriam cum cubile hyemali tempore frigidiori de more calefacerent, quo tempore etiam copioſiores & clariores micant ſcintillæ, cum metu arbitrantur. Ignis antem iſte non niſi noctu aut obſcuro loco in morem luminum noſtrorum, cernebatur, nec extra ſe urebat, quamvis materia ſuggereretur, ad inflammationem promptiſſima, nec denique ut alij fulgores ad certi temporis menſuram deſinebat, ſed eadem lucentis facie adhuc effulgebat poſt meum ex Italia diſceſſum. Plura in hanc rem exempla l. 1. *de Luc. Anim.* c. 19. adduxi, cauſasque ſingulorum *Lib.3*. fuſius expoſui.

HISTORIA LXXI.

Impotentia ex Incantamento.

INcantamentis ad conjugium ineptos reddi novos nuptos vulgo notum. Ligationem ligulæ vocant, quam Striges creduntur nodo nectere nuptiarum die. Refert *Bodinus*, eſſe formas nodandæ ligulæ amplius quinquaginta, ſive ad virum conjugatum impediendum, ſive ad mulierem ſolam, plerumq; tamen virum illigari vix mulierem: Ligari aute poſſe in diem unum, in annum, in æternum, aut quantiſper duratura eſſet ligula, niſi ſolverentur. Antiquis notum

incantamentum & recentioribus. Amasis Ægypti Rex apud *Herodotum* vinctus fertur & impeditus ne rem haberet cum Laodice uxore sua. P. *Æmilius* in vit. Clotarij secundi testatur Concubinas Theodorici Regis iisdem ligamentis adversus Hermambergam esse usas. *Codronchius* l.23 de Venef.c.5.refert de juvene marito,quum diu rem cum puella habuisset, eamque deserere vellet, virilitatis damna meruisse ereptæ. Communicato cum vetula consilio, id remedij didicit,ut sive minis sive blandi alloquio & promissis,suspectam sibi puellam cogeret reddere amissum. Exsequutus consilium,cum promissis nullis persuadere puellam posset, arrepto fune non ante à suffocatione destitit, quam illa, immissa in loculos Viri manu, veneficium auferret. *Beverovicius* in Thes.Morb. c. 18. affirmat in Gallia esse frequentes ligationes, idque *Cl. Salmasium* variis exemplis confirmasse. Præsertim apud Santones & in Gasconia artificio isto inducitur sæpe languor tempore matrimonij, vocaturque Gasconibus *noüer l'eguillette.* Apud nos decurtatum cuidam sponso à sagis virile membrum, ut prorsus carere eo videretur. Alii Sponso viduo simile damnum die sponsaliorum minabatur ancilla, quæ spe matrimonii exciderat, edocta enim per vetulam sacro copulationis cœtui immiscuit,seramq;non constrictam in marsupio secum asportavit. Mox pastore verba copulato-

ria pronunciante feram constrinxit, virilitati sponsi nocitura. Re ab astantibus audita, advocato consilij authore, inflictaq; alapa ad hæmorrhagiam (ita enim vim omnem incantamentorum eludi credunt), compulerunt feram aperire, ut extra periculum sponsus esset. Aliis usitatus ramus quercinus ad rectum angulum sursum incurvatus, quem terræ lotio sponsi madidæ infigunt. *Fernelius* plenus fide, compertum sibi testatur l. 2. de Abd. Causis c. 16. magos, sagas, sorcilegas, incantamentis nonnullos ita vinxisse, ut cum sola uxore non concumberent: alios concubitus impotentes quasi exectos reddidisse, alios in corporis extenuationem viriumq; imbecillitatem cum lāguore summo traxisse, quos solæ quæ inflixerant, precibus & muneribus restituere possent. *Codronchius* l. 3. de venef. variis exemplis probat genitalia per veneficia posse decurtari, sed videri tantum, non reapse fieri. Certè revera fieri Sponsæ queruntur & experiuntur. Causa autem supranaturalis, à Dæmone DEI permissu inducta in generis humani ludibrium. Execrabile maleficium suo autore dignum, etsi quandoq; sine expressa conventione & societate cum Diabolo inita committatur, actionem nihilominus esse diabolicam & supplicio capitali dignam decernit *Io. Georg. Godelmannus* JC. l. 1. de Incant. c. 6. Mitior est *Verulamius* naturæ addictissimus, qui Cent. 10. Sylv.

Hist. 888. 959. si non excedit naturam, vim habere suspicatur ex imaginatione ligatis membrum virile. Putat verò illud ab incantatione alienum esse, quia non à certis tantum personis, quales incantatores, sed à quolibet in Gasconia fieri potest. In nodi solutione impium foret ad artes Diabolicas recurrere, quemadmodum Amasis carminibus solutus fuit, & *Paracelsus* monstrosis characteribus & barbaris nominibus in membrana nova scriptis amissas maritorum vires revocavit. Præstat in quibusdam sequi decretum *Hincmari* Rhemensis Archiepiscopi *Part. 2. Decret.* Caus. 32. quæst. 1. cap. 4. *Si per sortiarias, atque maleficas occulto, sed nunquam injusto Dei judicio permittente, & Diabolo præparante, concubitus non sequitur, hortandi sunt quibus ista eveniunt, ut corde contrito & spiritu humiliato Deo & sacerdoti de peccatis suis duram confessionem faciant, & profusis lacrymis &c. Deo satis faciant.* Possunt & addi naturæ haud adversa remedia, quibus ab incantamentis inductæ ægritudines debellantur, Deo contra naturæ hostem conatibus remediorum benignè aspirante. *Carichterus* hujusmodi incantationes curavit mingendo per scopas betulæ. Potum seu cerevisiam in quâ betula cocta, mirè depredicat Helmõtius de Lithias. c. 28. § 25. Sponsus enim quidam ligatus per menses quinq; ne sponsam suam attingeret, pedissequam interea imprægnavit. Postmodum, exortis inter desponsatos jurgiis,

jurgiis, dixit sponsa, se nefas cum pedissequa dissimulasse, ut exploraret, an frigidus, an verò maleficiatus esset; & quo titulo divortium tentaret. Tandem, soluta est ligationis incantatio per potum præfatæ cerevisiæ, repertusq; est maleficiatus, non autem frigidus. Remediis naturalibus veneficia percurari *Carichterus* c. 12. l. 2. docuit, & in puella expertus est *Henr. ab Heer* Obs. 8. Ex dente mortui suffumigium depellere sponsorum impotentiam ex ligamine Pædemontanus in memorabilibus annotavit. Fœtida enim his prosunt.

HISTORIA LXXII.

Tubercula in facie.

NObilis in Dania femina curæ Paternæ subjecta miro quodam implicabatur affectu. Nam per inordinata dierum intervalla erumpebant in cute corporis nodi parvi magniq; juglãdium instar, facies intumuit, præsertim oculi & collum, fuereq; nodi isti rubri. Causa videbatur suppressus mensium fluxus, quatuor subinde mensibus subsistens, nec satis bene lien & hepar calidum valebant. Secta illi fuit vena, postea Extracto Panchymagogo purgata, tum cucurbitulæ scarificatæ humeris genuq; applicatæ, & sanguis aqueus extractus. Ad temperandos calores internos Tabellis refrigerantibus usa, & ad

fluxum revocandum secta vena malleoli, propinata denique menstrua ciente potione *Quercetani*: post paulò subductæ ex facie maculæ & cum menstruo sanguine sanitas postliminio rediit.

HISTORIA LXXIII.

Error in Pleuritide.

CEnturio quidam Danus stipendium Serenissimi Regis merens, de punctura lateris molesta conqueritur. Advocatus barbitonsor colicam suspicatus exhibet purgantem medicinam, qua per biduum adeò concitata fuit alvus, ut tandem copiosus sanguis κάτω fluxerit, jamque vix spiritum trahens mutato consilio Medici operam implorat, qui diligentius singula expendens Pleuritide laborare videt monetque. Statim vena illi secta. Sequutum deinde per sputum pus laudabile. Inde sublevatus convaluit.

HISTORIA LXXIV.

Suspensum urinæ annulare.

CIvis Patavinus, qui in castris Venetis contra Pontificem militum cohorti præfuerat, febre maligna correptus urinam turbidam reddidit. Postridie cum summus Medicus *Io. Dom.*

Sala, quem Ducem sequebamur, advocaretur, urinam vidimus clariorem cum suspenso tamen satis copioso, sed in medio sui vacuo, unde annulare illi vocabatur. Hoc quidem etsi non satis salutare signum semper viderit, de ægri tamen salute non penitus desperabat, cum cicatrices post hesternam scarificationem nihil mali præ se ferrent, cum petechiæ circa lumbos purpureæ essent, cum denique auditus esset gravitas, natura scilicet critico motu ad organa auditus materiam malignam pellente. Nec fefellit augurium, brevi enim restitutus est. Digna extat in hanc rem observatio *C. Gemmæ* de Febr. Epid. Pestilent. hæmitritea 1574. grassante in fin. *Cosmocr.* l.2.p.235. Erat in plerisq; sedimentum urinæ in fundo subatrum, sursum livescens, ac ita sensim candidius atque tenuius. Quod autem vix unquam aliàs vidit, id erat: In ea crassitie sedimenti centrum se peregrinum ac diaphanon ostendebat, tanquam illic vacua sedes in circumferentiam amplam immunis à purulenta colluvie servaretur. Tales ubi prodiere plenissimè esse judicatos testatur, ac redivivos velut ab inferis resurrexisse. Factum id arbitratur ex fomite pestilenti jam separato penitus & per urinas excreto: Cum innati spiritus ea sit vis, ut in urinis (*Actuario* teste) aliquantisper commoratus, juxta ideam ejus potestatis, antipathiæ & sympathiæ quam in corpore semper obtinuit, etiam

tunc egressus obambulet, singulis partibus sua loca decernat, noxia quæq; & peregrina longius à se repellens, aut in circumferentiam trudat, aut medio quocunque spacio circumscribat.

HISTORIA LXXV.

Tophacea materia in colicis.

CRassa subinde & lapidosa materia intestinis impacta ita distendit membranosas illorum tunicas, ut dolores colici acerbissimi insurgant. Nec mirum colon distendere, quum plane iliacam passionem visa sit induxisse *N. Fontano* Resp. & Cur. Med. l. 1. pag. 84. *Hildano* Cent. 1. Obs. Chir. 51. alijsque. In dolore ventris observavit *Zacutus* l. 3. Prax. Adm. Obs. 129. calculum castaneæ & forma & magnitudine, intestino colo tenaciter adhærentem. *Platerus* l. 3. Obs. c. ult. vidit Præfectum quendam colicis cruciatibus diu vexatum, post clysmatum usum, casei concreti induratiq; magnam per alvum ejecisse copiam. Retulit mihi *Benedictus Sylvaticus* incomparabilis Medicus, matronam Forojuliacensem diu colico dolore intensissimo vexatam fuisse, qui nullis cessit medicamentis, antequam singulis vicibus materiam tophaceam & calculosam per alvum reddidisset.

HISTO-

HISTORIA LXXVI.

Pilosa capitis cutis vivo evulsa.

ORta Helsingoræ inter duos contentione à verbis ad verbera deventum est. Caput alterius alter & capillos involat, manuque tam firmiter aparehendit capillitium, ut, quod mirandum, subjecta cutis cum pilis ex cranio divulsa sit. Duo miranda occurrunt, quod pili tam altis radicibus hæserint, ut à cute evelli nequiverint, deinde quod cutis capitis cranio firmiter non adhæserit. Æquali præterea figura cutis recessit, quasi arte separata, venis suis eleganter distincta. Curatus fuit à Chirurgo feliciter, & inducta à natura nova cute pili novi increverunt. Pilosa verò cutis pars, quæ fuerat evulsa, à coriario præparata in rei fidem servabatur, transijtque ad *Petrum Ionam Charisium* Cognatum meum honorandum, qui & videndam exhibuit, & figuram hanc amice concessit.

HISTORIA LXXVII.

Ptyalismus singularis.

VIr in Dania Nobilissimus, cætera vegetus sanusque molestum patitur symptoma. Quo

tiescunque cibum sumit, sequitur sputatio satis larga. Toto die reliquo nihil exspuit, neque ante cibum neq; post, etiamsi liberalius quandoq; amicorum in gratiam invitatus potet. At quam primum cibi orditur masticationem, copiosè sputat, ut crederes sputi torrentem ante pedes stagnare, cessat idem ptyalismus finito prandio, nec aliud incommodum experitur. Impeditior videtur hujus ptyalismi causa. Si ex ventriculo, vel vomitus comitaretur, vel extra prandii tempus recurreret. At ventriculus cibum & avidè appetit, & rectè concoquit. Quin impediretur potius salivatio pondere deprimentis cibi. Igitur ex capite hujus humiditatis fons accersendus, quanquam de catarrhis non valdè conqueratur. Glandulæ oris & palatum spongiosum sputa imbibunt excernuntque in primis quando inter masticandum commoventur. Non tamen tument glandulæ, nec inter loquendum provocatur sputum. Ductus salivales observarunt in glandulis oris *Whartonus* & *Glissonius* l. de Anat. Heb. c. 45. qui per glandulas salivam tenuem, pellucidam & aquosam in os effundunt. Forsan illi à motu excitati largius & hauriunt salivam & reddunt.

HISTO-

Historia LXXVIII.

De Unguium resectione.

IN navi olim ungues abscindere non licebat, neque in nundinis, teste *Plinio* l. 28. c. 2. *Ungues resecari nundinis Romanis tacenti atque à digito indice, multorum pecuniæ religiosum est*. Resegmina verò unguium ad artes curiosas servabant. Ita *Apulejus* l. 1. Apolog. ex Lælio:

Philtra omnia undique irruunt,
Antipathes illud quærito,
Trochus, pili, ungues, teniæ,
Radiculæ, herbæ, surculi,
Sauri, illices bicodulæ, Hin:
Nientium dulcedines.

Quemadmodum ex vett. libris restituit *Cl. Salmasius* in Solinum. *Plinius* l. 28. c. 7. ad febres ex præscripto muliercularum commendat resegmina unguium cerâ permista. Vulgus superstitione tali imbutum, abscissos ungues diligenter igni tradunt, ne ad magicas artes intercipiantur. Alii sibi servant, secumq; in sepulchrum recondunt, sperantes exinde buccinâ fieri ab Angelis extremo die. Ita varia de unguibus viguit omni ævo superstitio, quanquam excrementis meritò annumerentur. Olim auro inducebantur.

Vir-

Virgil l.8. Æneid. *Præfulgens unguibus aureis.* Unde *Statius* eleganter *Auro mansueverat ungues.* Mumiam Egyptiacam vidi unguibus inauratis. Tanta denique unguium resecandorum cura erat, ut tonsoribus id concrediderint. Testis est *Martialis* l. 3. Epigr. 73. de quo loco videndi *Scaliger* Not. ad Manilium l. 5. *Modius* Epist. 109. Nov. antiq. Lect. Quousque resecari à digitis debeant definivit *Hippocrates* l. de Med. Officin. ut neque longiores neque breviores sint digitorum extremis verticibus. Ea enim, quorum gratiâ facti sunt tunc maximè præstant, quando commoderatam habent magnitudinem, Galen. l. 1. Us. Part. c. 7. Cavendum autem sedulò ne in liberali unguium resectione, læsis tendinum nervorumque extremis, periculum haud spernendum superveniat. Novi quendam gangræna pedis sublatum, quam ex vitiosa unguis sectione concitaverat.

HISTORIA LXXIX.

Cingulum Mercuriale.

Cinguli Mercurialis usus frequentior, multis est justis de causis suspectus: Inimicus enim plerisque est Mercurius, inprimis imbecillioribus & convulsionibus obnoxiis. Scabiosis tamen & cutis prurigine laborantibus audacter Empirici applicant, quos eos nomine casti-

gat

gat *Mindererus* l. Thren. Med. c. 14. quod tetrum illud argenti vivi virus in corpus gestantis ejaculentur. *P. Hechstetterus* Dec. 3. Obs. Med. cas. 7. damna recenset illorum qui cingulo isto ad scabiem temere nisi sunt. Seni enim scabioso ex cingulo infectum palatum, gurgulio & fauces exulceratæ, salivatio copiosa, anhelitus teter, dentes vacillabant, gingivæ tumidæ, tensio in nervis & tendinibus colli, masticatio impedita, deglutitio depravata, appetitus prostratus, febris lenta hectica, lipothymiæ multæ, & denique mors. Puellam quoq; cacochymicam scabiosam vidit ex tali inunctione repercussa scabie, totam intumuisse cum spiritu sublimi. Nempe lethale est cingulum, si imbecilliores vel morbo vel ætate, & cacochymici eo cingantur. Unde sedulo cavendum ne, neglectis præmittendis, impura corpora & enervia inungantur. Rusticus Mathias in urbe nostra satis notus cingulo mercuriali diverso successu sanitati quosdam restituit feliciter, qui pura corpora crebro medicamentorum â Medicis præscriptorū usu obtinuerant, quosdā exitio eripere non potuit cacochymicos. Filiam civis Hafniensis totius capitis scabie diu deturpatam, cingulo persanavit, ut & conjugio apta redderetur & sana deinceps vixerit. *Ballonius* l. 2 Ephem. p. 264. refert in æstiva constitutione Anni 1579 dum quædam tempestas sæviret, pustularum & eruptionum ferinarū ferax, obortos esse

esse tumores & dolores in variolis, quæ pueros necabant corruptis solidis partibus. Itaq; in eam itum esse sententiam, ut Emplastrum Vigonis cum Mercurio applicaretur, aliis litum levem ex hydrargyro fieri, idq; remedii mirum in modum profecisse. Eodem cingulo integræ sanitati restituit idem Empiricus rusticus Generosissimum Virum *Georgium Rosæcranzium*, qui ex male curata fractura pedis per plusculos annos intolerabiles dolores expertus fuerat, & inveterata ulcuscula in parte affecta. Quod si aliud in vita nihil præclari gessit Rusticus, in eo tamen laudem & acclamationem omnium bonorum meruit, quod tantum Virum omnibus dilectum neminiq; molestum, florem nobilitatis & Musarũ delicium , consuetis torminibus subtraxerit. Mercurius verò huic ægro obesse non potuit, quia multis Medicorum remediis propriaq; rerum Medicarum peritia, ita purgatum præparatumq; fuerat corpus, ut præter salivationẽ nullum incommodũ ex usu hujus cinguli senserit. Mercurii cingulum alii ita conficiunt. Mercuriũ saliva aut sævo extinctum albumine ovi excipiunt, illinuntq, supra gossypium, quod in cinguli modum consuunt. Noster verò Mercurium cũ oleo juniperino subigit & in massã compingit, corioq; in cinguli formã refecto illinit, quo mediũ corpus constringit, cõmendatq; ad omnes affectus malignos, cancros, ulcera mali moris & antiqua &c. Ita audaces sæpe fortuna juvat.

HISTORIA LXXX.

Anatome Epilepticæ.

PErraram obſervationem ex Anatome Erneſtæ Naſſovici Comitis filiæ annum vix egreſſæ, nuper per literas mihi tranſmiſit Vir Clariſſimus *D. Ioh. Daniel Horſtius* Archiater Darmſtadianus meritiſſimus, quam hic publico non invidebo: Hujus Parentes Illuſtriſſimi 23. Junij 1655. per literas Wiſtadio conquerebantur, quod nudius tertius filiola euſarca, florida & bene habens, enormi diarrhæa correpta fuerit, altero die aliqua ex parte ſopita, ſequenti verò cum vomitibus recurrente largius. Advectus 24. Junii deprehendit duritiem in dextro hypochondrio, calorem totius p. n. ſitim, pervigilias, capitis dolores, alvi excrementa alba, virium proſtrationem, quibus 26. Junij ſuperveniens Epilepſia finem vitæ impoſuit. Poſt obitum tota dorſi regio fuit nigra à nucha ad finem ſpinæ dorſi. Ventriculus verò in ſiniſtra parte nigricans & quaſi putrefactus, viridi humore refertus: Hepar ſcirrhoſum decem unciarum. Veſicula bilis grandior, & nigra bile inflata. Inteſtinum rectum quoque nigricans. Renes unciarum quatuor, benè diſpoſiti & ſani, ut & Lien, Veſica, ipſumque Cor unciæ unius & dimidiæ. Cerebrum verò librarum quinque copioſa

piosa aqua circum fusum erat, aderant ipsi pustulæ aqua plenæ. Parentes defunctæ venenum fuisse propinatum suscipabantur, quibus manum nondum dare potuit, cum Cordis constitutio reperta fuerit integra. Nec vidit cur decedendum sit à causis manifestis & cognitis ad obscuras & dubias. Sufficiens enim videtur scirrhus hepatis ad virium debilitatem, bilis quoq; copia in ventriculo retenta & coacervata ad exulcerationem & exstinctionem calidi nativi, atque exsiccationem humoris radicalis. Ipsa symptomata indicabant præsentiam bilis & motionem ejus, quæ tanto deterior, quanto magis recedit à naturali colore, uti fuit reperta prasina, æruginosa, & atra: Cujus exhalationes & vapores convulsiones, phlogoses & alia procurarunt. Sententiam rogatus à Cl. Viro, existimavi malignæ febris fuisse symptomata: Ideam enim morbi quarto die ad exitium properantis id indicare, & quod ferè in malignis febribus ventriculus, intestina, &c. observentur læsa & inflammata, sicut variis exemplis alibi demonstravi. Orta autem febris à bile, eaq; à naturali statu declinante, propter hepatis scirrhum sine dubio connatum, quo transcolatorium ejus munus fuit interceptum. Epilepsam verò a bile suscitari *Averrhoës* comprobat, & à maligna venenataq; qualitate *Fernelius*. Frequens sanè id symptoma febribus malignis, præsertim in tenere ætate.

Hi-

HISTORIA LXXXI.
Anatome Hydropici.

NEpos Georgij Illustrissimi Hassiæ Principis Hydrope 21. Iunij 1657. vix annum natus decessit. In examine viscerum *Cl. Horstius* antea laudatus sequentia notavit, sicut ad me amica manu perscripsit. Cutis circa regionem ventriculi, umbilici & inguinum, maculis atro purpureis instar ecchymomatum picta erat. Ex abdomine per sectionem umbilici leniter factam, humores serosi, biliosi, lutescentes & fœtidi, instar aquæ per canaliculum ductæ ad libras medicinales XV. prosiliebant. Quibus subductis & aperto abdomine omentum penitus putrefactum notabatur, intestina cum ventriculo aliquo modo inflata, Pancreas verò ita consumptum, ut ejus nullum ferè vestigium animadvertere liceret. Venæ Meseraicæ glutinosa materia refertæ. Lien monstrosus tribus appendicibus instructus, sinistroque Reni arctissimè annatus, ut sine sectione digitis avelli non posset. Renes ipsi satis grandes. Hepar sanguineo colore suo amisso, cineritium ferè, & qualis in cocto aliàs notatur, habebat, incisumque copiosum serum, & copiosius quam Lien stillabat. In Hepate autem & Liene foveæ aqua plenæ apparebant. Bilis in vesicula aureo colore coruscabat. Pericardium ejusdem coloris & fæ-

toris aqua distentum erat, cui cor innatabat. Ipsum Cor plane exsuccum ne guttulam quidem sanguinis intra se continebat, quod in aliis etiam observabatur: Nusquam enim sanguis notari poterat etiam in venæ cavæ & arteriæ magnæ incisione: Sed tantum aqua loturæ carnis non absimilis. Pulmones flaccidi & ex una parte purulenti.

HISTORIA LXXXII.

Febris in sene Nonagenario.

AUreum dictum est *Cælij Aureliani* l. 1. Acut. c. 3. *Illud in ægritudine semper magis afficit, quod à natura plurimum recesserit.* Quo spectat & oraculum *Hippocraticum* sect. 2. Aph. 34. minus ægrotare periculosè, quorum ætati familiaris morbus est. Magnam certe causarum vim indicant isti morbi, qui in contrarium temperamentum incidunt, ut febris calida in ætate senili per se frigida. Si tamen ætas grandæva nativo robore se defendat, nonnunquam vim rerum naturæ adversarum eludit. Ita Avus meus maternus *D. Thomas Finckius* emeritus Academiæ nostræ senior, annum agens tertium supra nonagesimum ad actiones animales naturalesq; præter ætatis privilegium promptus & expeditus, æstate calida Anni 1653. in febrem Tertianam intermittentem felici eventu incidit, quæ invadebat cum sternutatione, quasi ex

ex capite catarrhoso febrilis materia motus principium faceret. Naturæ autem in senili corpore tantum fuit robur, ut quotidie alvus aliquoties lubrica, aliàs satis contumax & adstricta, secesserit sive expultricis beneficio, sive irritantis bilis in febre abundantis excretione. Toto morbi decursu somnus facilis frequensque, à quo multum sublevatus senex; tandemque sudore spontaneo soluta febris; Interea & calculus præter exspectationem cum lotio prodijt pisi magnitudine inæqualis, cujus per universam vitam nullum unquam indicium observaverat; Exinde sanus salvusque Venerandus senex superstes vixit, ad annum 1656. quo febre iterum correptus prostratis viribus & aucto catarrho suffocativo, ætatis Anno 96. satur vitæ & gloriæ placidè exspiravit.

Historia LXXXIII.

Hydrops Vetulæ.

Dissecabatur me præsente in Nosocomio Leidensi corpus vetulæ Annos 70. natæ, quam aqua inter cutem jugulaverat. Magna copia aquæ flavescentis ex abdomine intra peritonæum ejecta est. Hepar non tam putridum, sicut aliàs notatum, neque scirrhosum, sed parenchymate flaccido. Lien à naturali quoque non multum recesserat, minor tamen, forsan ætate contractus.

Omentum ferè consumptum. Existimabat igitur sector Chirurgus, præsentibus *D. Screvelio* nobisque Hydropem istum ob defectum potius nativi caloris in corpore senili inductum, quam à læsione vel hepatis vel lienis vel aliorum viscerum.

HISTORIA LXXXIV.

Abscessus fracturæ salutaris.

FRacturis omnibus affluxus sanguinis & ichoris permolestus solet accidere, qui & partem in tumorem elevat & ossis consolidationem impedit. Inprimis fracturis id evenit prope articulos, qui & suum nativum ichorem libenter subministrant & ex toto corpore refundunt attractum. Unde periculosæ sunt fracturæ ossium articulis vicinæ, & sanitatem diutius protrahunt, sæpeque obrutæ copia humiditatum extinctoque calore circa articulos exili, sphácelum ossi cariemve & gangrænam minantur, nisi alio divertatur evacueturque affluens materia sive Medici consilio sive Naturæ providentia. Natura ipsa quid hic subinde moliatur, exemplo luculento illustrabo. Vir Religiosissimus & quavis sanitate dignissimus, *D. Ioh. Suaningius, Selandiæ Episcopus*, propre urbem nostram rheda vectus, eandem saltu egressurus pedem dextrum ad terram fortius illidens fregit per transversum utrumque pedis

os tibiam fibulamque prope articulum circa malleolum, perforataque cute in malleolo interno ingens vulnus à tibia exeunte inflictum, ut miratus sim, ob viciniam articuli fracturam potius, quam luxationem sequutam. Periculosissima fractura statim per Chirurgum nostrum Sixium deligata, ossibus fractis repositis, & applicatis quæ & ossa arctè suo loco continerent & supervenientia symptomata impedirent. Fenestratæ verò fasciæ & splenia facta, ut sæpius vulnus detergi & curari posset, immoto pede sibique relictis fasciis & spleniis ad maturiorem ossis consolidationem. Nulla insequuta alia symptomata propter summam costantis ægri quietem & dolorum patientem animum verè masculum, nisi quod copioso ichore madens vulnus infecerit fascias, ut sæpius solutis fasciis & spleniis commovere pedem fuerit necesse, difficiliusque eadem deligatio successerit propter articuli viciniam, qui vincula difficilius arcta admisit. Dum ter quaterque inter spem metumque anxij deligationibus studemus, ossiumque fractorum dislocationem & incurvi pedis situm metuimus, & impedimenta curationis ex affluxu ichoris copiosi detestamur, ecce Natura per μετάστασιν quarto decimo exacto die à vulnere divertit materiam vulneri ossibusque obfuturam. Apostema enim circa spinam tibiæ infra genu exortum, latius infra angusto canaliculo ad vulnus ferè protensum, quo in supre-

ſma parte, maturationis ſignis comparentibus, ſcalpello apertum, puris ſanguinei ingens effluxit copia, cottidieque ad plures hebdomadas proceſſit. Dictum verò factum vulnus fracturæ exſiccari viſum, nec ichoris vel tantillum fundere, unde rarioribus ligaturis quietiora oſſa citius per callum ſolidata, & inducta vulneri cicatrix. Apoſtema denique poſtquam ſatis & ſanguinis & puris profudiſſet, ſenſim canale ſecundum ſpinæ longitudinem, concidente & curato, prorſus perſanatum fuit.

HISTORIA LXXXV.

Pes abſciſſus.

SCriba ruſticanus cum anno præterito Norvvagiam ſilvis aſperrimisque collibus & montibus horridam equo circumiret, procul Bergis lapſu graviore fracturam tibiæ ſiniſtræ paſſus, dolores ſenſit graviſſimos. Vicini Ruſtici hominem miſerum ſuo hoſpitio exceperunt, & pedem fractum ſine extenſione inſtrumento ligneo excavato firmiter incluſerunt, ſummaque cum diligentia oleo ex cineribus (quod ipſi ruſtici parant) inunxerunt. Hunc in modum lecto affixus inter ruſticos annum complevit, vaniſque illorum pollicitationibus deluſus, tandem rogatu fratris ſui maxima cum difficultate ex ſeptentrione Bergas delatus fuit. Ad Conſilium vocatus *Ioh. Frid. Treublerus*

blerus Medicus eruditus, amicus meus, qui hæc ad me transmisit, deprehendit os tibiæ cum fibula esse fractum quinque digitorum latitudine supra malleolum, ita ut pars tibiæ inferior fractæ cum parte superiori callo ad latus firmissimè connexa fuerit latitudine trium digitorum, fibula autem fracta inferior nusquam firmata in musculis oberraret, ut moto pede exactè sentiri posset. Ob callum firmiorem, extensionem nullam fieri prædixit, at rogatu amicorum instrumentum efformavit, quo utrumque os in diversa trahebatur, sed frustraneo conatu, cum cutis sola eo usque extenderetur ut jam disrumpi videretur, illa præsertim in parte, cui extuberantia ossis superioris fracti adnectebatur. Ideoq; & hoc in loco & alibi vulnus metuendum esse adstantibus monstravit, jussitque ut Chirurgi instrumentum remitterent, quia nec æger amplius perferre posset. Inflammatio statim oborta, cui sedandæ externa applicabantur, & ad doloris mitigationem interna propinabantur. Igitur abscissionem pedis suasit *Treublerus*, ut ad officium èlecto rediret. Sed æger acerbius credens mutilari quam extingui, maluit, persuasus quorundam agyrtarum blanditiis, ut instar ossis fracti jamque in suum locum repositi pars deligaretur fortioribus adstingentibus atq; Emplastro catagmatico, quod absq; ulla ratione aut consensu Medici, approbarunt Chirurgi, unde dolores ferè intolerabiles cum tu-

more novo surrexere. Quibus nihil proficientibus, sero æger à doloris acerbitate & longo decubitu ferè insanus, tibiæ magis amissionem optabat, quam cruciatus diuturniores. Die itaque V. Mart. Anno 1655. summo favente DEO, horâ 9. antemeridiana præsentibus tribus Chirurgis urbis primariis & Medico *Treublero* operatio commissa est Chirurgo juniori peritissimo *Heinrico Eckhofio*, qui carne prius ad os incisa, nudatum os feliciter abscidit. Peractis deinde peragendis, dissecti membri cutem cum musculis aperuit *Treublerus* calli formam lustraturus: Ossa tibiæ fractæ tanta firmitudine connexa erant, ut parvo cultello dissolvere nequiverit, ossiculum autem acutissimum Lit. A. in figura subjecta notatum cuticulâ adhærebat tenuissimâ ossi inferiori. Fibulæ ossa fracta nullo modo conjungebantur, id quod ex commotione persentiebatur antequam essent recisa. Inferior pars ossis tibiæ, ubi quædam cavitas conspiciebatur sub Lit. B. nigricabat & sphacelum minabatur. Optimè inde convaluit æger, & artificioso pede amissi damnum compensat.

HISTORIA LXXXVI.

Maxilla superior semper immobilis.

MAxilla superior omnibus animalibus est immobilis, quia articulatione caret, cranioque per

per ſolas ſuturas connectitur. In homine uſus id exigebat & cranij magnitudo. Præterea ſtabilis eſt ad faciei decus & venuſtatem, atque oculorum commoditatem, quemadmodum commentatur *Cl. Riolanus Comm.* de Off. c. 10. quippe ſi motum habuiſſet, oculis majore circulo inſpecturis, & naribus odores excipientibus magno fuiſſet impedimento, & ſua continua agitatione vicinum cerebrum perpetuo agitatum plurimum offendiſſet. Ciborum quoque duriorum contritionem exquiſitam impediviſſet, ut exemplo illuſtrat Vir laudatus: Nam ut in molendinis ad comminuendum triticum lapis unus immobilis perſiſtit, ſupra quem alter celeri circumactione movetur, ſimili modo ciborum contritio in homine perficitur. Diverſum in Crocodilo annotat *Ariſtoteles* li. 3. Hiſt. Anim. c. 7. qui inferiore maxilla immobili, ſuperiorem moveri ſcripſit. Hunc ducem omnes ſequuti de Crocodilo, Pſittaco, Phœnicoptero idem prodiderunt. Sed crocodilo preſſius inſpecto aberraſſe omnes à vero experiemur. Crocodilos in Muſæo meo domi ſervo ſuſpenſos tam mares quam feminas, in quibus quidem prima fronte maxilla ſuperior acuminata moveri videtur, ſed non proprio motu. Siquidem enim & minor eſt & capiti arctius cohæret, capitis motum ſponte ſua ſequitur, nec moveri poteſt capite immoto. Similia patiuntur vipera, Pſittacus, Phœnicopterus, quorum roſtra-

ta maxilla cum capite commovetur. Teſtabatur mihi *Io. Veſlingius* Anatomicus illuſtris amicus olim meus,in Ægypto pluſculos Crocodilos à ſe eſſe diſſectos, accurateque ſeparata cute à cranio & maxilla, nullas articulationes obſervatas in maxilla ſuperiore, unde nec moveri poſſe ſolam, ſed ad totius capitis motum, quia & oculos surſum moveat: Inferiorem maxillam exiguam habere articulationem, ut parum moveri poſſit & manifeſto motu non indigeat, quia terræ vicina. In penu ſummi Pontificis Romæ caput magnitudinis giganteæ vidit *Columbus* l. 15. de Rar. in Anat. in quo maxilla inferior capiti adeò connata & conjuncta erat, ut omni motu prorſus caruerit, atque in vivente non carere non potuerit. In quo monſtro quomodo ad maſticandos cibos maxillæ motum reciprocare potuerint, fateor me non intelligere.

HISTORIA LXXXVII.

Corij humani Uſus & præparatio.

CElebres ſunt corij humani præparati in medicina uſus. Cingula enim inde conficiuntur & lora, quibus per medium diſcinctæ puerperæ feliciter fœtum enituntur. Hyſtericas quoque paſſiones ſeu uteri adſcenſum corij humani cingulum comprimit, quod non ſemel expertus ſum, & apud non paucas Hyſtericas iſto vinculo gra-

tiam merui. In spasmis manuum pedumque ex eodem corio auxilium sæpe petitur. Chirotecas inde factas ariduras & contracturas sanare, refert *Io. Schroderus* l. 5. Pharm. class. 1. Circa carpum cingulum ex corio humano, matronæ convulsionibus brachij sinistri correptæ post inunctionem applicuit cum successu *Hildanus* Cent. 3. Obs. 9. In Viro sexagenario aulico Epilepsiæ paroxysmum sedatum esse corio humano, quo collum cinxerat, meminit *Becherus* l. 2. Microc. Med. c. 1. Siquidem igitur à multis usu exigente corium humanum expetitur, & coriarios subactarios difficiles sæpe experimur nauseabundos ad cadaveris humani tactum, modum præparandi subjungam, ad cujus normam Ministri Anatomici mihi solent cutem humanam in Theatro nostro præparare. Separata de corpore cutis, omni pinguedine quoad fieri potest detersa, immergenda est fecibus cerevisiæ, furfuræ siliginis & fermento temperatis. Calidæ huic mixturæ mergatur cutis, & manibus diligenter agitetur alternis horis, ut facilius vis ad corij intima penetret. Quatuor diebus clauso vase digeratur, ut quotidie aliquotiens mixtura caleat, & cutis manibus subigatur, tumque, epidermide abscedente candicabit. Deinde aliud lixivium præparetur ex aqua simplici, tribus quatuorve manipulis furfuris siliginei, manipulo fermenti, tribus manipulis salis optimi, & libra aluminis triti, quæ invicem

benè

benè miſceantur, & calefiant, tepidiſque immittatur cutis & manibus, ut ante, ſubigatur denuò. Per diem & noctem in iſto lixivio remaneat, deinde abluatur, expurgetur, & ſiccetur ſive ſolis radiis ſive igne lento, & manibus dilatetur extendaturque, ne corrugatione nimia durior aſperiorque evadat.

HISTORIA LXXXVIII.

Pinguedo exſuperans in puella.

PRoximis nundinis Falcoburgenſibus inter alia ludicra publicè ſpectanda proponebatur puella quædam decennis in Brabantia nata Anno 1644. parentibus, ut ferebant, parvæ ſtaturæ & rei. Hujus puellæ abdomen à mammis ad talos uſque ſe produxerat. Iacebat enim puella, quia impeditior erat inceſſus, ventre proprio tecta tanquam tomento ſuperſtrato, qui tumidus circa umbilici inprimis regionem ita ſe inflaverat, ut altè elevatâ undique cute cavitatem ſatis capacem ad umbilicum demitteret, in qua tanquam in crumena ſervabat quicquid pecuniæ à ſpectatoribus collegerat. Interdum præmiolo aliquo invitata ventrem ad inſtar tympani pulſabat cantillans ſimul quid ſubrauca voce. Tympanitem eſſe crederes: Sed facies optimè colorata, nec inficeto tinctæ rubore genæ, omniaque boni habi-

tus indicia aliud videntur ſuadere. Pronunciatum fuit à Medicis qui ante hac eam viderant, tumorem hunc puram eſſe pinguedinem, naturæ luſu in abdomine exuberantem, & ab utero tractam, cibo enim utitur & potu quam parciſſimè. Ipſa cum mole hac corporis 200. libras pendet undecimum jam ingreſſa annum, juſtâ alioquin pro ætate ſtaturâ. Donaverat illam Cæſar torque aurea quum Viennæ degeret. Hæc ea fide refero, quæ & vidit & ad me Leidâ perſcripſit eruditus *Petrus Schumacherus* noſter, amicus dilectus, in ſpem patriæ feliciter ſurgens.

HISTORIA LXXXIX.

Aquæ in Variolis uſus.

AD exitum decurrente & defervente æſtate Anni 1655. paſſim in urbe noſtra variolæ graſſabantur, multoſque tenerioris ætatis, ſed ſine funeribus, infeſtabant. Erant quippe boni moris. Conſueta remediorum genera noſtris fuere exhibita. Infectæ & eodem tempore variolis mulieres binæ Groenlandicæ, quæ poſt obitum tertiæ apud nos ſupererant, inſuetæ hunc morbum pati. Quibus quum varia potus genera tam ad provocandas variolas, quam ſedandum caloris æſtum aliis proficua offerentur, omnia recuſabant, ne coctam quidem aquam admiſſuræ, ſed ſignis datis frigidiſſimam ex fontibus tam

avidè

avidè expetebant, ut si denegaretur, moriendum sibi significarent. Concessa tandem illis frigida, convaluerunt.

HISTORIA XC.

Menstrua ultra 50. annum fluentia.

RArò quinquagesimum annum fluxus in feminis menstruus excedit, nisi copia sanguinis abundet. Ita observavit *Hildanus* Cent. 2. & 4. mulieribus quibusdam ad septuagesimum annum & amplius perstitisse. Monstrosum est, quod *Saxonia* Part. 3. Prax. c. 23. de moniale refert quæ vixit ad 103. annum cum menstrua purgatione. Illustris in Dania Matrona quinquagesimo secundo ætatis anno, quum antea substitissent ordinati fluxus, ter quaterve eosdem est passa, sed magna difficultate revertentes, quæ optimo corporis habitu prædita & eleganti, sanguine copioso vegeta, sana postea vixit. In sexagenaria femina Veronensi, postquam lege naturæ ante annos sexdecim menstruæ purgationes cessassent, anno demum 1655. cursum suum, consuetum velut olim repetierunt, prodeunte sanguine florido optimæ notæ, sed post aliquot menses stillicidium ac tandem suppressio, eademque mala insequuta, quæ mensium obstructiones concitare solent. Curata tamen à *Petro de Castro* Medico eruditissimo, præsente *D. Mich. Lysero*, amicis meis, sensimque revocatis mensibus, melius habuit.

Historia XCI.

Novennis puella menstruata.

MEnstrua purgatio ex naturæ prescripto primum ferè erumpit circa ætatis annū quartumdecimum: Paucis citius teste *Ægineta* l. 3. c. 60. Novi tamen puellam annos novem natam, in urbe nostra cætera macilentam & colore faciei pallido, cui menses fluere cæperunt, sive quod uteri cervicisve vasa sanguine serioso aperiantur, sive quod nativa constitutione ampliora sint, sive denique quod sanguinis copia, etiam in macilentis subinde abundans, vasa uterina distendat impleatque. Vidit *Sennertus* l. 4. Prax. part. 2. sect. 2. c. 1. quibus undecimo anno fluxerunt menses, easque plerunque salaces esse, & brevioris vitæ. Novit *Hercules Saxonia*, Part. 3. Præl. Pract. c. 23. puellam cui menses quinto anno apparuerunt, & ordinatim singulis mensibus modice prodibant, plures quoque quæ decimo anno liberalius purgabantur. Supra fidem est filia tabellarij apud *Tulpium* fide dignissimum l. 3. Obs. cap. 36. cui à quarto in octavum ætatis annum periodicè fluxerunt menstrua, quibus suppressis omnis sanguis in caput convertebatur.

HISTORIA XCII.

Pustulæ in ventriculo.

POst febrem ardentem passus est in Galliis recidivam Polonus, notus mihi & amicus. Medici de recidiva consulti variis potionibus medicatis, venæsectione & aliis remediis frustra contra prostratas vi morbi vires luctabantur, nam potiones omnes vel respuebat, vel assumptas revomebat, unde fatis cessit. In aperto cadavere nullæ partes ullum vitium visæ sunt contraxisse, sed omnes nativa temperie sanæ comparebant. In ipso tamen ventriculo pustulæ quam plurimæ hinc inde conspiciebantur, quas à calore malignæ febris fuisse elevatas, tanto minus dubito, quod semper fere ventriculus in hujusmodi febribus vel escharam vel inflammationem vel alia hujus census contrahat.

HISTORIA XCIII.

Dubium purgantium tempus.

PUrgantium medicamentorum tempus ancipiti augurio & incerto captatur. Ignorat sæpe Medicus naturæ motum & orgasmum, unde, quando sua sponte ad humorum noxiorum expul-

pulsionem accingitur, inscio Medico, si purgans medicina propinetur, etiam lenioris ordinis, in vitæ periculum præcipitatur æger. Decoctum foliorum senæ cum prunis perbenignum, assumpsit ad præservationem solitam honestissima urbis nostræ matrona, unde tantum alvi successit profluvium, ut in Dysenteriam tum populariter grassantem degeneraverit, quæ post tridui intervallum ægram jugulavit. Quanquam fortassis profluvium istud supervenisset nullo assumto medicamento, potest tamen congesta materia ad expulsionem concitari & cogi, quum vel levissimum accesserit irritamentum. Alia curæ meæ concredita recidivam Tertianæ passa, post tertium paroxysmum intermittente die circa vesperam pilulas assumpsit, propter vires infirmiores, valdè lenes, in quibus vix grana quatuor purgantium numerabantur. Sequuta tamen statim ventris murmura post parcam cœnam, vomitus biliosus, tormina & cruciatus, dejectiones crebræ biliosæ & serosæ, virium projectio, pulsus ferè intermittens. Inter has sollicitudines nox tota transacta. Mane bis alvus adhuc lubrica solvebatur. Exinde exhibita Theriaca intus forisque, & vino paulatim imminuti dolores, alvusque suppressa. Postridie solita paroxysmi hora tertia post meridiana, mitior calor advenit & blanda febris, quippe naturæ potius quam medicamenti conatu bilis copia evacuata febrem ferè extinxit.

HISTORIA XCIV.
Sanguis in corpore concretus.

SAnguis in quodam ſubjecto Lucæ tam erat à Melancholico humore exſiccatus, ut omnes venæ cordis & ipſum cor à Chirurgo perito diſſecari nequiverint, turgidæ tamen venæ Meſeraicæ cernebantur ſanguine atro & lutulento. Notat *Fernelius* l. 6. Phyſ. c. 7. ex rara quadam & abdita morbi cauſa quempiam poſt diuturnum languorem de vita exijſſe, cui ſanguis univerſus in venis concreverat, adeò ut demum coralij modo fruticans illinc eximeretur. *Platerus* l. 2. Obſ. p. m. 505. relatione *Chiffletij* habuit, venas meſeraicas in Hectica ſanguine craſſo & concreto tumuiſſe, qui è majoribus venis coralli inſtar nigri cohærens extrahebatur. Audivit *Ballonius* l. 2. Epid. p. m. 242. D. du Meſnil ſanguinem nigrum ita concreviſſe in jugularibus venis, ut carbones illic impacti crederentur.

HISTORIA XCV.
Vomica Pulmonum.

JUvenis Patavinus ab inflicto in dorſo vulnere, ad pulmones uſque penetrante, febre acuta corripiebatur, cum dolore pungitivo & reſpiracionis difficultate, ut pro Pleuritico æſtimaretur,

poſtri-

postridie, inflammatis pulmonum membranis, de dolore conquerebatur ad posticam cicatricem pertingente. Hinc *Io. Dom. Sala*, Præceptor in Praxi meus, aliud quod Pleuritidem subesse suspicatus, cicatricem locumque affectum tetigit, adhibitaque in consilium ratione, pronunciavit febrem illam subortam esse ex Vomica in pulmonibus ob puris collectionem genita. Nec fefellit augurium Viri sagacissimi, oportunis enim adhibitis remediis omne pus per sputum eductum fuit, ægerque convaluit optimè.

Historia XCVI.
Inflammatio intestinorum.

CAdaver Monachi S. Justinæ Patavii me præsente apertum olim fuit, de quo suspicio inter Fratres oborta erat à corrivalibus oblati veneni, quippe clystere communi injecto, statim de dolore coli & partium vicinarum conquestus, ardorem acutissimum ad extremum usque spiritum sustinuit. Sed in aperto cadavere nullum veneni comparuit vestigium. Hepar verò inflammatum visebatur gangrænaque correptum, quæ labes & vicina intestina infecerat & dextrum hypochondrium nigerrimo colore totum occuparat. Ventriculus sanus, nisi ea parte qua hepar respiciebat, ubi eodem modo nigricabat. Vetus igitur Monacho malum videbatur, quod

per clysterem injectum inflammatis intestinis irritatum, citam mortem attulit.

HISTORIA XCVI.

Vermes dentium.

VErmes in dentibus reperiri generariq; quemadmodum in aliis corporis partibus quamplurimis, dolorum acutissimorum indicia persuadent. Vermem sesquiarticulum longum, crassitie vermiculum in caseis nasci solitum crassiusculum referentem, ex dente nobilis virginis aulicæ extractum vidit *Salmuth* Cent. 3. Obs. 32. Bis idem expertus est Chirurgus noster peritissimus Martinus Sixius: Semel in filia Consulis Hafniensis, cujus excavatum dentem & à se extractum, ferro medium disrupit, ut de rei veritate certius constaret. Repertus in illo vermis vivus similis prorsus vermi qui nuces solet erodere, albo corpore, capite rubro. Similem in alio observavit. Ad enecandos expellendosque ex dentibus vermes alii commendant suffitum ex Hyoscyamo, alii aquam in fenestris collectam, alii axungiam campanarũ, mihi secretum suum communicavit Rusticus Empiricus, sevum nempe cervinum linteo exceptum & ad ignem liquatum imbibitumque, & gingivis impositum, quo & vermes attrahi expertus est, & dolores mitigari. Certè inter lumbricos enecantia, Cornu Cervi primum locum solet in Pharmacopoliis obtinere.

HISTO-

Historia XCVII.

De Betonica experimentum.


INter herbas cephalicas Betonicam primo ferè loco numerari, apud Botanicos eſt in confeſſo. Ex illa Emplaſtra conficiuntur omnibus capitis vulneribus proficua, opiata, decocta &c. Solo Betonicæ emplaſtro cranii vulnera & contuſiones curatas memini, ut alibi monui. *Antonio Muſa* autore, herba betonica contuſa, & ſuper capitis ictum impoſita, vulnus mira celeritate conglutinat & ſanat, ejuſque poteſtas tantam fertur habere utilitatem, ut oſſa quoque capitis fracta vi ſua extrahat. Caput recentem Betonicam petere, ſingulari experimento Hafniæ comprobatum. In horto ſuo ſuburbano inſtructiſſimo Eſaias Fleiſcher Pharmacopola urbis primarius, inter alia ſimplicia officinæ neceſſaria, colebat Betonicam ſuo pulviſculo contentam. Hinc quum operarii hortulani ſeu ῥιζοτόμοι evellerent in uſum officinæ, omnes velut ebrii titubarunt; increpatique ab hero, quod potu largiore operas neglexiſſent, ſanctè affirmabant etiam teſtibus advocatis, nihil ſe liquoris aſſumpſiſſe, ſed in extractione iſtius herbæ capite fuiſſe turbatos. Ob figuram capiti cerebroque æmulam nux juglans capitis quoq; affectibus confert. Singulare inde ad dolores capitis remediũ nuper in Anglia detectũ,

Primo vere antequam folia in nuce juglande prorumpant, terram circa radices fodiunt, & ex radicibus incisis emanantem liquorem extrahunt, cujus aliquot guttulas propinant magno cum successu in doloribus capitis.

HISTORIA XCVIII.

Venæ ex pulmonibus rejectæ.

VEnarum ex pulmonibus rejectarum sine parenchymate, exempla habent *Tulpius* l. 2. Obs. c. 12. 13. *Zacutus* l. 1. Prax. adm. obs. 101. Similem ramum venæ arteriosæ à phtisico rejectum Parenchymate suo ita nudatum ac si industrius Anatomicus separasset, Rostochio 1649. D. *Stephanus Scultetus*, ad D. *Simonem Paulli* transmisit, cujus Viri clarissimi mihique amicissimi dono ramum cum surculis possideo, rudi tipo hic lectorum in gratiam expressum.



Plures quidem ramuli, ſeu venulæ capillares aderant, ſed quia diſruptæ fuerunt, pictor neglexit. Poſtea idem phtiſicus plures alios ramulos absque ſputo ſanguinis fertur rejeciſſe, & aliquandiu ſuperviviſſe.

HISTORIA XCIX.

Anatome feminæ diarrhæa defunctæ.

CAtharina Mathelings, Femina Leodiensis XV. annos nata, post Hecticam diarrheæ vehementiâ sublata ad interiorum examen ansam dedit. Viscera omnia flaccida, præcipue cor & pulmo. In dextro pulmonis lobo vomica, intra pericardium verò, ubi membranæ mediastini cordis basi annectuntur, glandula Thymi nucis juglandis magnitudine solida densaque latebat. Reliquæ in mesenterio glandulæ majores solito, aliæ ateromatum materia plenæ, aliæ pure concreto tam candicante, quam ad nigrorem vergente. Plurima aqua pericardio inerat, cordi paucus sanguis. Renes flaccidi, ureteris utriusque extra renem exortus amplior, nihil tamen sabulosi in renibus aut vesica deprehendebatur. Omentum omni pinguedine expoliatum. Hepar tabidum. Uterus minimus & durus. Uterque testiculus gracilis, tuba exilis, vasa colli & fundi tenuia quia necdum mensirum fluxum passa fuerat.

HISTORIA C.

Pullities in sterquilinio.

IN Ægypto familiarem pullos in fornacibus excludendi modum Magnus Hetruriæ Dux imita-

imitatur, & Divus Christianus IV. Rex Daniæ Augustissimus in arcem Friderice burgum feliciter invexit, exstructis fornacibus elegantissimis, musæo singulari, & scamnis, in quibus nuper exclusi pulli ambulare possunt antequam in peregrinum aërem transferantur. Idem artificium in quovis calore succedit moderato, siquidem gallina incubans præter calorem externum ovo nihil imprimit satis fecundo, sicut nec uterus fœtui. In quovis igitur sterquilinio hybernis etiam mensibus pulli ex ovis excluduntur, quod in Palatio Magnifici Cancellarij Regij Dn. Christiani Thomæi, Patroni nostri, aliquoties cum successu fuit tentatum. Citius hic quam sub gallina excluduntur, & cavendum sedulò ne nimius sterquilinij calor ova comburat, quod sæpe contigit, ideò foramina patula in superna parte sterquilinij relinquenda, ut calor temperetur.

THOMÆ BARTHOLINI

HISTORIARUM ANATOMICARUM Rariorum

CENTURIA IV.

HISTORIA I.

Anatome Civettæ.

EX Africa cum navibus nostris Hafniam inter alias merces preciosas 1655. allatæ sunt utriusque sexus Hyæræ odoriferæ sex, nam reliquæ in itinere mortuæ sunt. Inter superstites una sola femella erat, quia in precio majori habentur mares propter Zibethi copiam, quo abundant. Mas & femina in arce Regia servantur, reliquas precio 600 Joachimicorum emit Samuel Mejerus insignis in urbe nostra Pharmacopola, ad Zibethici liquoris collectionem. Vescuntur cruda carne & oriza, nihil bibunt, & in locis calidis semper suis caveis inclusæ servantur, quia frigus collectioni Zibethi obstat. Semel in hebdomade colligitur odoratus liquor, & à perito extrahitur cochleare, apprensa hinc cauda, illinc fune irretito capite ne mordax animal ad sui tute-

lam

Iam insurgat. Forte ex quatuor coëmptis una Hyæna feriis Natalitiis moriebatur, quæ pica laborare videbatur: præter morem enim & modum plus vorabat quam reliquæ tres, & quæ cæteræ respuebant ipsa avidè arripiebat, minus tamen Zibethici liquoris excernebat, & odore vilius, furiis denique acta hinc inde in cavea magno impetu ferebatur antequam concideret. Concessit mihi demortuam laudatus Mejerus, quam in Theatro Anatomico plurimis spectatoribus dissectam demonstravi, ut & differentiam interiorum viscerum scrutarer, & vasculum Zibethicum accuratius examinarem. Plures quidem & externam figurã animalis & liquoris condicionem adumbrarunt, ut *Bellonius*, *Gesnerus*, *Aldrovandus &c.* pauci tamen interiora penetrarunt. Solus P. *Castellus* Messanensis Medicus, amicus meus, cum Romæ esset Anatomen Hyænæ odoriferæ celebravit, & publico postea scripto Messanæ edidit, sed nec omnia egregius ille Anatomicus assequutus est. Nam Hyæna, quam dissecuit, Hydrope interempta, unde putrida ibi omnia non sinebant quicquam notare præter vasculum, quod tamen nec ita accuratè aut descripsit aut depinxit, quin aliquid nostræ industriæ reliquerit. Quid observaverim in Hyæna nostra, brevibus signabo.

Figuram externam rectè assequutus est *Gesnerus* ex Cajo, & P. *Castellus* in icone annexa. Cutis illi maculosa pilisque obsita, qui nigras hinc inde

lineas

lineas efficiunt inter alios pilos flavescentes. Caput ferè lupinum, curtæ aures, dentes huic obtusi, sive senio sive arte detruncati. Collum crassum & oblongum, musculis valdè carnosis robustum, quorum duo longius intra thoracem supra spinam protenduntur ad cordis usque regionem. Orbita oculi superiore parte versus frontem patula. Musculus temporalis crassus totum utrinque caput superius occupat, nec alii in capite musculi manifesti. Per medium cranium incedit processus osseus loco suturæ sagittalis, instar cristæ, dividens cranium in duas partes. In dorso cutis setas habet longiores, nigras, durasque, quas iracundum animal erigit.

Dissecto abdomine, musculis nempe & peritonæo, omentum occurrebat ubique duplex, sed tenue retis instar, hinc inde pinguedine pauca conspersum, quod à fundo ventriculi cui arctè cohæret, protendebatur supra omnia intestina ad pubem usque, ubi se circumvolvebat ad spinam, & intestina velut in marsupio comprehendebat. Involvebat quoque lienem octo digitos transversos longum, duos pollices latum, cætera sanum, nisi quod exiguum apostema sanguineum pisi magnitudine in extima sui parte splen monstraret. Hepar magnum floridumque diaphragmati non solum consueto ligamento suspensorio alligatum, sed ipso parenchymate cohærens. Lobis septem distinguebatur. Vesicula bilis parum

parum liquoris continebat fubobfcuri. Venæ cavæ defcendentis truncus ex hepate ftatim renes contingebat, ut vix tantum fpacii pro ligatura fupereſſet. Circa portæ ingreſſum obfervati funt ductus Lymphatici plurimis ramufculis confpicui, & fupra portam verfus mefenterium tres rami tumidiufculi. In mefenterio nullæ lacteæ manifeftæ, nam ventriculus plenus adhuc erat cibo copiofo inconcocto & craffo. Inteftina fcatebant excrementis nigricantibus, & ipfum cœcum articuli pollicis magnitudinem æquans eodẽ excremento plenum vifebatur. Nulla valvula in colo, præter circulum duriorem.

In Thorace mediaftinum valdè tenue & foraminibus hinc inde retis in morem perforatum. Pericardium paucam aquam continebat, quia calidum eft animal. Cor ipfum juftæ magnitudinis & interna & externa facie nihil ab homine diverfum monftrabat. Dextrum ventriculum & auriculam dextram & ingredientem cavam, magna fanguinis grumofi nigrique copia diftenderat, ut infigniter tumerent. Hinc non aliam mortis caufam in animali fano invenimus, quam fuffocationem. Sanguis in corde contentus nullum odorem fpirabat. Pulmones utrinque longi, dexter tribus, finifter duobus lobis diftinctus. Arctè per membranã mediaftini cohærebant œfophago & arteriæ magnæ defcendenti. Forfan hinc ingluvies, à pulmonibus continuè irritatis, commoto

moto & aperto œſophago. Thymus nullus, fruſtulo pinguedinis illius vices ſupplente.

Exemptis inteſtinis, renes, vaſa ſpermatica & vaſculum Zibethicum aggreſſus ſum. Renum leviter inciſa tunica ſponte ſeparabatur, ſubjectumque parenchyma foraminulis ſeu foveis externè hinc inde diſtinctum: an id naturale omnibus, vel huic proprium, affirmare non poſſum. Siniſter obſcuriori colore fuſcus. In ureteribus & vaſis ſpermaticis diligenter ſeparatis nihil notatu dignum. Situs inferiorum hic erat. Veſica parva lotium continebat ſolito loco repoſita, tum penis eminebat extrema parte oſſeus cum præputio ſicut in canibus. Urethra inde longo tractu deſcendebat ad teſtes infra pendulos oblongos inſtar nucleorum dactyli. Inter penem verò & teſtes collocatum eſt vaſculum Zibethi, membranis urethræ alligatum. Vaſculum externa forma vulvæ aſſimilatur, per medium fiſſum & piloſum, tres digitos tranſverſos longum, totidemque latum, quod per mediam rimam nonnihil diductum, in utroque latere foraminulum inſtar oris carpionis oſtentat lanuginoſum. Ut interiores cavitates paterent, per mediam rimam diſſecui & in duas partes diviſi ad urethram uſque, quæ per medium infernè tranſibat & à vaſculo facilè ſeparabatur. Hinc ad vaſculi utramque partem diviſam converſo, primum circa marginem vaſculi diviſi puncta candicantia occurrebant, deinde fo-

ra-

ramine ante dicto latius reciso interior cavitas in conspectum veniebat. Rotunda illa, amygdalum capiens, lanuginosa, membranulis subtilibus binis instar valvularum distincta. An ista membranula ex pilis Zibetho impraegnatis emerserit, quia facilè filorum instar discerpebatur, non ausim determinare. In limbo hujus cavitatis & in reliquo vasculi corpore glandulæ comparebant quam plurimæ, modò majores, modò minores sua cavitate singulari præditæ, quasi vesiculæ Zibethicæ, quibus apertis liquor odoratus olei instar candicans effluxit, odore fragrantissimo spirans, qui chartæ exceptus candicabat; post aliquot deinde dies mutato in flavum colore consistentia firmabatur. Externam quoque vasculi solidioris partem dissecui, vesiculasque copiosè ibidem dispersas simili liquore inveni refertas. Infra testiculos prope anum ad finem urethræ, duæ glandulæ sitæ sunt rotundæ nucis minoris magnitudine, quæ intus cavæ sperma effundebant, quas vesiculas credidi esse seminales, supra verò infra collum vesicæ minores aliæ glandulæ collocabantur, quas pro Prostatis habui.

Curiosa industria his visis occupabar in inquirendis viis per quas liquorem vesiculæ Zibethicæ attraherent. Separatis urethra & testiculis à vasculo, singulisque examinatis nullum inveni commercium nisi per membranas, quibus invicem omnia junguntur, sed facilè separabiles. Nul-

la

la alia vaſa patentia aderant, nec ulla in toto corpore particula odorem iſtum ſpirabat, præter ſolum vaſculum. An igitur ex veſiculis ſeminariis? Vicinæ quidem ſunt, nec liquor diverſus, ſi odorem excipias. An ex vaſis præparantibus? Sed hæc ſolito more teſticulis & Epididymidibus inſeruntur. Non ex alvi excrementis, quia urethra intercedit inter rectum inteſtinum & vaſculum: adhæc fœtent illa, non hæc; & hæc colore candicant, nigricant illa. Via igitur incerta eſt. Certum tamen videtur in veſiculis Zibethicis confici iſtum liquorem odoratum, ſicut à teſtibus ſemen, à mammis lac, occulta quadam poteſtate & vaſculi odorati proprietate. In quibuſdam veſiculis internis vaſculi, loco liquoris, erat rubra materia inſtar concreti ſanguinis, & friabilis. Unde ſuſpicio nata ex ſanguine confici Zibethum, qui propter affectum quemcunque veſicularum iſtarum, in Zibethicum liquorem non potuit converti. Nam hæc hyæna nec tanto Zibetho abundarat, Mejeri confeſſione, nec tam fragrantem odorem, ut alia congeneris ſpeciei animalia, emiſerat. Ex veſiculis turgidis tranſudat liquor in cavitatem & lanugini adhæret, forſan ne citius excidat & ut diutius perficiatur, exinde ſtatis vicibus vel ſponte affrictu animalis excernitur, vel à miniſtris cochleari apto eximitur. Ex inodoro ſanguine odoratum liquorem in vaſculo generari mirum videri

non

non debet, quia & flores fructusque suaveolentes ex succo terræ plantæque inodoro emergunt, in parte propria plantæ arborisque alterato.

Ex oculo lapidem denique erui, de quo *Plinius* l. 37. c. 10. & *Albertus Magnus* referunt, linguæ hominis subditum futura prædicere. Nihil verò est, nisi humor crystallinus elegans & pellucidus, durusque. Sinister major dextro erat. Sed futura prædicere falsum, nisi augur accesserit. Ego auguria non novi, nec cœlum aruspicum curo, ut loquitur *Petronius*.

FIGURARUM EXPLICATIO.

Fig. I. *Anteriorem vasculi Zibethici faciem externam exhibet, cujus singulæ particulæ literis signatæ hunc habent significatum.*

aa. *Renes, dexter & sinister.*

b. *Emulgens vena, cui arteria subjicitur.*

cc. *Vena cava descendens.*

dd. *Arteria magna descendens.*

eeeeee. *Ureteres utrinque ex renibus enati & in vesicam inserti.*

ffffff. *Vasa spermatica præparantia, ex truncis venæ & arteriæ orta & in Epididymides desinentia.*

g. *Vesica sursum elevata, ut conspici possit.*

h. *Penis, cujus suprema pars acuminata ossea.*

ii. *Vasa deferentia.*

kk. *Testiculi bini oblongi.*
ll. *Epididymides.*
mm. *Vasculi Zibethici labia lanuginosa.*
nn. *Vasculi Zibethici corpus cute pilosa nudatum.*
oo. *Rima vasculi Zibethici.*
pp. *Musculi duo dilatantes & aperientes vasculum Zibethicum.*
qq. *Musculi duo alij, forsan constringentes.*

Fig. II. *Vasculum integrum diductis labiis ostenditur.*
aa. *Foramen oblongum utrinque ad cavitates internas vergens, per quod extrahitur cochleari Zibeticus liquor.*
bbbbbb. *Rugæ externæ.*
cc. *Labia pilosa reflexa.*
d. *Fissuræ seu rimæ latior pars superior.*
e. *Rimæ angustior pars inferna.*

Fig. III. *Vasculum monstrat per medium discissum, & ad latera reflexum.*
a. *Foramen ad cavitatem internam tendens.*
b. *Uretbra sub vasculo descendens.*
c. *Ossea penis extremitas.*
dd. *Labia pilosa vasculi.*
eeee. *Corpuscula alba glandulosa.*

Fig. IV. *Vasculi dextram partem aperit, labiis per medium discissis.*
a. *Cavitas interna pilosa, in qua Zibethum colligitur quando eximitur.*
bb. *Labia pilosa.*

cccccc.	*Vesiculæ glandulosæ, in quibus Zibethicus liquor generatur & continetur.*
dd.	*Corpus vasculi nudum candicans.*
Fig. V.	*Posterior vasculi Zibethici facies visitur.*
a.	*Penis osseus.*
b.	*Vrethra.*
cc.	*Membrana urethræ subtensa conjungens vasculum Zibethicum.*
dd.	*Prostatæ glandulæ.*
e.	*Vesica urinaria ad latus reflexa.*
fff.	*Vasculi Zibethici corpus externum.*
ggg.	*Glandulosum Zibethi corpus rescissum, multis hinc inde vesiculis refertum, liquorem Zibethicum profundens.*
h.	*Vesicula conspectior & major Zibethi.*
ii.	*Vesiculæ seminales spermate plenæ & cavitate præditæ.*
kk.	*Testiculi.*
ll.	*Vasculi Zibethici pars lanuginosa anterior.*

HISTORIA II.

Prolapsus uteri cum urinæ incontinentia.

UXor statuarij de urinæ ardore ejusque incontinentia apud me conqueritur. Uterus prolapsus modò recedit, modò relabitur. A difficili partu vitium contraxit, quo quinque diebus misere fuit torta. Jam verò uterus prolapsus vesicæ orificium in transitu comprimens, facultati

retentrici remoram videtur addidiſſe. Vnde uterum prius reponendum ſuo loco ſuaſi, quam lotij haberetur ratio. Advocata obſtetrice clyſter injectus, uteri pars prominula foliis lauri, & baccis, mentaſtro, artemiſia in vino adſtingente coctis elota, pulvisque adſtringens eidem adſperſus, mox digito obſtetricis immiſſo, qui axungia gallinæ erat inunctus, repoſitus uterus, cui extracto peſſarium ex fætidis ſubſtitui, emplaſtrum matricale perinæo impoſui, cucurbitulam magnam ſiccam ſupra umbilicum duasque in iliis affigi curavi, & odorata naribus admovi. Hoc ſitu immotam per aliquot dies demiſi, & reverſus prodeuntem uterum non obſervavi. Deinde dum lotij gratia cautè progredior, viſa eſt urina in marſupio, quod appenſum in lecto habebat, rubicunda, ſed cum ſedimento putrido, fœtente, albo, & diſrupto. Nata inde ſuſpicio ulcus eſſe in veſica ex 4. *Aph.* 81. pusque prodiens vellicare ſpincterem, veſicæ muſculum, ad excretionem continuam: Nam in difficili partu inflammatio veſicæ meatui impreſſa fuit. Expurgato pure & deterſo ulcere ad meliorem ſtatum ſanitas diu deſiderata tandem rediit.

HISTORIA III.
Convulsiones Paralyticæ.

AFfinis eſt convulſioni Paralyſis, tam materiæ ratione, quam nervorum affectorum. Vnde ſibi ſubinde invicem ſuccedunt, ſubinde quoque ſe preſſo pede comitantur. Viro Clariſſimo, amico noſtro, circa veſperam ex linguæ Paralyſi ſublata loquendi poteſtas. Poſtero die ſiniſtrum latus reſolutum, & os adeò firmiter conſtrictum fuit, ut nulla vi aperiri poſſet, dextrum verò latus convellebatur. Nempe materia maligna, cujus indicia perechiæ apparentes prodiderunt, ſiniſtram principii ſpinalis partem prorſus obſtruens, ſenſum motumque illius lateris abolevit, in dextram verò partem non ita copioſe irruens membranas vellicando, quia nervum totum replere non potuit, ad convulſiones irritavit. Honeſta alia Matrona, cui curandæ præfui, durante ſpaſmo dextri cruris & pedis, in eadem parte Paralyſi tentabatur per æſtatis decurſum, ita tamen ut ſenſus in pede remanſerit, motu ſublato.

HISTORIA IV.
Unicornu Groenlandicum.

CElebris eſt de Unicornu apud veteres fama. Animal credebant terreſtre quadrupes ſolo

cornu in fronte donatum, miramque cornu ad venena pellenda virtutem decantarunt, unde in tanto precio apud Magnates posteriores habitum, ut Romæ precio nonaginta millium coronatorum aliquando venerit, & pro thesauris hactenus sit æstimatum. Nostra vero memoria precium Unicornu imminutum, postquam & frequentiore mercatorum commercio copiosius advectum, & ipsum animal detectum fuit. Mercatores enim nostri in Islandiam & Groenlandiam magno studio navigantes invenerunt quod in India & Oriente toto veteres tantopere deprædicarunt, Unicornu nempe marinum, seu Balænam, Narvhal Islandis dictam à cadaveribus quibus vesci solet, quod in superiore maxilla dentem unicum habet longum crassumq; recta protensum, gyris intortum & striatis flexibus ex majori radice ad summum acumen desinentibus. Hic est dens, quem pro Unicornu vero antea omnes venditarunt, & ex animali terrestri deciduum crediderunt. Affirmare non dubito, ex balenæ dente desumpta fuisse Unicornua, quotquot hactenus hoc titulo prodierunt. Vidi plurimis in locis frustula, vidi & integra Unicornua in thesauris, Ultrajecti, in fano S. Dionisij, alibique sed tam similia huic balenæ denti, ut ovum ovo. Nolo plura de Unicornu hoc commentari, quia alibi in *Observationibus* meis *Novis* de *Unicornu* justum huic denti laborem impendi. Vires breviter libabo,

babo, quas huic Unicornu Gronlandico inesse experti sumus. Quum copiosus ad nos ex Gronlandiæ tractu septentrionali freti Davis, navibus Amplissimi Viri Henrici Mulleri Anno 1652 & 1653. adveheretur, felici successu observarunt Medici urbis potentissimè provocare sudores in febre maligna tum grassante, & cum sudore largo exstinctas esse febres. Exhibitus pulvis ejusdem à scrupulo uno ad Drachmam semis in aqua cardui Benedicti, vel sambuci, vel cerevisia, etiam invitis insuetisque sudorem copiosius expressit. Dedi quamplurimis febricitantibus, raro sine optato successu, ut in usum pauperum hujus Unicornu frustula non pauca consumserim. Experti sunt quoque eandem vim in ægris suis Medici consummati D. *VVormius* & *Mothius*, ut candidè mihi confessi sunt: Neque solum exhibitus pulvis profuit, sed collo appensa frustula, amuleti vicem sustinuerunt. Rogatus transmisi frustulum Cl. Viro *Alberto Kypero* Medico Professori Leidensi, Amico meo, qui superiori anno 1655. magno successu in pulveris formam redactum cum aqua convenienti exhibuit ægrotis lue pestiferâ, quæ totum Belgium depopulabatur, correptis, ut aut illo convaluerint qui principiis obstitere, aut leviora experti symptomata morbum facilius tolerarint, aut certum exitium in aliquot dies distulerint. Tantus ejus in Gronlandia est proventus, ut ex Unicornu isto

varia instrumenta conficiant, jacula variæ magnitudinis, pecten, cultros, piscatoria organa &c. quæ cum tribus feminis Gronlandicis ad nos per dictas naves delata sunt. Olim in Dania Episcopi Nobiliores ex Unicornu isto Groenlandico baculos suos Episcopales confici curarunt. Vidi Roeskildiæ in Templi Cathedralis sacello hujusmodi scipionem ex Unicornu justæ magnitudinis, quem ferunt fuisse Episcopi Lucij, pretiosissimum illis seculis & magno ære redemptum, jam verò Augusto Regis nostri Clementissimi musæo dedicatum.

HISTORIA V.

Ex Æthiope natus.

Æ Thiops Cerdo in Ergastulo Hafniensi detentus, amore puellæ servæ accensus, clanculum illam compressit. Gravida inde legitimo partus tempore enixa est prolem virilis sexus, quæ matrem universo corpore cutis candore referebat, solus verò penis paternum genus nigrore prodebat, quod oculati testes plures & viderunt & mirati sunt. Imaginationi matris id universum assigno, quæ partem vehementius desideratam animo fixo comprehendens ejusdem colorem fœtui impressit. Mixti aliàs coloris solent fœtus ex Æthiope & alba procreari, quod sæpe nobis visum, si quidem uterque sexus divisum in generatione imperium habet.

HISTORIA VI.

Anatome Hominis ſani.

VIrile cadaver ſtrangulatum in Theatro noſtro Anatomico 1656, menſe Februarij, publice poſtremum diſſecui in gratiam ſpectatorum omnis Ordinis honoratiſſimorum, in primis Medicinæ Candidatorum, qui propter Anatomica exercitia frequentes apud nos ſunt. In ipſa diſſectione id rarum occurrebat & inſolitum, quod prorſus fuerit corpus ſanum, omniaque viſcera ita diſpoſita, ut mea libenter cum illo commutaſſem, ſi utroque ſano & ſuperſtire fieri potuiſſet. Erat autem præpinguis, Muſculis pyramidalibus deſtitutus, quia ſatis robuſti & carnoſi Recti, in quibus tres diviſiones nerveæ. Vaſorum mammariorum & Epigaſtriorum nulla anaſtomoſis comparuit, ſed longo ſpacio à ſe diſtabant. Omentum obœſiuſculum ad ſuperiora ſub ventriculo & hepate retractum, quod diſtentis à flatu inteſtinis videtur adſcribendum. Ventriculus capax phlegmate conſperſus. Vas breve unicum oblongũ ſplenico ramo prope lienem ingredienti inſertum. In inteſtinis nihil ſingulare obſervatum, niſi quod flatu potius quam alio humore turgerent. Hinc nec in meſenterio præpingui lacteæ comparebant, nec ob pinguedinis copiam facile Receptaculum Pecquetianum diſtinguebatur, in Vena

Portæ prope Hepar fibrillæ quam plures notabantur, quas Vaſa eſſe Lymphatica nullus dubitavi. Lien palmum unum longus ſanus & ſubobſcurus. Pancreatis ductu Virſungianus ſolitarius. Hepar ingentis magnitudinis, coloris rubicundi elegantiſſimi, quod tam arctè diaphragmati prope ſpinam nectebatur, ut ſine læſione diaphragmatis ſeparari nequiverit. Veſicula fellis major quoque ſolito, bile ſubflava, ſed ad viridem declinante, referta. Renes magni & ſani, niſi quod in unica caruncula guttulas aliquot ſeri purulenti continerent, & exiguum lapillum conchylii minimi figura & magnitudine, ne ſcilicet mortis aliquando deeſſet cauſa. Emulgens arteria ſiniſtra bifurcata mediam venam Emulgentem amplectebatur. Spermatica vaſa ex Emulgentibus omnia enata. In teſticulis nullus humor, ſed veſiculæ ſeminales ſpermatico liquore diffluebant. Ureterum in veſicam implantationi affigebatur unica valvula mitralis, exiguo orificio, tam arctè claudens & concidens, ut ex Ureteribus quidem admitteret ſtilum, ſed in veſica nullus regreſſus adverteretur. In Thorace mediaſtinum adipe viſebatur refertum undique, & pericardium. Cor vaſtum, audax tamen homo fuerat, ut cicatrices in capite frequentes & rimæ in cranio teſtabantur. Uterque ventriculus cordis ſanguine abundabat. Fiſtula pulmonum ſpuma copioſa impleta ex ſtrangu-

gu-

gulatione. Musculus frontis ferè aberat, cujus vicem supplevit panniculus carnosus. In cerebri lateralibus ventriculis copiosum sevum inventum. Cerebelli autem processus vermiformis vix merebatur oculos. Cætera omnia à naturali statu nulla parte deviabant, ut si tam sana misero crucis candidato mens fuisset, quam corpus sanum, & vivendi spacium longius protraxisset, & cum plerisque de valetudine prospera facilè decertasset.

HISTORIA VII.

Epilepsia ex vermibus.

OBservavi in Epileptica quadam mirandas planè vermium formas, teretes, latos, ovalis fermè formæ, multipedes: Illi utplurimum erant rubri, hi viridi lanugine investiti, duas in capite prominentias habentes, quasi essent cornuti. Biberat sitibunda in itinere sæpiusculè de obvia sibi aqua avidissimè. Veniebat ex Italia cum marito, cui in captivitate Turcica omnes pedum digiti abscissi erant, in patriam suam Bataviam tendens. Cum non procul à nostris finibus abesset, prehensa fuit tam gravi Epilepsia, ut nec aquam nec ignem præterire posset, quin statim gravissimo insultu corriperetur. Temporis progressu adeò malum increvit, ut decies,

in-

interdum ſedecies in die convelleretur, miſerando prorſus ſpectaculo. Venere tandem Gottorpium, perque ſupplices literas impetrarunt, ut meæ curæ Princeps beneficentiſſimus eam seriò committeret. Cum primum eam conſpicerem, non parum animo conſternabar. Totum enim corpus intumuerat tam tetro colore infeſtum, ut ſimilem huic nunquam viderim, fuſcus erat viridi dilutiore permiſtus. Examinata à me paulo accuratius, ſtatim morbi mineram cognovi. Exhibui itaque præmiſſis præmittendis ea Antepileptica quæ ſpecifica virtute ad Inſecta exterminanda valerent; Referebat enim ſe ſtatim poſt aquas improvidè ingeſtas pejus habuiſſe, ventris continua tormina perſenſiſſe, colorem corporis ſenſim ſenſimque degeneraſſe, & antequam Epilepſiâ corriperetur, ſenſiſſe ſemper in ſiniſtro latere motum viventis cujuſdam animalis. Movi dictis aliquid, ſed nihil promovi, donec tandem Pilulas meas Mercuriales propinarem, quarum uſu aliquoties repetito tantam multiformium vermium copiam dejecit, ut numerari haud protuerint: primi erant longi, rubro colore præditi, poſtmodum ſequebantur minores ſemper, lati, virides, ejusdemque coloris quo infecta erat totius corporis cutis. Quamprimum hi hoſpitio ſuo exturbati fuerunt, Paroxyſmi quoque Epileptici deſiere, relicta ingenti virium imbecillitate, quæ medi-

medicamentis Reſtaurantibus victuque Euchymo paulatim fuerunt reſtitutæ, ita ut intra duos menſes afflictiſſima hactenus mulier ſana & incolumis ad patrios lares reverteretur. Ita ad me perſcripſit *D. Ioël Langelotius* Archiater Gottorpianus meritiſſimus, Amicus meus honorandus.

HISTORIA VIII.

Calculus ex ſcroto ſuppurato.

Poſt graviſſimos dolores è veſica pueri Scanici quadrimi in ſcrotum calculus protrudebatur Anno 1628. exinde verò ſuppuratione facta foris rejectus, remanente fiſtula, per quam continuè urina exſudabat, vixitque hoc ſymptomate urinæque per fiſtulam ſtillicidio ad annum 1654. Rotundus ille erat calculus & globoſus, candidus cretæ inſtar, ſed durus ſolidusque, exterior tamen cortex ſeu lamina nonnihil ad flavum colorem vergebat. Mater lapidem cum puero calculoſo ad *D. Nicolaum Foſſium* incomparabilem Medicum noſtrum detulit, cujus non degener filius *D. Ianus Foſſius* amicus meus eundem lapidem Auguſto Reg. Maj. Muſæo ſubmiſſè dicavit. Longus eſt pollicem, rotunditati autem aliquid deeſt, quippe quod effractum eſt, parentes puero ad comminuendos alios calculos exhibuerunt.

HISTORIA IX.

Emplastra magna.

IN tumoribus obfirmatis emolliendis commendantur luta thermalia, ea tamen cautione, ut 1. liberali imponantur manu, neutiquam parca. 2. diutius in parte immorentur, minimum quatuor horis mane, totidemque vesperi. 3. Ampliori spacio non partem tantum affectam, sed vicinas infra & supra tegant. Par ratio sit in Emplastris, quæ, ut emolliant induratas partes, non per lacinias, sed fusius applicentur. Hoc artificio circumforaneos nonnullos miracula videmus præstare in Tumorum curatione, quum tamen trita remedia & nota lippis tonsoribusque Emplastra ad usum suum revocent, variato applicandi modo, quippe emplastra non brachio v. g. circumdant, sed versa vice brachium emplastris involvunt. Ita amphoræ emplastris inductæ & incrustatæ impositum hominem tumoribus scatentem feliciter sanatum monuit me *Io. Dom. Sala* summus noster Patavii in Praxi Dux.

HIS-

HISTORIA X.

Anatome Monachi.

MOnachus Franciſcanus, olim Ebræus, ex febre lenta & reſpirationis difficultate poſt menſes aliquot, cum delirio ad plures abiit. In cadavere aperto viſi nobis ſunt pulmones lividi & exſucci. Lien cœruleus & exilis. Inteſtina hinc inde inflammata, ſicut & interior veſicæ facies. Nihil tamen in urina viventis vitii comparuerat. Cætera ſana videbantur, niſi quod totius corporis habitus fuerit extenuatus.

HISTORIA IX.

Lapides per alvum excreti.

LApillum ferè triangularem, durum & ſubflavum ad me nuper miſit *Ioël Langelotius* Vir curioſiſſimus, quem attulerat ipſi vicinus ejus, affirmans ſe tres hujus generis excreviſſe paulo poſtquam ipſum DEO benedicente à magna Pulmonum hæmorrhagia liberaſſet. Inquiſivit quidem in horum lapidum excretionem ſcrupuloſius, ſed aliud non comperit à vicino, quam dolorem

rem quendam, obtusum in intestinis prius obortum, mox cum ad excretionem stimularet Natura, nec posset fractus viribus lecto surgere, supposita pelvi huic usui accommodata, sensisse se aliquid duriusculi per sedem exire, lustratisque fecibus tres lapillos inventos. Fortasse calculi illi cum alimentis fuerunt assumpti, sicut hujus notæ plurimos in gallinarum ventriculis invenimus, vel ex crassis succis & calore intestinorum in lapideam duritiem concreverunt, *Galenus* l. 6. de Loc. Aff. c. 2. id nec vidit, neque alium qui viderit, unquam audivit.

HISTORIA XII.

Grucis Anatome.

GRus mensæ Regiæ destinatus quum cultrum sectoris, clavicula firmiter ossi pectoris adhærente, eluderet, jussu Augustissimi Regis nostri ad ædes cl. V. *D. Simonis Paulli* nuper deferebatur, ut examinatis interioribus ossa artificiosa manu exsiccata compingerentur in sceleton. Ad spectaculum me invitavit solita sua humanitate laudatus Vir, mihi amicissimus. Visa nobis ibidem non pauca, quæ repetitam memoriam hic merentur. Clavicula in aliis avibus à pectoris osse libera, hic firmiter sterno connata

erat,

erat. Sternum ipsum non simplici cavitate præditum erat, quemadmodum in Cygno observavimus, notavimusque Cent. 2. Hist. 79. Ad asperæ arteriæ oblongæ recursum, sed varijs ambagibus intus patebat velut labyrintheis flexibus, per quos incurvato ductu serpentis instar arteria sursum deorsumque ferebatur, jucundo plane & admirando spectaculo. Aspera arteria secundum colli longitudinem recta ad dextram sterni partem, protendebatur, illi deinde se insinuans immergebatur in sterni tubulum dextrum, qui aliquot gyris circumvolvebatur, donec ad sinistram exitum quæreret, & ad pulmones vergeret, præfixo tamen osse hyoide, quale in Cygno descripsimus. Tubuli hi sterni ampli erant pennæ anserinæ capacitate, invicem distincti, per quos liquor quicunque cum sibilo distinctus ingrediebatur & egrediebatur, ut eadem ratione aër ad clangorem obambulet. In mesenterio id singulare erat, quod intestina mesenterio stellæ instar adnecterentur, radiis inæqualibus. Quinque radii longiores intestinorum protendebantur ex mesenterio, & totidem breves, alternatim sibi succedentes, quasi radium marinum videres, majoribus minoribusque eminentiis conspicuum. Præterea duplex intestinum cæcum, quemadmodum & in Cygno vidimus longũ satis utrinque exporrectum. Nulla vesicula fellis, nec ullus in corpore adeps. Cætera non attinet hic referre, quæ aliis avibus com-

L munia

munia vidimus, & de cœco duplici, ejusque usu multa commentabitur laudatus vir in *Flora Latina* aucta.

Historia XIII.
Aceti vires Alexipharmacæ.

NOlo fabulosas aceti vires recensere, quas veterum nonnulli extollunt. Saxum rumpere *Plinius* tradit, & de Hannibale nota apud *Livium* l.20. traditio, qui Alpium

Diduxit scopulos, & montem rupit aceto.

ut *Juvenalis* Sat. 10. utar versiculo: Sed fabulæ huic laborem inclusit vetustas, quod nempe magna difficultate Alpium invias vias perruperit Annibal. Unde enim tanta aceti copia, quæ viam sterneret exercitui instructissimo. Scio ex *Ælio Spartiano* Pescennium Nigrum jussisse ut aceto miles in expeditione universus esset contentus, sine vino: Cæterum sitis necessitati ita consulebatur & viribus, neque tantum aceti poterant secum inter alias sarcinas vehere, quæ & necessitati sufficeret, & montium solutioni. Vini istud vitium in remedia transit, autore *Plinio* l. 23. c. 1. Fusius ea persequitur *Galenus* l. 1. de Simpl. Med. Fac. Nos Alexipharmacam vim inprimis miramur, quam in aceto deprehendimus, putredini adverso, quamvis ex vino corrupto credatur gene-

generari. Aceto rosaceo naribus carpisque applicato per aliquot dies in summa virium dejectione fugienti vitæ remoram injectam non semel vidi. Quo fine & Aquam Analepticam Rulandi ingreditur. In pestilentia summum nonnullis est remedium. Novi quos solum acetum rosaceum ore sumptum carpoque illitum à peste præservavit. In eadem lue acetum Bezoarticum omne tulit punctum. Alii nostrates grassante contagio, aceto calendulæ solo se muniverunt, & incolumes evaserunt. Vermibus quoque & putredini resistit, non simplex tantum, sed aliis mixtum, ut passim Medici experti sunt. *Dioscorides* l. 5. c. 21. aurium vermes instillatum necare testatur, & adversus omnia venena esse efficax. *Celsus* l. 6. c. 27. ex casu cujusdam pueri didicit ab aspide ictum aceto curatum esse. His contraria videtur recentiorum observatio, inprimis *Dom. Panaroli* Medici Romani, qui *Pent.* 4. Obs. 36. microscopio observavit in omni aceto vermes esse, inprimis rosaceo, & quo acrius, eo copiosiores vermes fluitare figura oblonga, tenues, cum parvo capite, enecarique si aceto vel vinum vel Theriaca misceatur. *F. Pona* Prol. 8. Saturn: Vermes velut argenteos natare vidit pisciculorum instar, qui recedente aceto vitro adhærent. Ut autem utile acetum in peste, & febre maligna conficiatur, theriacam aceto mixtam in vase clauso per mensem soli exponit *Panarolus*, semel in die agitando, & postmodum relin-

dum relinquendo ut Theriaca in fundo remaneat, quo peracto diligenter decantat & ad usus laudatos servat. Mirabar cum legerem, quomodo vermibus scateret acetum, quod vermibus enecandis est opportunum: Excusabam tamen quicquid animo conceperam, quod vermes in pulverem attritos lumbricorum remedium scirem, ictui scorpionis scorpionem mederi, viperinam carnem venenis extrahendis esse commodam. Sed vermes non credidi, qui filamentorum specie in microscopio mihi ante oculos obversabantur. Filamenta illa aceti impuri, facile ob levitatem moventur, & fundum petunt. Inter has cogitationes commodè *Io. Nardii* Noctes Geniales offeruntur, qui Noct. 1. p. 75. microscopio in aliquibus aceti generibus vermes, in aliis nullos observavit: Vermibus enim scatere illa aceti genera, quæ ex vappa aut debilibus è vinis confecta fuere, unde nova potuit excitari putredo, reliqua verò ex generosis vinis penitus vermibus carere. A vermibus quomodo omnis acredo esse possit, non capio, quum enecatis illis acetum mordax maneat. Idem experimentum succedere si acetum aquæ limpidæ misceatur, me monuit frater D. *Erasmus Bartholinus*, fluitare enim longiusculos vermiculos in vitro & manifestè cerni.

HISTORIA XIV.

Superfœtatio rara.

VAria superfœtationum exempla recensent *Rossetus* de Part. Cæs. sect. 6. c. 7. *Bauhinus* in Append. 6. *Raynaudus* de sect. Cæs. c. 11. *Schenchius* l. 4. Obs. 126. causamque reddit *Hippocrates* l. de superfœt: In quibus exiguum tempus inter primi secundique fœtus exclusionem intercessit. At per annos superfœtationem supputare, & primum diutissimè in utero hæsisse excluso posteriore fœtu, inter rarissima numeramus nullo scripto signatam. Mira tamen superfœtatio in Venda urbe Livoniæ mulieri honestæ supervenit seculo superiori, quam à memoria nostra remotiorem, hactenusque sepultam in publicum protraham, lectu dignissimam. Uterum primo conceperat, & instantibus partus legitimi doloribus, nihil enixa est. Anno sequenti iterum gravida, justo puerperii tempore, masculum edidit. Anno demum insequente, morbo correpta primum conceptum exclusit, sed per partes & ossibus per vices exeuntibus. Superaret res fidem nostram, nisi publico instrumento Magistratus auctoritate sua firmasset, quod in pergamena sigillo publico munitum mihi exhibuit Vir Excellentissimus D. *Iohannus Below* Archiater Magni Moschoviæ Ducis experientissimus. Ut omnia sint lectori

certiora, verba autographi sistam ex Germania in Latium traducta.

Nos Consules & Senatores civitatis Venden, notum facimus omnibus & profitemur publicis his nostris literis, siquidem singulari providentia DEI Omnipotentis Patris nostri, præteritis annis in urbe nostra superfætatio (cujus icon præxa) cuidam civis nostri uxori contigit, ut omnibus fidelibus DEI omnipotentia innotesceret, & in periculo anxietateq; constitutis mulieribus certa firmaque spes in hac miseriarum valle affulgeret; Nos nostri officii putavimus tantum DEI miraculum non silere, sed toti mundo propalare, ut in omnibus periculis malisque mortales discant soli DEO potenti fidere, spes suas illi soli commendare, in vera fide & pietate, qui omnia pro paterna voluntate, nobis profutura, novit disponere & communicare, quod evidentissime testatum fecit in hac nostra cive, quæ unicè spem & in miseriis auxilium in DEO Immortali collocavit felicissimo eventu. Civis laudata anno quinquasimo sexto instantibus feriis Pentecostes primum ventris onus sentijt, quod ad consuetum tempus gestavit, instante verò partus termino, quum signa parturientium mulieribus nota adessent, nullus tamen fœtus prodiit, quos dolores parturientium ad tertiũ diem pertulit, ut non tantum præsentes feminæ desperarint, sed & puerpera ipsa maximo angore correpta, quod apud se quivis facile

æstimabit, DEO se totam commiserit, atque ita fœtus præsens in utero remansit. Anno sequenti, non obstante priore conceptu, iterum gravida. Anno seculi quinquagesimo octavo circa quadragesimale festum, filium enixa est completum pinguiusculumq;, inter ossa prioris conceptus annuo ferè spacio delitescentem, qui ne unica hora superstes fuit, quippe per octo integros dies in difficili hoc partu hæsit mater dolorũ plena antequam ex ossibus prioribus eluctari infans potuerit. Anno sexagesimo primo ante ferias Natalitias morbo gravissimo correpta mater, quum ossa primi fœtus in utero dimoveri cœperunt, & maximo cum dolore per partes sensim ex utero prolabi, primũ minora, post majora, duravitq; ista ossium excretio à termino dicto anni sexagesimi primi, ad Quadragesimas anni sexagesimi secundi, quum ultimo loco ossa cruris maxima tanta difficultate excrevit, ut ferè in vitæ incurreret periculum. Sex annos continuos ossa hæc fœtus in utero suo gestavit civis nostra, quæ deinde prodierunt cum maximis doloribus & cruciatibus, sicut facilè quivis novit, adeò ut ex liberis quidam octo annorum mulieri huic tantis angoribus pressæ in ventrem se projecerit, inquiens: Ah mater! utinam tantos cruciatus, morbos & mœrores liceret ex corpore tuo exsugere, libenter pro te perferrem; quod mater magno cum gaudio audivit, & filii amorẽ depredicavit, quo etiam factum est, ut constanti illius fi-

de permotus DEUS omnipotens, clementer ex his miseriis illam extraxerit & ægritudines septem annorum sexagesimo secundo seculi anno depulerit, ut prædicta mulier pristinam valetudinem recuperaverit, & adhuc integrâ eâ fruatur. Illi soli, omnipotenti DEO sit laus, honor & gloria pro tam immensa paternaque gratia, bonitate & misericordia, quem supplices veneramur, velit omnibus miseris, oppressis, infirmis & in periculo constitutis auxilio suo adesse, in sui nominis gloriam & nostram salutem æternam, Amen. Hæc omnia acta sunt & completa supradictis annis in nostra civitate Venden in Livonia, & Lubecæ Imperiali civitate libera anno hoc sexagesimo sexto divulgata. In rerum dictarum fidem certiorem præsentes literas civitatis nostræ sigillo munivimus tertio die Augusti, anno dicto.



Appicta est huic autographo figura ossium solutorum, eo ordine quo ex utero prodierunt, separata, singula, & soluta suis compagibus. Primum locum capitis ossa occupant numero 23. succedunt claviculæ & scapulæ, mox costæ effigiatæ cernuntur, & brachiorum ossa, tum ossa coxendicis, crurum, pedesque. Quod verò miror, est spinæ dorsalis defectus, quæ forsan in utero remanens morbi insequentis occasionẽ dederat.

rat. In universum ossa excreta numerantur 71. Altera figura fœtum alterum ostendit, qui integer secundo partu naturali exclusus fuit. Carnosus is est, & boni sanique coloris, quinque palmos longus, duosque latus, si brachia lateribus applicata adjungantur. Difficile dictu est, ubi prior conceptus delituerit, in superfætatione sequenti. Qui uterum humanam bipartitum credunt facilius se expedient. Rara vero ea est uteri fabrica in homine quæ in brutis, ubi, quia plures fœtus generant, per cellulas distinguitur uterus. Talem tamen uteri conformationem in quadam puella circa annum 1565. Lugduni observavit *Ioh. Bauhinus*, ut testatur frater incomparabilis *Casp. Bauhinus.* in App. ad Roff. *Riolanus* quoque notat l. 2. Anthrop. c. 35. anno 1615. mense Junio in oppido Steinio milliari ultra urbem S. Dionysii, hermaphroditam à se dissectam, duplicem habuisse matricem, mediano pariete secretam. Linea simplici uterinum corpus dividi per medium observavi. An verò duplicatus in hoc muliere Vendense fuerit uterus, ignorare cogor, quia post mortem dissecta non fuit. Non sanè necessarium id existimo, siquidem in superfætationibus, quando interjecto tempore & conceptus fit & partus, singuli fœtus suis membranis includuntur, uterique loco separato adhærent, ut excludi unus possit remanente altero, secus ac contingit in gemellorum partu, qui sola mem-

membrana acquiescunt, unoque loco juncti includuntur. Forsan prior conceptus in tuba uteri delituit, posterior verò in utero, unde prius in lucem prodiit. Nam in tuba uteri conceptus quoque factos variis exemplis demonstrat *Ioh. Riolanus* in Anthropographia. Impeditus prioris partus fuerat, sive matris imbecillitate, sive fœtus ipsius, sive arctioribus vinculis, sive denique membranarum circumvolventium robore, quæ instante partus tempore disrumpi non potuerunt, unde accedente sive putredine sive intemperie sicca calidaque absumpta caro nuda ossa reliquit in utero, sequenti demum anno exclusa ob auctam membranæ exsiccationem & disruptam, roburque matris auctum.

HISTORIA XV.

Viperarum ingluvies.

GUlosissimos animalium serpentes *Aristoteles* dixit, quia obvia quæque etiam magnitudine conspicua devorant. Vidi in Musæo Augusto Serenissimi Regis nostri sceleton viperæ nostratis à *D. Petro Bulichio* Archiatro Regio constructum, quæ bufonem deglutiverat, cujus etiam sceleton alteri nectitur. Vidi quoque Helsingoræ apud Sylvestrum Pharmacopæum industrium vi-

viperam nostratem exsiccatam, quæ quatuor alaudas cum plumis in ventriculo congesserat adhuc ibidem conspicuas. Ova integra & lacertos deglutivisse, & passerem cum pennis observatum *M. Aur. Severino* in Vip. Pyth. c. 12. Quanquam enim angustum videatur illis corpus & os non adeò amplum, rictus tamen diductior est, & gula valdè dilatari potest pro excipiendis grandioribus esculentis. Gula ipsa membranosa robustior, ut distendi possit & ampliari, præsertim ubi assumpta facilè cedunt & comprimuntur, ut ranæ, aves juniores, lacerti, &c. Ranas dexteritate quadam deglutiunt, caput enim primum intrudunt, pedibus ad posticam partem compressis, qui deinde corpore compresso facilè succedunt, quod aliquoties in prædio Rodiano fratris mei amantissimi *Bartoli Bartholini* Regii Eloq. Professoris observatum.

HISTORIA XVI.

De Pane observationes.

PAnis commune est alimentum & perutile tam hominibus quam animalibus. Soli accipitres ingesto pane moriuntur, sive quod durities panis comprimendo asperam arteriam strangulet,

gulet, ſive quod occulta antipathia illis adverſetur, nam multa ſunt nobis amica, quæ animalibus nonnullis nocent, ita baccæ ſambuci gallinas enecant, quod malo ſuo ruſtici noſtri ſæpe experiuntur. In medicamentorum cenſu quoque venit. Pane ſolo in itinere ſuo Brutus à bulimo curatus. *Plutarchus* etiam auctor eſt, equos & aſinos hac affectione correptos, oblato pane ſtatim è terra ſurrexiſſe & ad conſuetum iter reverſos. Experiuntur id aurigæ noſtri, qui delaſſatos equos pane recreant. Odorem ejuſdem in nimia ciborum appetentia cum lipothymia commendat *Galenus*. Certè in metu ſyncopes optimo ſucceſſu panis vino vel aceto maceratus naribus apponitur, & ventriculo roborando tam intus ſumptus quam extra impoſitus confert.

Panis ex variis herbis fructibuſque conficitur. Notiſſima panis genera tricum, ſecale, hordeum, avenam recipiunt, de quibus veteres recentioreſque conſulantur. In montibus Appenninis ex Caſtaneis, quarum copioſus ibi proventus, panis pinſitur candidus & ſapore dulcis. Ex iiſdem cum lacte & juſculo cibum gratum coquunt. Ex amygdalis, juglandibus, nucleis pinus & piſtaciis commodus eſt panis atrophia laborantibus. Semina plantarum ſalubrium quæcunque in maſſam panis compingi poſſunt eadem facilitate & felicitate qua hordeum, triticum, &c.

Salu-

Salubrior certè foret panis ex ſeminibus lactucæ, quam acetarium ex cruda lactuca. In Norwegia ex corticibus arborum placentas ſolidas duraſque conficiunt incolæ, ubi parcior eſt frumenti proventus, quemadmodum Æthiopes circa promontorium Bonæ Spei ex piſcibus ſole exſiccatis panes ſibi conficere feruntur frumenti inopia. Iiſdem exſiccatis piſcibus Iſlandi veſcuntur loco panis. In inſulis Feroenſibus quoque, ubi ſterile eſt ſolum propter rupium frequentiam, at inter rupium aſperitatem ſi tantillum terræ emineat, tam uberi proventu commiſſum hordeum reddit, ut ex unico ſemine quinquaginta & amplius ſpicæ exſurgant totidemque ariſtæ glumis ſeminibuſque fecundæ. Urgente duriſſimo neceſſitatis telo ex paleis panis conficitur, quod in obſidionibus peropportunum. Fuit nuper qui pro ſecreto habuit trabes aſſereſque, quibus in obſidionibus famem ſedari poſſe exiſtimavit. Singulare divinæ bonitatis eſt argumentum, quod in annonæ defectu ſubinde ad ſolatium mortalium frumentum depluat. Tale collegerunt incolæ Wuſtenhauſani in Marchionatu Brandenburgico, & in urbe Neuſtad & Potlitz paulo ante feſtum Paſchatis ſeculo ſuperiori, ut publici Annales teſtantur. In Scania noſtra nuperis annis ſimilis frumenti pluvia obſervata, ſine dubio aliunde per ventos tranſportato frumento, nam propter

ſolis

ſolis calorem & ventorum ſiccitatem aſſatum videbatur quaſi in clibano toſtum. Commisſum autem terræ, copioſius quam pro terræ noſtræ conſuetudine emergebat. Viſum præterea prioribus annis in patria arboribus frumentum inhæſiſſe & germinaſſe in ſumma annonæ penuria, ſive cœlo delapſum, ſive per aves adportatum, quemadmodum ex furtivis avium ſeminibus aliæ herbæ in arboribus, muris, parietibuſque, florere obſervantur. *Plinius* l. 18. c. 18. auctor eſt, quo anno ſuperatus eſt Annibal, in arboribus nata frumenta. I. *Obſequens* quoque l. de Prod. Bononiæ fruges in arboribus natas memorat.

HISTORIA XVII.

Pus & ſanguis ſine pthiſi.

EXſpuunt non ſemel ſtatis temporibus quidam cum pure ſanguinem, nec tamen phthiſici ſunt, nec ulcus ullam in pulmonibus habent. Hujus cenſus tres novit *Sala* præceptor meus, quorum duo exſpuerunt ſtatis vicibus pus & ſanguinem, ſine pulmonis ulcere, quippe ſanati ſunt & benè valuerunt, tertius adhuc vivit ſanus, nam ex rupto abſceſſu in thorace per pulmones quidem expurgata eſt materia, ſed ſine ejus læſione, quod in cadaveribus duorum diſſe-

dissectis eidem laudato Viro apparuit. Adest quidem in hujusmodi impedita respiratio, febrisque lenta, sed absterso pure & exsiccato ista signa disparent.

HISTORIA XVIII.

Anatome febricitantis.

COnquerebatur quidam aliquot abhinc annis Patavii de febricula, nullis remediis cedente. Dolor tandem successit in hypochondrio dextro, tumorque jecoris cum difficili respiratione. Existimabat non nemo esse inflammationem jecoris: contra *Sala* noster, esse jecoris abscessum divinabat, qui se per venam cavam in thoracem expurgaret, unde difficilis respiratio & copia puris. Post paulò æger morti cessit. In aperto cadavere ingens abscessus in jecore inventus, unde prorsus computruerat, & totus venæ cavæ ramus superior illo pure repletus cernebatur, thoraxque humiditate ista abundabat.

HISTORIA XIX.

Vomitus Bufonum.

SVperioribus annis Altenburgi miserè vexabatur paupercula puella periodica bufonum in ven-

ventriculo generatione & eorundem per vomitum rejectione. Dignissimam posterorum memoriæ historiam ad me misit vernacula lingua Vir insignis *D. Ioel Langelotius* Achiater Gottorpianus, manu Medicorum assistentium *D. Ioh. Michaelis* Prof. Med. in Acad. Lipsensi, & Archiatri Saxo Altenburgici, ut & *D. Iosephi Clauderi* Medici Aulici ibidem signatam & confirmatam, quam breviori sermone ad me quoque Lipsia perscripsit Cl. V. *D. Michael Lyserus* Prof. Lipsensis, amicus meus. Actæ rei seriem paucis pertexam, laudatorum Virorum ductum sequutus. Catharina Geileria ancilla 30. annorum, temperamento cholerico & sanguineo, grassante in urbe contagioso morbo, à Domina cum morbo eodẽ affligeretur, in vicinam villã mittitur, sed ab incolis pagi metu infectionis non admittitur. Exclusa igitur hospitio pratum eligit, ubi circa acervum fœni profundo somno lassa opprimitur. Excitata somno nescio qua tempestate oborta, siti urgente aquam in loco vicino stagnantem avidius haurit. Cessavit quidem hinc morbus, quo tenebatur, sed non omni parte sana evasit, siquidem verno tempore recurrebant morbi reliquia & sanitatis fractæ indicia, cum alvi torminibus, cardialgia, inappetentia, dolorifico quodam intra corpus velut viventis animalis motu, nec præter aquam, lac ebutyratum & fructus horarios quidquam in cibis assu-

mere

mere potuit. Menses interea suppressi, frustraque tentata venæ sectio & cucurbitulæ, nam motus ille velut animantis progredientis in corpore & quasi unguibus lancinantis sensim auctus est. post biennium 25. Iun. 1647. suasu Chirurgi ad sudorem se compositura in aqua fumariæ parum Mithridatij sumsit, unde post bihorium gravissimas perpessa anxietates, vomitus, ardores, & cum periculo vitæ busonem magnum duosque parvos cum duobus lacertis viridibus per os rejecit, quo tempore *D. Iosephus Clauderus* Medicus Saxo Altenburgicus accitus necessaria tum corroborationis, tum insectorum expulsionis gratia præscripsit. Hinc sequenti die tres mediocris magnitudinis septemque bufones parvos partim vivos partim mortuos rejecit. Interea Bezoardicis & specificis contra vermes pugnatum est, donec 12. Iulij unus prægrandis & duo parvi bufones mortui expulsi essent. Tum in consilium advocatus Vir Celeberrimus *D. Thomas Reinesius* Physicus ordinarius cum laudato *Claudato* necessaria tentavit remediorum genera; sed tota ista æstate nullum amplius insectum observarunt, quanquam strenuè tam per superiora quam inferiora medicamentis educta sit materia. Tandem *D. Iohannes Michaelis* specifica sua medicamenta suppeditavit. unde 19 Septembr. frustulatim cum excrementis naturalibus aliquid excretum fuit, de quo dubitatum, an lacerti aut bufonis fuerit portio.

De cætero mediocriter valuit.

Anno 1648. menſe Martio denuo quaſi ſurſum repentia animalia ſentiens, aſſumptis aloeticis Bezoardicis in magna quantitate, tria animalia ranis ſimilia, colore luteo, maculis nigris ac griſeis variegato, vomitu cum magna aquæ, pituitæ & ſpermatis ranarum copia Julio menſe reddidit, poſteroque die decem minora ſequuta ſunt, ſed mox in matula mortua. Deinde per autumnum & hyemem mediocri utebatur valetudine.

Anno 1649. menſe Januario, lactis ebutyrati appetitu maximo correpta duas libras ejuſdem lactis frigidi uno hauſtū abſorbet, cujus impatiens ventriculus, cum quinque animalibus mediocris magnitudinis idem lac revomuit. Menſe Martio curatio redintegrata. 18. Aprilis, duo grandiora & unum exilius excrevit. Altero die, ope Mercurij magna ſpermatis ranarum ſucceſſit copia. 20. Junij, decem & novem recens nata exierunt, qualia ſolent per pluvias decidere. In uſu autem medicamentorum æſtate & autumno perſtitit.

Anno 1650. Menſe Martio iterum curationem aggreſſi ſunt Medici laudati, multumque ſpermatis, ſed quinq; tantum animalcula eduxerunt per vomitum, quæ ipſa ægra manu è faucium anguſtiis protraxit, ut nonnullis inteſtina per vim ſint eliſa.

Annis 1651. 1652. absente Medico *Claudero*. & medicamentis propter inopiam destituta, nihil per os reddidit, nisi parum aquæ citrinæ cruentæ & amaræ.

Anno 1653. querelis ejus permotus D. *Clauderus* denuo curam suscepit, & succum expressum Iridis nostratis potissimum exhibuit, unde 24. Martij plurimum aquæ virentis instar succi herbæ expressi ultra sex libras cum spermate multo reddidit. 9. Aprilis, iterum multam aquam & pituitam cum semi corrupto animali vomitu rejecit. 20. Aprilis duo animalia copioso muco involuta evomuit. 22. 23. & 24. Aprilis continuatus succus Iridis nostratis. Hinc 25. Aprilis mane sex animalia rubris maculis insignita, egrediebantur ranarum more coaxantia. Duo ex his lacti immersa per diem vixerunt, reliqua quatuor vino injecta subito tumefacta obierunt, quæ dissecta nihil singulare mõstrarunt, nisi quod unius ventriculus repletus fuerit 30. & amplius vermiculis nigricantibus alatis. Hinc invento genuino alexipharmaco, continuatoque usu vini Rhenani & spiritus Vini, aliorumque specificorum, mense Majo pluscula animalia semi putrida & valdè fætentia per partes rejecta sunt. Interim in ventriculo gravitatem sensit, quasi massam conglobatam contineret, omnesque cibos etiam hactenus amicos aversabatur, sive nausea corpo-

rum heterogeneorum, five quod in coquendis diffolvendisque animalibus occuparetur. Exhibitum tamen eft vinum, fpiritusque vini à Panchymagogo Medicorum affiftentium abftractus cum Spiritu Vitrioli, unde tandem menfe Junio copiosè horum animalium frufta, pedes, offa, inteftina, duo capita magna per vices educta funt.

Anno 1654. & 1655. ab animalibus nulla ipfi moleftia. Vomitu tantum & feceffu nonnulla exilia officula prodierunt. Ex hoc tempore pedum tumores & exulcerationes paffa eft, tumorque adhuc perdurat, difficilis fine dubio curationis, fiquidem his annis menfes funt fuppreffi frequenti ufu medicamentorum. Vivit interim valetudinaria, lana victum quæritans, cerevifiam potat, aliosque affumit cibos quos antea ægrè expetebat.

Ad Calculum fi reducantur excreta animalia, octuagefimum numerum fuperabunt, præter offa, aquam, mucum, fperma, aliaque his annis rejecta. Quin feminarium horum animalium cum aquis hauftis intra corpus fit receptum, dubitari non poteft, quod fæpe aliàs obfervatum. Auctum illud in corpore à bufonibus, excrementa docent, quibus femen ranarum fubinde fuit admixtum. Curatio denique teftatur naturalem bufonum fuiffe generationem: Nihil enim vino & fpiritu vini præftantius ad enecandos in corpore vermes, quibus etiam in lumbricis felici fuc-

ſucceſſu utimur. Vermes enim quicunque vinum averſantur, fugiuntque ex antris terræ, vino irrigatæ. Quo loco hæſerint, difficile dictu. Si in cellulis inteſtinorum, vel cæco inteſtino immorari nequiverunt, ſine dubio folliculis incluſa ventriculi membranis humidioribus ſeſe affixerunt, quibus ruptis adulta prodierunt. Ad incantamenta reducerem ſi ſuperſtitioſo eſſe liceret. Varia hoc Dæmonum aſtu corporibus humanis inducuntur, ut alibi demonſtratum. Sed piam hanc eſſe ferunt, ſæpiusque devota mente ſacra cœna privatim uſa eſt, quia publico piorum cœtu propter urgentia ſymptomata abſtinuit, ita referente ejus Confeſſionario. Ego certè libentius cauſis naturalibus manifeſtis raros hujuſmodi caſus aſſigno, quam miraculoſis, ne Dæmoni plus quam Naturæ, ejusque Autori omnipotenti, tribuatur. Fallit vana ſpecie Dæmon & umbra ludit; ejusque Magi, ut loquitur *Lactantius* l. 2. de Orig. Err. c. 15. Viſus hominum præſtigiis obcæcantibus fallunt, ut non videant ea quæ ſunt, & videre ſe putent illa quæ non ſunt. At veros bufones ex faucibus extractos, ægra manibus experta eſt, Medici aſtantes viderunt, & diſſectio indubitatam fidem fecit.

HISTORIA XX.

De septo cordis pervio experimentum, & Anatome Hydropicæ.

LAudandum illorum studium qui cadavera eviscerant, præsertim morbo denata. Sedes enim morborum ita optimè investigantur, quas Anatomes hujus imperiti conjectura rarò assequuntur. Itali Gallique & Belgæ his sectionibus præclaram operam locant, quos Nosodochia instructa invitant. Nos in Dania eandem sectionem strenuè urgemus. Neque Germanis sua laus ex isto studiorum genere deest. Miramur enim Plateri, Horstij, Salmuthi, Hildani, aliorumque labores. His successere alij quibus parem felicitatem opto. Excitatus præclaro illorum exemplo Vir doctus pariter & curiosus *D. Brodbeck* in Academia Tubingensi Professor meritissimus Hydropicam aperuit, mihique per *Cl. V. M. VVilh. VVormium* observationes sequentes transmitti curavit.

Femina quædam in pago præfecturæ Tubingensis, cum impraegnationis suspicione intumesceret, spe delusa, in hydropem incidit, quo etiam juvencula adhuc laboravit. Variis interea symptomatis exagitata post triennij decubitum vitam finivit. Susceptâ itaque præter lapso Februario sectione, apparuerunt sequentia notatu digna.

1. Exhausta colluvie aquarum denudata fuerunt inte-

inteſtina, & viſcera infimi ventris omnia, exceptis renibus teſtibusque, ſevaceo adipe, ſteatomatis inſtar, incruſtata, ut viſum effugerent.

2. Ex adipis craſſitie inteſtinorum cavitates, angiportus in morem, coarctatæ erant.

3. Stomachus cataphracta eadem veſtitus ſe coarctare nequiit.

4. Hepar diaphragmati mediante ſevo illo arctè adhærebat. Parenchyma exſangue, ſemiputridum, contractum ac ſubnigrum apparebat.

5. Thorax apertus omni aqua deſtitutus erat. Pulmones verò undique coſtis ac diaphragmati adnati, & per ſuperficiem externam grandinibus albis atque ſevaceis, tanquam margaritis, conſiti, plus tamen hic ſanguinis quam in jecore aut liene inventum.

6. Cor pericardio planè denudatum, quod & ſemel *Columbo* obſervatum. Dextra auricula circa venæ arterioſæ orificium aneuryſmatis modo ultra juglandis magnitudinem diſtenta erat. Siniſter thalamus durior, craſſior, tumentiorq; ſanguinem grumoſum, ſubnigrum ac paucun continebat, ſecus quam in dextro, qui adhuc purpureus erat. Fruſtulum quoque adipoſum, ſubluteum, molle ac lentum in duos ramos, tanquam digitos longiuſculos abiens, inq; truncorum cavitatem ſe inſinuans, ipſis arteriæ venoſæ aortæq; oſtiis arctè adhærebat, eaq; occludendo ſanguinis effluxum vel omnino impediverat, vel plurimum retardaverat. Hinc 7. Ar-

7. Arteriæ grumefactum eumque paucissimum sanguinem continebant.

8. Venæ succo pleniores, præcipue vena arteriosa, & arteria venosa. Venæ etiam cordis coronariæ ac superficiariæ sanguine adhuc turgebant.

9. Ut sanguinis per septum transitus certius innotesceret, id operam dedit D. *Brodbeck*, ut vinculo vasis omnibus injecto, exceptâ venâ cavâ, cannam vel arundinem sembucinam, trunco hujus abscisso quam arctissimè alligaret, per quam dum cor inflare cœpit, non dexter tantum sed sinister ejus thalamus cum auriculis utriusque illico ad visum tactumq; omnium adstantium utrinque elevatus est, manifesto, ut credit, argumento, septum cordis nonnihil anfractuosè cribrosum & perforatum esse.

HISTORIA XXI.

Cataracta rara.

DE Marchionissa uxore Regentis primi Curiæ Neapolitanæ olim cum Magno Chirurgo M. Aurelio Severino, hospite meo, consilia in commune contulimus, quæ Cataractæ initium habuit. Lumine illustrata objecta tantum videbat & splendores, subindeque velut aureas scintillas in opposito pariete. Varia pro salute ægræ remedia fuerant usurpata, sed in cassum omnia.

Inte-

Interiores palpebræ inflammatæ adhuc rubebant, & adnata tunica densior erat, humore inter corneam & albugineam impacto. Quia deponi non potuit, suadebat Severinus noster post aures vesicatorium, ad revulsionem & evacuationem, quod ex circulatione calculo meo comprobabam, deinde in sutura coronali Ustionem Arabicam per fila. Addebam ego sectionem venæ anguli in oculo interni. Objiciebat assistens Medicus, debilitari magis oculum, nec posse resolvi à natura, quod concretum fuerat, præsertim quum non peccaret in oculo sanguis. Sed facilè respondebam, istis remediis impediri partim affluxurum sanguinem, partim affluxum evacuari, qui sine dubio visum impediebat, ut ex inflammatione apparebat, & depravabat, ut ex splendoribus & aureis scintillis liquebat, istas enim esse splendentis & incensi sanguinis indicia. Liberatam vero hoc onere naturam, promptius reliquias superaturam, si accesserint remediorum genera in suffusionum initiis consueta.

HISTORIA XXII.

Duplex Penis.

LUdit subinde natura in membris generationi servientibus, aliquando defectu, nonnunquam numero excedente quando abundantem materiam in certam formam effingit. Mirum

non eſt, quod refert *Iulius Obſequens* de Prodigiis, Coſſ. L. Furio & Attilio Sarrano, puerum ex ancilla natum quatuor pedibus, manibus, oculis, auribus & duplici obſcœno: gemellos enim intenderat Natura. At duplex colis in homine, cætera ſimplici & perfecto, rariſſimè obſervatus, ex partis iſtius abundantia ortus. Quidam tamen Bononiæ aliquando diſſectus, duplicem penem habuit, ut narrat *Parens* meus beatus l. 1. Inſtitut. Anat. c. 24. Nuper admodum in Belgio puer bimulus publicè ſpectabatur, optimi habitus, cui penis geminus erat ſtatim circa primum exortum è pube diviſus, magnitudine pro iſta ætate juſtâ, & ſibi prorſus ſimilis, ut nec ovum ovo, nec lac lacti eſſet ſimilius. Per vices etiam per utrumque, interdum ſimul urinam excernebat. Teſtes, ſcrotum & cætera omnia nihil à conſueto naturæ receſſere, in penis quoque conformatione non niſi duplici numero peccaverat Natura. Vidit hunc Priapi nepotulum eruditiſſimus *Petrus Schumacherus*, amicus noſter, ut in literis ad me teſtatur.

HISTORIA XXIII.

Teſtæ ovi Uſus in calculo.

PRo calculo ſive frangendo ſive expellendo ſingulari ſucceſſu exhibentur putamina ovorum excluſis pullis. Inter ſecreta ſua hoc lithonthripticum multi numerant. Teſtas ovorum quaſ-

cunque

cunque in pulverem subtilissimum redactas non semel vidi optato eventu cum Aqua Juniperina propinatas. Rationem qui desiderat, forsan ex sequenti experimento eruet. Si ovum recens suo putamine tectum vini seu Gallici, seu Rhenani cyatho immergatur, postridie totum vesiculis aqueis conspersum invenietur, exinde extractum novo cortice fusco obducitur, cui adhærent salia crystallizata, nullo sapore prædita. Cortex ille novus abradi potest, ex tartarea materia, calcis instar, conflatus. Extrahuntur hoc artificio fæces vini, sive mangonio œnopolarum, sive vitio soli ibi congestæ, unde vinum purum putumque redditur & salubrius, quod sine damno ægri potant.

HISTORIA XXIV.

Cetorum genera.

VAria Cetorum seu Balænarum genera adduxerunt *Gesnerus, Aldrovandus, Ionstonus, Schoneveldius* ex Huberti Langueti & Harteny relationibus. Catalogum accuratiorem hic texam cetorum, quæ in portubus & finibus Islandiæ nostræ, nostra memoria vel capta sunt vel visa, ex Manu scripta historia Piscium Islandiæ, quam ex Islandia Pastor curiosus ad Magnum nostrũ *VVormium*, nunc cœlitibus adscriptum, nuperis annis transmiserat cum singulorum iconibus, datâ industriâ,

duſtriâ, ut operæ parcerem, hic omiſſis.

Primum genus *Hniſa* dictum, tres habet ſpecies. Prima Hniſa eſt duarum ulnarum, altera Hniſa quatuor ulnarum, tertia Hniſa, Hofrungsniſa vel Hofrung, ſeptem, octo, & novem ulnarum. Hoc genus balenarum ſæpiſſimè ibidem viſum, dentatum, eſtque ſecundum quorundam ſententiam idem cum Haskardingur, cujus codex legum Islandic. mentionem facit.

Alterum genus *Haa Hyrningur*, ab alto cornu dictum, ulnarum octodecim, quod codex Legum vocat Hafuehual, cete capri, fuerat enim res valdè controverſa, cederene deberet illius terræ poſſeſſori in qua inveniebatur, an verò ei qui conduxerat terram.

Tertium *Hnydingur*, minus eſt, & majus. Inter majora quædam decem, nonnulla 20. ulnas æquant. Magnas Balenas dentibus petunt, iisdemque fixi adhærent, donec viribus exhauſtæ moriantur, licet non rarò permulti intereant, priusquam victores recedant. Dentes habent inſtar canum, quorum magnitudo moli corporis reſpondet, reliquasque balenas ita inſequuntur, ut canes cætera animalia. Sæpe ab hominibus fugantur & ad littora compelluntur.

Quartum genus *Skialldhualur* (à macula alba ſcutum referente) ulnarum XVIII. Midamialgur, à mid, loco, quem piſcatores à piſcibus præ reliquis amari frequentariq; obſervant, & mioll, quod

quod candidissimam & nondum condensatam nivem notat. Hoc genus Balenæ vocat speculum Huytinga, album, crediturque injuriam sibi illatam post 18. annos ultum esse.

Quintum *Vognuhualur*, Quidam Vagna appellant ob natandi modum. XV. XVI. XVII, ulnas longum. Hoc genus Ceti valdè preciosum est, ascenditque facilè terram si navibus & lapidum jactu urgeatur, nunquam enim nisi coactum, unum alterum deserit. Quodam tempore 40. simul offendit Pastor loci, omnesq; in littora Biarnoensia coegit. Ex respiratione inæquali facile dignoscitur. Haud celeriter natat ob pinnas difficiliores, sed pedetentim, velut phocarum genus quod resupinũ fertur, dimovetur convolviturq;.

Sextum *Andhualur* seu Andarnefia, quod rostrum habeat anati simile. XV ulnas, quæ maxima est longitudo, non excedit.

Septimum *Suinhualur*, sive Durner XXX cubitorum. Maximum XXXV ulnas assequitur. Hic cetus, ut & Andhualur, inter eos non numerantur, quibus hominibus vesci permissum, eorum namque pinguedinem concoquere non possunt, aut ullum aliud animal, penetrat enim omnia. Hic Durner dentibus præditus est optimis, nisi ob senectutem corrumpantur. Ipsius mortis causa proprii capitis moles plerumque existit.

Octavum *Burhualur*, à gibbo quem in capite habet, seu Nauthualur, ob boatum, LX ulnas longum,

longum, LXX dentes habet, omnes tamen adeo parvos, ut ex illis commode fabricari non possit quicquam, nisi calculi scacchici & cultrorum manubria. Ejus caput oleo repletum est. Immani rictu non aliter ac Bos horrendum edit boatum. Duas habet fistulas longè invicem distantes, quibus fit ut duplicem, cum respirat, in aerem mittat fumum. In plano ejus capite gibbus prægrandis, instar domunculæ eminet. Hinc credo sperma ceti copiosius exscindi, quod in Insulis Ferrensibus olim vidit socer meus honorandus Christophorus Johannæus, consul urbis nostræ spectatissimus. Naviculis damnum non infert ullum.

Nonum *Raudkemlingur*, à rubra crista, viginti cubitorum longitudine, humani generis hostis insatiabilis.

Decimum *Hroshualur*. Superiori haud absimile, mira humanæ carnis orexi laborans, cum ex mari in aerem prosilit, grande quod habet supercilium demittitur, oculumque ipsi obturat. XX ulnas in longitudine habet. Ab hominibus non comeditur.

Undecimum *Narhvalur*, à Nar cadaver, nam ipsius caro si comedatur, mortifera est. Innocens & pacificum, ea propter naviculis non metuendum. Dentem habet prægrandem VII. ulnas longum, cujus tota corporis moles in longitudinem XX. ulnarum protenditur. Hunc dentem

dili-

diligentissimè à sordibus & omnibus injuriis defendit, niveo est colore, & in morem cochleæ striatus, crediturque multis pollere virtutibus, quod reapse verum deprehendimus, ut supra Hist. IV. annotavimus. Verum si ullum animal hujus ceti carnis vel minimam gustaverit particulam, velut veneno hausto, continuo exspirare creditur. Contrarium tamen habet relatio Hartenij, & aliter observatum quoque in Islandia Anno 1650. in eo cujus cranium dono serenissimi Regis nostri in Musæum Wormianum transiit, ex eo enim sine periculo Islandi comederant. Pinguedo ollæ infusa, & igni imposita, evanescit, quod aliter se habere, nunquam ullus inveniet.

Duodecimum *Skieljungur*. à testis quibus depictum est, LX ulnarum longitudine, pingue est & hominibus esui aptum, omnium tamen Cetorum qui ab hominibus consumuntur, naviculis periculosissimum. Ex nimia superbia & feritate, naves evertere studet, quas vel pinnis percussurus aggreditur, vel in via qua necessario navigandum est, immotus præstolatur, ut necessum habeant, aut in illum impingere, aut intrepide obviam ire, & si fieri potest malum declinare, eumq; intactum præternavigare. Asperis testis non secus ac rosis aut stellis exterius ornatus est & depictus, velut reliqua Sletbakorum, qui pinnis in dorso carent, genera, quæ vulgo Ceti aquatici nuncupantur, sed minus proprie, excepto Nordhual, qui solo rore victitat.

De-

Decimumtertium *Hoddunefur*, ab incurvo roſtro, ſeu Slettebackur. minor XXXV ulnas longus, omnium ſæpiſſime captus & inventus. Hujusgeneris, ut & reliquos Sletbakos, qui eſui apti ſunt, venantur Hiſpani & Galli. Ipſorum lardum incorruptum aſſervari non poteſt. Quamprimum enim in fruſta diſſecatur, ſive ſuſpendatur, ſive in ſolo collocetur, in oleum reſolvitur. Unde fit ut hujuſmodi carnis fruſtulum quod pondo Iſlandicum majús pendet, 24. tantum aut circiter ſolidis veneat. Hic 500. in roſtro corneas laminas habet, omnes tenues quinque cubitos longas, ſed leviter velut glutine cohærentes, quibus ſartores noſtri utuntur in veſtibus conſuendis.

Decimum Quartū *Nordhualur*, Cetus non immerito aquaticus appellari ſolitus, LXXX ulnas longus eſt totidemq; craſſus, cujus corporis maximam partem caput conſtituit. Noſtri mercatores ex ſola lingua XVIII tonnas olei exprimunt. Corneas laminas XIII. ulnarum longas habet, ac carnem præ reliquis opimam. Solo rore creditur vivere, omnes tamen Cetos lardi copia ſuperat: Sed quantū ad adipem & oleū quod ex oſſibus confici ſolet, Balenas quæ Reidar ſeu Reinguſiskar (à ventre corrugato, quod carnis mediocriter pinguis indiciū eſt) nuncupantur, non adæquat. Si rictum nimium expandit, ſæpe moritur, tunc enim laminæ corneæ, quibus præditus eſt, ipſi per fauces

trans-

transſverſim eriguntur, adeo ut urgente ſiti, os claudere nequeat.

Decimum quintum, *Sandlæja*, quod in arenis quieſcat, viginti aut fere triginta cubitorum longitudine, arenis impensè gaudet, minutiſſimos enim piſciculos, qui eos pervadunt, avidè quærit. Laminis corneis inſtructa eſt, & quanquam ab hominibus comedatur, nec grati eſt ſaporis, nec admodum pinguis. Vita difficulter ſpoliatur, lenta enim morte inſtar Phocæ perit. In terra libenter quieſcit. Si in arenis deprehendatur, inacceſſa manet, arenas enim undequaque turbando, mirum in modum commovet. In anguſtias verò ſinuum vi fluctuum pulſa, ſpiculis non raro tranſfoſſa occubuit.

Dicimum ſextum *Hrafn-Reidur*, à carvo denominatum, XVIII. cubitos longum, Reidarum omnium minimum.

Decimum ſeptimum *Geirreidur* in longitudinem 50, ulnarum extenditur, interdum longius.

Decimum octavum *Sildarreki*, halecum pulſor, LX cubitos longus, judicio & ingenii ſolentia philoſophus. Haleces aliaque piſcium genera ad piſcatores compellit, qui ſi diſcordes invicem facti pugnaverint, omnia ex tranſverſo in altum maris pellit. Ob hujuſmodi commodum, nefas olim erat hunc Cetum vexari. Delicatus admodum eſt, & pinguis.

Decimum Nonum *Haffur-Kitte*, maximum LX cubitos, minimum L longum, hoc præ reliquis Reidis peculiare habet, quod adipe plenum sit, mediocri pinguedine, saporis gratia nulli Reidarum cedens. Notandum vero omnes Balenas, quæ à carne mediocriter pingui & ventre corrugato, Reinguhualur vocantur, pinnam in dorso ad similitudinem cornu erectam & acuminatam habere, earumque lardum, vel diutissimè asservatum, oleum non effundere, aut ullo modo corrumpi.

Vigesimum *Hafreidur* apud Islandos in littora dejectum 50 cubitos longitudine superavit. Steipireidam quoad staturam, pinguedinem & reliquas virtutes proximè accedit. Omnes hujusmodi Reidæ & *Reinguhualur*, laminas corneas breviusculas habent & latas. Carne jugulo subjecta præditæ sunt delicatissima, quæ digitis avelli & in pastillos redigi potest, instar butyri recentis optimi. Igni admoveri non debet. Quapropter hujusmodi carnis arefactæ pondo Islandicum majus, duobus thaleris simplicibus venit. Ex lardo puro & paululum aëri exposito duabus marcis. Sed lardum & intermediæ substantiæ caro, simul sumpta, pendens tria ejusmodi pondo, thalero simplice emitur.

Vigesimum primum *Stepireidur*. Hæc Sancta Balena vocatur, defendit enim naves à malorum cetorum injuriis. Sapiens est & virtutibus ple-

plena. Speculum Islandicum testatur eam quæ maxima est, 130. ulnas longitudine superare, quanquam adhuc longior inveniri possit. Ex hujus Balenæ anteriore superioris maxillæ parte, usque ad fistulam dissecta caro, nostro tempore 50. pondera Islandica majora ponderavit. In Aquilonari verò Islandiæ parte, inventa est una, cujus universa caro pondo 800. pependit. Hujus belluæ sperma, ex nimia copia effusum, contra lepram, oculorum infirmitatem & plerosq; morbos, qui humanum corpus infestare solent, efficax esse creditur medicamentum, & quamvis multi sint pisces cetacei, quorum sperma commendatur, nullus tamen hujus semen viribus æquat. Carnem habet circa maxillas preciosam, Kialkameidur appellatam, sed apud jugulum adhuc delicatiorem, Kuerkmeidur dictam: Illa verò carnis substantia quæ Bakmeidur vocatur, in omnibus cetis qui edules sunt, pinnam dorsi in modum cornu erectam ambit.

Vigesimum secundum *Hafgufa*, vapor marinus, quibusdam Lyngbak, quod ejus dorsum Ericeto sit simile. Extat historia de Episcopo quodam Brandano, qui in hujus belluæ dorso tabernam fixit, missam celebravit, & non multo post hanc, ut putabant, insulam submersã esse. Quando cibũ capere constituit, quod semel tantũ in anno contingit, horrendum emittit ructũ, quẽ tanta sequitur fragrantia, ut omnia quæ in

propinquo ſunt piſcium genera, ad eum congregentur. Ipſe verò rictum aperit, quem inſtar ſinus aut freti catervatim intrant. Quo ſtratagemate omnes capiuntur. Terram potius, quam Balenam ſimilitudine refert. Duo tantum eſſe exiſtimantur, ſed non multiplicari, alias metuendum eſſet, ne victus aut locus ipſis ſuffectura eſſent.

HISTORIA XXV.

Anatome Hydropicæ.

NObiliſſima quædam apud nos Matrona diu graviterque tumidum ventrem geſtaverat, qui nullis remediis præſtantiſſimorum Medicorum ceſſit. Mortuæ nuper cadaver privatim aperuit *D. Paulus Moth*, amicus meus integerrimus, reperitque ſingularem interiorum conſtitutionem. Levi vulnere in hypochondrio dextro inflicto, copioſiſſima aqua effluxit velut ex fonte, quæ mediam noſtram tonnam facilè impleviſſet. Poſtea ampliato vulnere & per medium diſciſſo abdomine reliquum evacuatum ſpongiis inter peritonæum & inteſtina, quæ curioſius inveſtigaturus, nulla invenit, ſed membranam denſiorem protenſam ob oſſe Xiphoide ad inguina uſque univerſum ventrem inferiorem tegentem, venis copioſis & amplis refertam

fertam ut placentam uterinam æmula vasorum copia referret. Ex quibus copiosus ichor ad hydropem exsudarat, Unde toto curationis decursu nunquam tentata diuretica, alias proficua, quicquam seri eduxerunt, aut morbum levarunt. Hac membrana resecta, demum in conspectum prodierunt & reliqua desiderata abdominis viscera. Sed in dextra parte ad hepatis regionem membranæ adnatus erat abscessus magnus pure fœtido repletus, unde de dextri lateris dolore ægra sæpius conquesta fuerat, nec in illud latus decumbere potuit. Tres alii abscessus seu vesiculæ minores inferiorem membranæ partem occuparunt prope inguina, sed necdum ad maturitatem perductæ, discissæ enim aquam continebant. Lien quoque apostemate infectus pressusq; puris copiâ effundebat.

Historia XXVI.

Corona Urinæ.

NOn prorsus damnanda est corona lotio subinde innatans, quia affectus capitis solet demonstrare. Nam licet oriatur quidam circulus ex vitri reflexione, quod observavit *Platerus* Quæst. Med. 70. tamen præter illam umbram, quæ discerni potest, alia corona nonnihil differens, observatur in ægrorum lotio, de cujus

judiciis & differentiis tractant *Actuarius* l. 2. de Jud. Ur. c. 15. *Fr. Ioel* L. 4. f. 3. n. 38. Corona autem ista caput respicit, quia supremo loco effertur, ex quo serum ad vesicam amandatur. Dolet interdum caput, quanquam non doleant reliquæ partes, unde serum suum effundit dolore pressum. Cur autem Matulæ supremam occupet partem, ratio in obscuro, nisi quod leviora omnia suprema petant, sicut in corpore, ita & in matula. Multa sacro tegit involucro Natura, & plurima ex eventu sine ratione scimus. Experientia nos docuit, coronas urinæ affectuum capitis esse indices. Videmus in magnis febribus, si parum doleat caput, coronam parvam esse, in febribus parvis cum ingenti dolore capitis magnam quoque esse lotii coronam. Nuper admodum Epileptici Nobilis præfui curationi, cujus lotio innatabat semper corona finito paroxysmo trepidans, colore vario, cæruleo, flavo, & pennarum pavonis æmulo, qualis alias non comparebat urina quando ab insultu hoc per vices liber erat. Caput hic affectum, nulli dubitamus, & pulsatio frequens, dolor, vigiliæ, mœstitia, aliaque signa indubiam fidem faciunt, unde per crisin quandam materia morbifica ex capite ad vesicam protrusa fuit, & in suprema urinæ parte in circulum à lotio prorsus diversum coarctata.

HISTO-

Historia XXVII.

Anatome Gravidæ.

Gravida quinto menſe Mulier paralyſi totius corporis inferioris à coxis ad extremos pedes tentatur. Propter longam in decubitu moram gangræna nates de repentè occupat, qua generoſioribus remediis ablata, quum nulla ſpes vitæ ſuperſit, calore nativo à fœdis evaporationibus infecto, prorſus deficiente, ad extrahendum fœtum quinquemeſtrem, cujus nuper motum ægra Mater ſenſerat, operas ſuas manuſque certatim conferunt Medici pariter & Obſtetrices. Hæ igitur immiſſa manu nullum fœtum in utero adeſſe clamant, niſi molam fortaſſis: At peritior Medicus, tumorem ſtatim deprehendit ex inteſtino recto fæcibus induratis repleto, ad uterum verò progrediens nulla vi manum intrudere poteſt. Mortuæ cadaver apertum, viſumque os uteri arctiſſimè clauſum, fœtuſque optimi coloris & habitus in utero mortuus, nec vicinarum partium fœditate ulla parte putridus, membranarum uterique denſitate inter tot moleſtias tutus.

HISTORIA. XXVIII.

Anatome calculosi & herniosi.

CAlculus in veſica exploratur ſyringe vel candela cerea. Interdum tamen id remedii exploratorii genus Medicos fallit, quando calculus ſubterfugit & remotiora petit loca. Nam Venetiis quendam herniosum novit viditque *Io. Dom. Sala*, Præceptor olim & amicus noſter, cui omnia ſigna calculi veſicæ videbantur adeſſe, nec tamen catethere aut candela potuit deprehendi. In mortui cadavere calculus cum ipſa veſica, unam ſcroti partem impleverat, inteſtina omnia tenuia alteram, adeò ut ſemper calculus introrſum in ſcrotum ceſſerit & exploratores ſuos deceperit.

HISTORIA XXIX.

Tympani ruptura.

MUlier honeſta Hafnienſis, auriſcalpio aurium ſordes expurgatura, per imprudentiam accurrentis ancillæ perculſa, ſtilo profundius adacto tympanum auri prætenſum diffregit, unde auditus illi poſtea remanſit difficultas. Frequens infortunium in Italia, ubi ſtudioſiſſimi barbitonſores in tonſtrinis ſuis aures ſolent

à ceru-

à cerumine mundare, lædi fubinde tympanum & inflammari, à quo metu pauci evadunt nitoris cultusque studiosi. Læditur & à vehementi bombardarum, campanarumque sonitu, quod malo suo milites aliique experiuntur. Cur auditus lædatur, in promptu causa est, non tam quod medium sit soni, quam quod membranæ huic affigatur malleus, cujus motu pereunte, auditus hebetetur. *Mullerus* tamen apud *Horstium* Patrem lib. 4. part. 2. Obs. 7. pag. 345. observavit tympanum putrefactum sine auditus læsione, quod juxta cum illo miror: Neque enim tantum ingenitus aër exhalat, medium idoneũ deficit, auditus officula quiescunt; Sed nervus auditorius externis injurijs omnibus patet.

Retulit mihi amicus, Vir Doctus, vidisse se puellam tanto dolore capitis vexatam, ut ex osse petroso tria officula auditus, incus, stapes & malleus exsilierint, magno sequentis ætatis auditus incommodo.

HISTORIA *XXX.*

Anatome Gulonis.

GUlo animal in Lithuania & Moscovia frequens, quod Germani Vielfraß / Sueones Lerff appellant, *Olaus Magnus* ad imitationem Germanicæ vocis Gulonem vocavit. A *Matthia*

Michou lib. 2. Sarmatiæ Europeæ ita describitur. In Lithuania & Moscovia est animal voracissimum & inutile, quod alibi non comparet, Rossomaca nominatum, magnitudine canis, facie cati, corpore & cauda vulpis, colore nigro, vescitur cadaveribus. Invento cadavere tantum vorat ut extendatur & inflectur tympani instar: Itaque angustiam aliquam inter arbores ingreditur & per vim seipsum intrudit, ac ventrem premens stringensque exonerat, ut violenter ingesta, violentius egerat: sic extenuatum rursus ad cadaver properat & rursus impletur, ita ut vicissim de cadavere quantum potest devoret & excernat donec totum absumpserit. Historiam illius breviter concinnavit *Apollonius Menabenus.* Figuram ex Olao mutuatus est *Gesnerus* l. 1. de Quadrup. Sed ipsi non viderunt. Animal ipsum *Io. de Laet.* Vir celeberrimus & amicus, dum vixit, mihi suspiciendus, olim secari vidit à *P. Pavio*, in quo, ut mihi testabatur, præter admirabilem cum humano corpore similitudinem, hæc tria admiranda observavit.

1. Ductus umbilicalis nusquam apparuit, unde mirabantur, quomodo in utero nutrimentum possit accipere.

2. Cum omnia bruta ligamento suspensorio Jecoris ab homine differãt, hujus animalis jecur validissime ligamento diaphragmati nectitur, ideoq; etiam cum hominis interna jecoris constitutione consentit.

3. Cum

3. Cum intestina tam humana quam brutorum, partim in tenuia & crassa, partim in sex partes dividantur; in hoc bruto nihil tale apparuit; Sed Intestinum ab exortu usque ad exitum undique sibi simile figura inventum, nec formam ullo pacto mutari, quæ causa est, quod hoc brutum ingesta compressu abdominis egerere possit, quum & cœco careat intestino, & reliqua recta sint.

Historia XXXI.

Prognosticum Lethale.

Prognostici lethalis meminit *Petrus Pachequus* Medicus Lunellensis eruditus Obs. 26. apud *Cl. Riverium* in Appendice Observationum elegantissimarum; Si nempe ægroti non sint similes atavis, avis aut parentibus in sano statu, at in morbo eos referant. Probat id de filio D. Engarrano, & nepte sua. Idem passim observavi in plurimis, evenitque filiæ meæ Annæ Margarethæ, quæ sano statu facie vultuque non referebat aviam maternam, at instante fato, diarrhæa maligna prostrata, prorsus illi similis de facie videbatur. Unde mœsta Mater, conjunx mea charissima, certum instantis mortis cepit augurium.

Historia XXXII.

Periculosa tumulorum apertio.

MAgna passim in collibus patriis monumentorum antiquorum est copia, quæ per saxa eminentia & cippos peregrinantibus obvia sunt, quorum quædam aræ erant Paganorum, sacrificijs Deorum dicatæ, quædam sepulchra feruntur gigantum & Principum Virorum, quibus effossis urnæ sepulchrales cum ossibus & cineribus defunctorum eruuntur. De hujus modi monumentis fusus est pariter & eruditus *Olaus Wormius* heu quondam noster, in Monum. Danicis ære perennioribus, nec quidquam addo. Apud vulgus nostrum superstitio potius quam religio est, sine damno monumenta ista tot seculis clausa, aperiri non posse, tantaque devotione colunt ista & inviolata servant, ut pro certo sibi persuadeant, cæcitatem illi imminere, qui ausus sit aperire. Parens meus memoriæ beatæ, curiositate ductus colonos suos vicinum monumentum jussit effodere. Recusabant illi imperium, oculis suis metuentes. Ille verò, ut hujusmodi superstitionem eluderet, primus ligone opus agressus est, sicque reliquos ad perficiendum animavit. Nulla parenti cæcitas oborta inde est, sed tamen nescio quæ caligo oculis obver-

obversabatur, brevi deinde dissipata, sive calore motu excitato, sive ex vaporibus longo seculorum decursu in tumulo delitescentibus. Invenit in hoc collo urnam sepulchralem cum cineribus & ossibus defuncti. Plurimis aliis curiositas illa sepulchrorum exitio fuit, in quibus tetri vapores occlusi vel vertiginem vel syncopen ipsamque mortem intulerunt. In cujus rei fidem dignissima est Lectorum oculis historia à *Fortunio Liceto* sene incomparabili, Amico nostro honorando non ita pridem descipta l. *de Annul. Antiq.* c. 23. hic iterum recitanda: In medio Cathedralis Ecclesiæ Palvæ Novæ (munitissima Venetorũ in Foro Julio arce) sepulchrum amplum excavatum est ad humanda cujusq;generis humana cadavera, proindeque profundum ad surgentis aquæ scaturginem, quæ defunctorum putredine coinquinata tetris, & crassis admodum vaporibus caveam replebat, nam ad centum fere busta continebat, & quum ante sex menses non esset apertum os tumuli, A°. 1638. die 19. Aprilis circiter horam primam noctis, dum sepulturæ daretur Jacobus quidam famulus Illustrissimi D. Francisci Badoarij Thesaurarij, à tribus Vespillonibus, Joanne Ripa, Francisco Mauro, & Joanne Hortulano; Ripa descendens in criptam per scalam, vel ut solveret cadaver à reste, vel potius ut ipsum spoliaret indumentis, illico suffocatus interiit. Animadvertentes

tentes postea socij Ripā nec eloqui, nec adscendere de sepulchro, post aliquam temporis intercapedinem Maurus & ipse descendit in foveam auxilium Ripæ laturus, existimans eum occupatum esse in extricando funiculo, quo vinctum fuerat cadaver, aut illi mali quidpiam accidisse. Hoc etiam neque vocem edente, neque sursum adscendente, timor præsentes invasit, & inde plebecula vocem tollere. Sed Joannes Hortulanus ille tertius vespillo clamavit intrepide, volo quodvis ego periculum subire in auxilium meorum comitum, & signo crucis munitus ait, Domine DEUS vobis commendo filios meos, & hoc effatus descendit scalam. Circumstantes animadvertentes etiam hunc post certum temporis intervallum nihil dicere, nec ascendere, confusione stuporeque capti, nonnulli currerunt ad nunciandum facinus Illustrissimo & Excellentissimo D. Bertucio Valerio Generali illius temporis, qui auditis quæ acciderant, censens ab aëre intra sepulchrum corrupto & putrido Vespillones interemptos fuisse, ad tetrum & crassum aërem attenuandum & utcunque purificandum jussit in criptam displodi simul pleraque tormenta bellica, quos Moschetos vocant, & mane proxime sequenti jussit è sepulchro tres illos Vespillones extrahi, ut in eorum corporibus inquirerentur indicia, si quæ forent, adeò repentinæ mortis. Injun-

ctum

ctum fuit id muneris cuidam Francisco & socijs, quorum nomina latent: hi longioribus uncis hastatis eduxerunt vespillonum corpora, in quibus nihil aliud quam insignis nigredo conspici potuit. Exposita fuere tria ista cadavere mane præ foribus Ecclesiæ, quibus postea solita exequiarum solennia celebrata sunt, & alio loco sepulturæ tradita, nec ullus operariorum, aut assistentium quidquam detrimēti perpessus fuit. Medicorum opinio fuit, aërem clausum in sepulchro, sine debita ventilatione computruisse veneficamque qualitatem contraxisse, aut admistione crassiorum vaporum adeò densum evasisse, ut respirationi penitus ineptus continuo viventes illos in sepulchro suffocaverit. Et observatum fuit à circumstantibus, tertium illum Hortulanum statim ac in descensu faciem habuit sub fornice caveæ, loqui voluisse, verum nequivisse, sed illico de summo scalæ præcipitem in imum foveæ cecidisse. Sepulchrum obturatum fuit, & ita supernè lapidibus constratum, ut nullum ambulantibus appareat ejus vestigium. Certè malus hujusmodi tetérque vapor cadaverum, plurimorum in Republica morborum causa est. Vespillones id testantur, quos rarò vivido colore videas, unde perniciosus est in orbe Christiano mos sepeliendi infecta cadavera in urbibus, imo quod pejus in templis, quo confluunt religionis gratia mor-

mortales, ut pro ſalute mortem reportent. Invehitur in hunc morem *Andreas Rivetus*, in Epiſt. ad Amic. de Peſte, lectu digniſſima, probatq; ab omni antiquitate & humanitate alienum eſſe, paulumque abeſſe eorum moribus qui fontes publicos inficiunt. Apertis monumentis vetuſtiſſimis tetros vapores exortos, & ipſam peſtilentiam humano generi incubuiſſe, alij prodiderunt. Quid de novis dicam, quibus recentia cadavera maligna committuntur, quæque in publico conventu ſæpius aperiuntur. Ita multi innoxiè pereunt, dum nimia vel humanitate vel pompa inveterata peccamus, vel fanorum lucro inhiamus. *Angelutius* l. 1. de Febr. Malign. c. 2. auctor eſt, Romæ Gregorio XIII. Pontifice, cum plures unus poſt alium in puteum putris & antiqui limi pleniſſimum deſcendiſſent, ſingulos momento extinctos eſſe, ſuccenſis verò ignibus evanuiſſe putrem ex cæno halitum. Alia in eandem ferè ſententiam exempla congeſſit *Dan. Sennertus* l. 6. Prax. part. 3. c. 2.

HISTORIA XXXIII.

Venæſectio & Fontanella in Dorſo.

RAra venæ ſectio in dorſo, quia partim craſſior ibidem cutis, partim venæ obſcuriores, partim deniq; quia majori emolumento videntur

dentur

tur aperiri venæ sive jugulares sive brachij, quæ communi trunco junguntur. Sunt tamen qui venarum in dorso suadeant sectionem, præsertim in capitis affectibus In Tetano aliisq; colli convulsionibus, ut & in Epilepsia secare venam quæ in prima dorsi vertebra conspicitur elata, author est *Rondeletius* l. 1. Meth. cut. morb. c. 37. Nec aliter sentit *Mercatus* qui l. 1. de Intern. Morb. Curat. c. 15. Oper. Tom. 3. in convulsione ex crassis viscidisq; humoribus orta, præsertim Tetano venam quæ in prima dorsi vertebra eminet in dorsum usque ad sacrum os per summum vertebrarum spinæ perreptat, ex aliorum auctorum fide jubet scindi, qua scissa per derivationem à collo quidquid humoris pituitosi musculos convellit, extrahatur. Obscura ea vena nec cuivis patula propter exilitatem. Certè per musculos externè reptat, & dignitate cedit axillari, quam nollem illi postponere in casu ancipiti. Ductus hujus venæ non usque obvios sibi curiosius perquirenti privatim ostendisse Patavij *Adrianum Spigelium* celebrem Anatomicum, *Io. Rhodius* noster, delicium Musarum, in Analect. ad Septal. Caution. l. 6. §. 76. testatur. In dorso affigi cucurbitulas, tam notum est omnibus, quam olim Martis lucus. At cauteria illi inuri seu fontanellas, nusquam innotuit ullorum scriptis. Nemo enim chirurgorum aut Medicorum ultra tertiam aut quartam cervicis


vertebram progreditur. Novi tamen Virum Nobilissimum in patria, qui fontanella dorso inusta inter primam secundamque dorsi vertebram, à metu phtiseos, quam defluxiones à capite minabantur, nihil aliis proficientibus, liber evaserit, & sanus jam, laus Deo, vivit floretque.

HISTORIA XXXIV.

Orbes Majores Marini.

ORbis majoris piscis genera duo vidi ex Oceano nostro Septentrionali advecta. Prius solo ferè capite constat, caudaque lunata pinnis ordine in semicirculum dispositis, nomen Lunæ apud *Rondeletium* meruit. Alterum ex Islandia nuper missum, mihi societatis Islandicæ Præfecti Amplissimi donarunt, & à priori & ab aliis *Gesnero*, *Aldrovando*, *&c.* descriptis diversum. Piscis hic insignis est magnitudinis, quippe spithamas meas XII. in circumferentia æquat, orbicularis, capite salmonis, sine dentibus, cauda bifurcata scombri instar, pinnam unam habet in dorso eminentem, in pectore similem & utrinque ad latera unam. Squamosus est, unaq; corporis parte argenteo colore resplendet clarissimè, altera aureo. Squamis derasis variegata subest cutis, lyncis instar, maculis multis rotundisque distincta. Caro illi densa, colore & odore

odore ſalmone ſimilis, pinguis, pauperioribus ad eſum expetita, nec ingrata. Rudiorem ideam hic ſubjiciendam curavi.



HISTORIA XXXV.

Scabies poſt Quartanam.

QVartanam ichore per ſudores evaporante ſubinde terminari, quotidiana obſervamus

experientia. Crassior is si sit, loco sudoris, exanthemata & pustulæ in cute prorumpunt. Notat *Platerus* l.2. Obs. p.546. post quartanam cuidam Religioso Anno 1598. in universo corpore erupisse pustulas rubras, è quibus disruptis serosus humor effluebat, quæ tandem crustis obducebantur. Doctor Medicus apud *Ballonium* l. 2. Ephem. §. 15. certo affirmavit, vidisse se quendam quartanarium, cui in decursu febris ulcuscula toto corpore paruerunt maligna, quæ deinde frictionibus ex hydrargyro sanata cum febre. Capuccinum Patavij 1640. vidit *Bened. Sylvaticus*, Medicus summus, quem nunquam sine admiratione prælegentem audivi, qui scabie per totum corpus erumpente à quartana liberatus est. In obstinato igitur morbo cutis spiracula diligenter servanda sunt aperta; inprimis imminente paroxysmo, ut si hanc viam elegerit Natura, morbosa materia facilius qua data porta egrediatur, quod multis saluti fuit.

HISTORIA XXXVI.

Hæmorrhagia in Prægnante.

JUvencula Uxor Mercatoris Hafniensis, boni habitus & animi, septimo graviditatis mense incidit in hæmorrhagiam narium satis copiosam, quæ per biduum perseveravit, continuò san-

ſanguine ſtillante, ut ſedari nulla arte potuerit: tertio die vomitus ſanguinis liberalior ſucceſſit, unde paucis interjectis horis vivere deſiit. Non carebat fluxus malignitatis ſuſpicione, quum eadem tempeſtate malignæ febres in urbe graſſarentur, quibus hujuſmodi ſymptomata ſolent ſuccedere, & niſi ſupprimantur, plerumq; conclamatum eſt, quod in variis peſtilentiis & febribus peſtilentialibus alij obſervarunt.

Historia XXXVII.

Conceptus ſine menſium ordinato fluxu.

RArò utero concipiunt mulieres, quibus ſeu morbo ſeu vitio nativo menſes non fluunt, aut nuper non fluxerunt. De Muliere tamen quadam Patavina conſultantes Medicos audivi, cui menſes duobus olim annis continuis defecerant, quæ poſtea gravida filium enixa eſt ſanum. In puerperio largius expurgatis lochiis, iterum ſubſtiterunt ex eo tempore menſes, ad binos ſequentes annos, ubi rurſus imprægnata gemellos peperit. Nec exinde conſuetos Naturæ fluxus paſſa eſt, quanquam ſubinde albus fluor fuerit moleſtus. Alterius hiſtoriam mihi retulit Excellentiſſimus *Sala*, Doctor noſter, mulieris, quæ per ſeptem annos menſtruas nullas habuit evacuationes: Tandem venter intumuit.

muit. Existimans illa morbum alium seu obstructionem subesse, & venam sibi secari jussit, & purgantia aperientaq; validora sumpsit. Impleto gestationis termino, enixa est puerum robustum, diu superstitem, in duello deinde occisum. Novi mulieres quibus ante conceptionem nunquam comparuerunt menses, virginesque nuptas quanquam menstruatæ nunquam fuerant, prole tamen familiam auxisse. Causa est, quod vel sanguis in illis superfluus non sit, qui expurgari debeat, vel quod angustiores sint venæ uterinæ, quæ calore deinde in conceptione aucto dilatantur & aperiuntur.

HISTORIA XXXVIII.

Vasa Lymphatica Capitis.

VAsa Lymphatica in abdomine, thorace, & artubus hactenus innotuerunt. Solum caput iis carere præter æquum & fas visum est. Est quippe caput sedes humidi, & aquosis excrementis sæpe plenum, arteriisque refertum, ut quanquam patentibus palati, narium, pororum ductibus quotidie sic satis expurgetur; tamẽ communi cum reliquis ventribus lege gaudere debeat, iisdemq; vasis quæ per corpus reliquum dispersa notavimus. Hactenus tamen accurata diligentia nihil comparuit, quod nomen hoc meruerit, quanquam suo involucro ibidem

delite-

delitescere, non ausi sumus dubitare. Pauciora tamen sint necesse est, partim quod emunctoriis aliis abundet caput, partim quod cum recurrēte per venas jugulares sanguine serum inferiora petat, partim deniq; quod phænomena morborum id evidentius testentur. Propter istam enim Lymphaticorum paucitatem aqua sæpe principio nervorum imminet, Paralysin, Apoplexiam, soporem, stuporem, aliasq; nervoso generi inimicas affectiones inducens. Testantur etiam Variolæ, nostris seculis quā antiquis notiores, ichoris plurimū caput occupare. Quærunt eruditi, cur variolæ caput frequentius & copiosius infestent, quod damno suo puellæ experiuntur? Triplicem affert rationem *Mercurialis* Doctissimus l. 1. de Morb. Puer. c. 2. sed meo judicio non satis aptam. Primò inquit, in genis cutis ferè sine carne ossi adhæret. Certè major carneæ molis cōgeries in facie cernitur, quam occipite, in quo tamē parciores, quam in facie, variolæ apparent, & ista ratio de ulcerum curatione validior quā de eorundem copiosa generatione, cujus causam inquirimus. Altera ratio, à facultate naturali in facie infirmâ, valdè est infirma. Robustam illam esse in facie, vividus color testatur, & sanguinis ubertas roseo tingens genas colore. Hi autem variolis citius tentantur, quam pallidi, quam macilenti. Tertia ratio minus stringit: Putrescere enim humores facile in facie propter ossa,

quæ ex ſententia Empedoclis calida ſunt, à vero abhorret. Nam & oſſa frigida ſunt, ſi ad reliquas partes fiat comparatio, & propter iſtud frigus, facilius in facie & denſarent cutem, & putredinem impedirent, & humores ferventes citius in aquam reſolverent velut cohobatione. Verior cauſa eſt cutis in facie teneritudo, quam facilius perrumpunt ichores, unde & in labiis & præputio variolæ quoq; luxuriare ſolent. Quid ſi defectum Lymphaticorum in capite vel exilitatem incuſaremus? Si quidem enim copiam ichoris per ſolennes vias, deficientibus iſtis vaſis, expurgare ex capite nequit Natura, onere preſſa in facie, velut itineris medio, ſubſiſtit. Quod de variolis aquoſis præſertim explicandum eſt, ubi aqua per tubercula partitis locis dividitur, ſicut junctim in Hydrocephalo acervatur. Utilitatem Vaſorum noſtrorum in Capite agnoſcimus. Sed quis deteget deſideratam Obſervationem? Ego certe hanc lampada alijs tradidi, ne ſolus viderer aut Naturæ amaſius, aut invidorum ludibrium. Pace inpoſterum fruar, & alios concertantes, extra teli jactum, ſecurus ſpeculabor. Spes eſt in quiete & innocentia. Prævideo prodituros, qui vota noſtra supplebunt. In capite non infelici ſucceſſu nonnihil attentatum. Invenit pronuper *whartonus* Medicus Londinenſis vaſa quædam in animalium faucibus, ut & *Cl. Gliſſonius* in eleganti Anat.

Hep.

Hep. c. 45. quæ *ductus salivales* appellant, quia salivam tenuem, pellucidam & aquosam in os effundunt, bina numero, utrinq; unum, quæ in omnibus glandularum partibus radices agunt, tandemq; in unum utrobiq; truncum desinunt. Trunci isti, ex Glissoniana descriptione, solâ cute operti, per latera inferioremq; linguæ partem deferuntur, donec ad ipsius ferè apicem pertigerint, ubi prope duorum inferioris maxillæ incisorum dentium radices, papillarum formâ in os aperiuntur. In homine eadem vasa quæsivit invenitque *Cl. D. Ioannes van Horne*, sed breviora, ad mediam maxillæ partem tantum pertingentia, juxta linguæ frænulum, & in duas glãdulas aperta, quod fusius in erudita Disquis. I. de Duct. saliv. th. 6. persequitur amicus. Animati per me Discipuli, Medicinæ Anatomesque studiosissimi, inprimis *G. Segerus*, quem ob modestiam & diligentiam amo, in capitibus brutorum fecerunt experimentum, & vasa salivalia accurate separata meis oculis subjecerunt. Rogatus verò sententiam, non dubitavi pro Lymphaticis vasis habere, gravisusque sum pedetentim in capite inventi nostri veritatem quoque elucere. Conjecturæ meæ suffragatur contentus liquor, qui subinde pellucidus cernitur & aquosus, qualem Lymphatica continent. Nec aliud est saliva, quàm fundunt isti ductus, & quotidie exspuimus. Aqua enim aëre mixta salivæ for-

mam induit, & continuo oris linguæq; motu non mirum eſt lympham iſtam in ductibus ſpiritu impleri & aëreſcere, ut barbare loquar. Hinc ſæpe pura aqua ſputatoribus exit, quum præ copia alterari nequit. Iſta ſaliva maſticationi ciborum inſervit, & præviæ in ore præparationi, quemadmodum eandem vim Lymphæ alibi ineſſe, antea ſuſpicatus ſum. Quod glandulis immiſceantur in ore contentis, res pro Lymphaticis eſt confecta, quorum pleraque glandulis in corpore gaudent. Per hæc igitur vaſa ſui generis, lympha ex ſanguine capitis refluo exſugitur, quanquam necdum commercium innotuerit ſeu cum venis jugularibus ſeu arteriis Carotidibus; Tamẽ mediantibus glandulis id fieri, vero eſt ſimilius.

HISTORIA XXXIX.

Curationes Amethodicæ.

SÆpe multa eveniunt in morborum curatione quæ ad certam rationem fruſtra retuleris, ſæpeq; quia ſigna fallunt & cauſæ occultæ ſunt, à conſueta Methodi via deflectendum eſt, nec quicquid aut intentio animi, aut prudentia exigit, protinus faciendum, judice *Celſo* l. 2. c. 10. Perpetua Medicorum lex jubet, ut obſtructiones reſerentur per aperientia. Experientia tamẽ non-

nonnunquã suadet, ut adstringẽtibus obstructiones tollantur. Notã sibi mulierem mihi testatur *D. Iacobus Ianus*, Archiater Regius, in artis operibus exercitatissimus, Amicus meus magnus, mensium retentione detentam, quæ omnibus aperientibus frustra tentatis, tãdem præter rationem assumptis corticibus granatorum provocavit menstruos fluxus. Memoriæ meæ occurrit Protas Rhetor apud *Galenum* l. 2. Alim. Facult. cui venter post esum pomorum ac pirorum austerorũ dejiciebatur. Adstingentia enim postremo loco sumpta iis potissimũ qui stomachum habent imbecillem, dejectionis sunt causa, ventriculum roborantia, & ad expellendum deorsum, quæ in sese continet, incitantia. An eadem in granatorum cortice ratio, lectori committo. Sæpe tamen ex accidenti multa eveniunt, quæ huic illive remedio adscribimus. De oculi rubore & inflammatione idem Vir laudatus fidem fecit, non semel albumen ovi cum alumine mistum, impositumq; nuchæ, ruborem oculorum feliciter extersisse & delevisse. Aliis repellentia ejusmodi exitio forent, nam attrahentia in nucha magis probantur, nisi forsan adstrictione ista & frigore externo impeditus sit plurium humorum ad oculos fluxus. Vidi ventriculos debiles cibis facilioris concoctionis læsos, sed duriores salitos fumoque induratos sine noxa assumpsisse.

Occur-

Occurrunt nobis quam plurimi, quorum alvus obstinata citius lenioribus medicinis ex Manna movetur, quam purgantibus fortioribus. Multa exempla afferri possent in hanc rem, nisi operæ parcerem. Ut verbum de signis fallacibus addam; curæ Civis Hafniensis interfui, cujus urina sanorum similis, etiam ipso mortis die. Honestam Matronam novi Hystericam, cui urinæ nigerrimæ fluxerunt, brevi tamen sanitati restitutam.

HISTORIA XL.

Alvus nonnullorum obstinata.

UXor cujusdam à me visi, ægra querebatur, quotiens alvum deponeret, in febrem incidisse, quotiens verò per dies duos esset constricta, sanam se & incolumem vivere, materiam verò excretam nigram esse instar Terebinthi. Clysteribus educi jubebam materiam adustam intestinorum volvulis arctius impactam, quam, dum constrictis omnibus musculis summóque nisu excernere satagebat, turbato corpore impuro, febricula facilè sequebatur. Nisi forsan ab hæmorrhoidibus coecis vel condylomatibus ani ita sphincter constrictus fuerit, ut duris excrementis transeuntibus excoriatio sit oborta, doloresq; ingentes, quod non ita pridem in alio

ægro obſervavi. Monachum novi, quotiens alvum exonerat, adeò delaſſari, ut cibo reſtaurante indigeat ſtatim, nam extrema omnia inſtar morientis frigent, & artus vacillant. Olim hypochondriacus fuerat, & frequenti calidarum ſulphurearumq; aquarum uſu vitium iſtud contraxerat, ut exſiccatas fibras, corrugataq; credam inteſtina, & motum periſtalticum impeditum, & anguſtiam meatus inductam. Inteſtinum jejunum in nobili pigra alvo vexato, ita in apertione cadaveris apud *Ballonium* lib. 1. Epid. ad An. 1574. anguſtum & cartilaginoſum deprehenſum eſt, ut vix per illud chylus deflueret.

HISTORIA XLI.

Aneuriſmata Varia.

ANeuriſma cuidam in pectore Neapoli ortum. Quod cum curare Medici ſubterfugerent, & ipſe cordatus *M. Aur. Severinus*, hoſpes tum meus, exemplo *Fallopij* monitus, ſponte ſua evanuit, dorſumq; inundans, gibboſitatem ægro invexit. Ruſticus ibidem nobis oblatus, cui jam per decennium in pectore ſub claviculis aneuryſmatis veſtigium extabat magnitudine juglandis, quod ad ovi magnitudinem annuo ſpacio excrevit rubicundius & vehementius pulſans, cum ſcolioſi & lordoſi, difficultate reſpirandi,

ſpirandi, vigiliis, doloribus etiam ad medium abdomen protenſis. Curationem diſſuaſimus, differri tamen poſſe mortem prædiximus, revulſionibus, adſtringentibus & hujus cenſus aliis. Piſis Aneuryſma quidam habuit prope os ſterni in pectore, ſicut præſens mihi narravit *Io. Bapt. Ruſchius* Anatomicus Piſanus, quod incrementum notabili pulſu ſumebat circa veſperã, vel tertia quaq; hora, quo tempore quoque univerſum crus dextrum una pulſabat. An hujus ratio ex circulatione petenda? Forſan & hypochondria ſunt incuſanda, quæ hujuſmodi pulſu ſe produnt ſubinde, ut alibi demonſtratum. Leidæ aneuriſma, diſruptâ arteriâ, quartam thoracis partem occuparat in *D. Iohanne Elemanno* Medico experientiſſimo, undè miſerè periit, quod & annotavit *Cl. Ioannes Walæus* Præceptor olim meus & Amicus ſuſpiciendus in Epiſt. 1. de Mot. ſang. ad me ſcripta, ut ſanguinem in arterias pelli aperto indicio demonſtraret.

HISTORIA XLII.
Pulſus Intermittens.

IN Prognoſi morborum ſæpe falluntur Medici à pulſu, qui, ſi ſit intermittens, exitium prædicunt. Remittit verò ſubinde in acutis morbis, oppreſſo ſanguine in corde pulmonibus, &c. ſed poſtliminio redit, quando vel mi-

nuto ſanguine vel revulſo, liberiori per arterias curſu fertur. Exercitus Præfectus, cujus curæ Hafniæ interfui, in febre ardente, cum reſpirationis difficultate & moleſtâ tuſſi, pulſu intermittẽte non rarò me turbavit, qui tamẽ exſtincta febre, redeuntibuſque viribus, cum ſanitate priſtina curſum conſuetum repetiit. *P. Servius* Medicus Romanus eruditiſſimus, Amicus meus, febre continuâ detentus, ſex dierum ſpacio carebat pulſu, optimè tamen convaluit. In moribundis pariter fallax indicium præbet. Civem curavi febricitantem, cujus pulſus modo remittebat per vices, ut mortem inſtantem minaretur, modo vegetior recurrebat, ut ſanorum ſimilis videretur, quo ſæpius repetito, tertio demum die ſeriò deſiit & pulſus & vita. Alios vidi chronico morbo enervatos tribus ante mortem diebus pulſu prorſus carentes. Febre maligna quidam æſtuans toto ferme morbi curſu pulſu deſtituebatur, perrarò recurrente, quem tertio decimo demum die ſuſtulit fati neceſſitas. Nempe malignitate ita ſopiuntur ſenſus ſanguiſque, ut nullo ad arterias pulſu ferantur. In mortis verò confinio ſanguis vel in corde vi caloris grumeſcit, ut fluere non poſſit, vel deficiens, arteriis relictis, cor auriculiſque movendis vix ſufficit. Quandoque & depreſſiores arteriæ & vitium quodcunque tangentes manus decipiunt, tumque vel

altera

altera manus pertentanda, vel aliæ partes consulendæ, in quibus micantes venæ solent conspici, ut signis aliis inter se comparatis certius fiat judicium. Monuit id me olim Præceptor *Sala*. Exhibuerat puellæ ad expurgandum serum copiosũ Elaterij grana viginti, sine damno. Pertransiens verò *Minadous*, quum forte cousultus manum puellæ tangeret, absente pulsu, pro mortua vel brevi moritura proclamavit. At occurrens *Sala* eam puellæ manum pertentatam fuisse ostendit, quæ pulsu semper caruit.

HISTORIA XLIII.

Anatome Variolis denati.

INfans nuper natus variolis inficitur, quibus suffocatus interijt. Cadaveris resecti thorax aqua viridi repletus cernebatur, de cujus generatione egi in Dissertatione De *Latere Christi* c.12. Parẽtibus persuasum ex ulcere dimanasse, quod ex collo improvidè depulerant. Crediderim verius ex pustulis extillasse, quibus in variolis etiam pulmones solent infestari, unde suffocatio. Vesicula bilaria versus intestinum duodenum obturata causam aperiebat obstinatæ alvi, quam infans passus fuerat. Hepar, ut in infantibus

fantibus solet, inusitatæ & magnitudinis & figuræ, exsuccum tamen & pallidum supra intestina omenti instar sternebatur. Lien à sano vix differebat. Pancreas pustulis plenum & cor circa basin profundius adipi immergebatur.

HISTORIA XLIV.

Vomitus Contagiosus.

VOmitus & diarrhæa contagiosa in ædibus amici non ita pridem oberrabat. Hujus media nocte filiam natu maximam ventriculi subversio invasit, de cujus gravitate pridie conquesta fuerat, mox frequentes vomitus & diarrhæa, quæ in sequentem diem perseverabant magna virium jactura. Idem malum sororem ejusdem, fratremque infestabat, tandemq; Matri ipsi tam molestum fuit, ut subitò gravissima symptomata sequerentur, spasmi pedum, lipothymiæ, pulsus remissio per horam & amplius, ut morti vicina Presbyterum advocari jusserit ad meliorem vitam transitura. Remiserunt tamen symptomata, sequentibusque diebus cordialibus & cibis boni succi, somnoq; DEO juvante, convaluit. Idem vomitus cum diarrhæa plurimas alias familias eodem tempore hic in urbe corripuit, observatumque est pari tempore desinere, spacio enim 24. horarum vomitus

duravit. Febris malignæ nulla suspicio aderat, quam nec febres nudæ grassarentur, earumque nulla in ægris essent indicia. An ab assumptis? Aliàs vidimis pruna ex Pharmacopolio emta, quibus vel Elleborus, vel Nicotiani, vel Senna vel aliud purgans in vicinia adfuerunt, hujusmodi turbas catervatim excitasse.

HISTORIA XLV.

Mictio Cruenta.

ARchigenes apud *Aëtium* Tetr. 3. Serm. 3. c. 3. tres cruentæ urinæ causas recenset, nempe renum imbecillitatem in ætate vigoris præsertim juvenibus qui licentius rebus venereis utuntur, deinde venæ rupturam, denique ejusdem erosionem. Octo numerat *Dononæus* c. 32. Med. Obs. in Schol. quarum pleræque ad jam numeratas referuntur. Non verò juvenibus solis, sed & grandioribus natu senibusque per urinas excernitur, non vitio externo, sed vel calculo provocatus, vel renum facultate retentrice laborante, vel denique acrimonia humorum concitatus. De calculo res in artis operibus exercitatis nota, sive in renibus, sive vesica ex *Hippocrate* 7. Aph. 39. Reliqua exemplis Virorum Magnorum illustrabo. Religiosissimus Episcopus noster *D. Casparus Brohmannus*, Vir ad miraculum

culum doctus & eloquens, annos natus 67. mense Septembri 1651. post vini cerasorum potum urinam cruentam mingit, sine dolore ullo, aut aliis symptomatis, calculive suspicione. Putabatur quidem tinctura illa cerasorum infecisse lotium, quemadmodum sæpe sudores cruenti post haustum vini rubri apparent; cæterum sequentibus diebus videbatur urina in matula similis loturæ cruentæ, cui parũ seri supernatabat, linteumque immersum veri sanguinis fidem faciebat. Quinto demum die urina sana cum optima hypostasi conspiciebatur. Hinc nata Medicis suspicio, siquidem magni Viri temperamentum calidum & biliosum, calidum quoq; plurimumq; sanguinem fuisse generatũ, quo retinendo renes impares erant. Adhæc cum præcedentibus diebus largius lotium emiserit, certum videbatur & indubitatum mictionem istam cruentam provenire à copia sanguinis serosi, & vehementi ureterum tractu & suctione. Sanus cætera erat Vir incomparabilis, nec ex isto symptomate quidquã passus est gravius. At mense demũ Novembri, prioris affectionis causa se prodidit, calculi enim prodierunt per partes & temporũ intervalla complures magno ægri, vivere dignissimi, tormento, quos plerumq; prodituros urina sanguinolenta præcedebat; unde inter tot cruciatus vitæq; gloriosæ supplicia fractis viribus officiiq; laboribus, circa Paschatos fe-

ſtum ſequentis anni beatam animam cœlo reddidit. *D. Olaus Wormius* Medicinæ in Academia hac Profeſſor Regius, Collega noſter multis nominibus æſtimandus; ſuperato climacterico Magno ſæpe ſanguinem mejebat & ſtranguria laborabat, præſertim poſt quemcunque etiam levem corporis motum vel ſumptum hauſtulum Vini Rhenani. Nulla aderat calculi ſuſpicio, nullum ejuſdem indicium. Nec dolor in alia parte, quam extremitate glandis, ſentiebatur; unde nec veſicam ægrotare credidit. Suſpicabat autem ſeroſorum humorum corporis ſenilis acrimonia eroſas eſſe venulas peni inſertas, quale ferè exemplum narrat *Horſtius* Pater l. 4. Obſ. Med. ſingul. Obs. 9. Per vices iſte affectus rediit remiſitque, donec tandem An. 1654. menſe Auguſti, recurreret acerbius, comitatus febre maligna, quæ proſtratis hactenus viribus quæ ſupererant, immortale patriæ & orbis ornamentum, eſſe inter mortales deſiit. A venenata qualitate ſubinde mictus cruentus provocatur, quod inter peſſima peſtilentiæ ſigna habetur, obſervatumque fuit in peſtilentia urbem noſtram non ita pridem depopulante, & in Leidenſi peſtilentia annotat *H. Florentius* Additam. ad c. 1. Pavij de Peſte. Variolæ quoque malignæ, hoc anno in urbe noſtra graſſantes, non paucos urina cruenta præcedente extinxerunt. Vidit ſimile *Salmuth* Cent. 2. Obſ. 70. Poſt

gonorrhæam virulentam vidi subsequutum copiose sanguinem serosum in Italo.

HISTORIA XLVI.

Olus ex Mirrhide perniciosum.

OLus in prandio sibi præparaverat Vir Hafniensis, ex cærefolio per ancillam in vallo urbis collecto. Sed finito prandio decessit. Eodem die & mulierculæ duæ ex esu oleris cœcutientes evaserunt. Fridericiburgi Arcis Præfectus cum uxore, post hujusmodi olus, turbatus capite. Uxor delirare cœpit, quo delirio sedato, perpetuus capitis remansit dolor, cui mitigando in consilium postea vocatus sum. Cærefolio sine dubio cicuta seu Myrrhis fuit per imprudentiam ancillarum admixta, siquidem, authore *Dioscoride* l. 6. c. 11. pota cicuta vertiginem excitat, oculisque caliginem offundit, & mentem turbat; similiaque exempla de cicutæ radicibus & foliis loco pastinacæ & petroselini comestis, plurimis exitiosis, recensent *Scaliger* Exerc. 152. n. 1. *Smetius* l. 10. Miscel. Med. ad An. 1591. *Matthiolus* comm. ad l. 6. Diosc. c. 11. aliique. Cavendum igitur ne imperitis collectio olerum committatur, nec temere in foro oleario emptæ herbæ esculentis incoquendæ.

HISTORIA XLVII.

Anatome Ebriosi, & Volvuli.

EBriosus quidam verè Bibo pustulis in facie ubertim pullulantibus hepar dolere visus est, cui accessit insignis intestinorum dolor, gulæque molestia, ut cibum deglutire amplius nequiverit. In dissecto cadavere, lien intumuerat, copia potulentorum distentus, & intestina ad eas angustias compresserat, ut transituros cibos admittere non potuerint.

Romæ quendam aperuit *P. Servius* eruditus Medicus, quod præsenti mihi narravit. Is vomitu continuo vexabatur, ut quævis assumpta statim rejecerit. In dissecto cadavere pylorus callum visus est obduxisse. Alium puerum vidi fæces alvinas per os reddentem, cujus intestina volvulo erant impedita & invicem implicata.

HISTORIA XLVIII.

Colli distorsio.

ASsuetudine inconsiderata sæpe pueri collum distorquent, quod in habitum transit, nisi sensim reducatur. Convulsio hanc subinde colli formam inducit, ut mentum & ax-

illæ conjungantur, quod in Viro aliquando in urbe nostra observavi. Quædam mulier in Hibernia caput ad sinistrum latus gerebat reclinatum, ut nasus & humerus recta quasi linea copularentur. Poterat quidem ab hoc situ depravato reduci manu, sed ea ablata redibat. Contraxerat hanc deformitatem ex unguento Mercuriali, sicut mihi retulit Vir Clarissimus *D. Arnoldus Bootius*, Medicus Dublinensis, qui vitium istud correxerat neuroticis & caput exsiccantibus. Sed consilio agyrtæ quum aliud unguentum, sine dubio Mercuriale, parti affectæ imposuisset mulier, rediit affectus pristina deformitate innovatus, nec deinceps remedia admisit. Æstiment hinc Mercurii noxas qui cum Mercurio volant, & si nervis suis velint consultum, in eo nervos artis intendant, ne fallaci Mercurio nimium tribuant.

Historia XLIX.

Calculi per anum excreti, & de lapidum pluvia.

Mulier septuagenaria Regiomonti 1656. tres per secessum excrevit molæ avellanæ calculos, quales observantur in vesica bilaria leviores, forma triangulari, observante *D. Christophoro Tinctorio* Medico Professore eruditissimo,

qui recte suspicatur per ductum cholidochum ad intestina venisse facta erosione, nam mulier multum conquesta fuit de dextri lateris dolore protenso ad intestina. Erosionis verò id indicium habet quod cum calculis excreverit materiam cruentam & purulentam, quanquam & sola ductus cholidochi dilatatione, quod alias vidi, protrudi possint. Hac occasione temperare mihi non possum, quin de pluvia lapidum non nihil addam, quæ frequens memoratur apud Romanæ historiæ conditorem *Livium*, & *Plinium* l. 2. c. 56. 58. ad cujus ostenti procurationem novemdiale sacrificium indicebatur. Anno 1496. inter Cæsenam & Bertonorium tres lapides adusti coloris horrendo sonitu è cœlo cecidisse *Sabellicus* refert. Inusitatæ erat magnitudinis, de quo *Cardanus* l. 14. de Rer. variet. c. 72. Vidimus, inquit, anno 1510. cum cecidissent è cœlo lapides circiter 1200 in agrum fluvio Abduæ conterminum, ex his unum 120 pondo, alium sexaginta: color furrugineus, durities eximia, odor sulphureus: præcesserat in cœlo ingens ignis hora tertia, decidentium lapidum strepitus hora quinta exauditus. Nuperis annis, nempe 1637. 29. Novembris lapis in Gallia Provinciali in via publica prope Peoniam civitatem quæ Sabaudiam à Provincia discriminat, de cœlo nullis nubibus aut ventis aspero forma ignis sed inæquali, ingenti crassitie,

sitie, pondere verò quinquaginta quatuor librarum delapsus fertur. Illum in rei fidem adhuc inter rariora alia Aquis sextijs servat *Borillius*. Non absimilem alium in Musæo Prætoris Illustris *Lierchæi* Lugduni ad confluentem Rhodani & Araris vidimus, Anno 1654. die 30. Martij hora octava matutina in Fionia nostra tanta passim orta est tempestas, tonitru pluviisque mixta, ut horribili sonitu omnia perstreperent. Cum Pluvia deciderunt lapides quamplures durissimi & ponderosi tanta vehementia, ut ædes contremiscerent, & ad alias Provincias vicinas fragor pervenerit. Incolæ urbium campanas pulsarunt, incendio flagrare ædes suspicati. Ex his lapidibus unum habeo, beneficio & dono Illustrissimi Cancellarij Regii *D. Christiani Thomæi*, Mæcenatis nostri, qui pendet libram civilem. Major alius ad serenissimum Regem nostrũ missus fuit duplo ponderosior. Quantum video, pyritis est, & inspersis maculis scintillat, percussusque scintillas excutit. Exteriori facie inducta est crusta, nigricans, quasi igne cremata. Intus ex flavo candicat. Figura inæqualis. Unde ex cœlo lapides depluant, difficile dictu est. Ex sole lapidem venisse Anaxagoræ fuit commentum. Sed contra naturam ad nos ferretur. In aëre igitur vel generantur lapides ex vaporibus crassis calore subitaneo condensatis, quod suspicantur *Sennertus* l. 4. Phys. c. 6. *Fromondus* l. 5.

Meteor. art. 3. vel ex terra vi sursum trahuntur, quemadmodum carnes, ranæ, mures, vituli depluisse creduntur. Prior conjectura probabilior in lateribus coctis, quibus pluisse *Plinius* testatur. At saxa solida contra naturæ conditionem sursum rapi, vix concipimus. Vapores salini in aëre condensari possunt, præsertim frigore accedente. Hinc sæpe cum grandine lapides devolvuntur, crustaque ex nive seu glacie inducuntur, quod non ita pridem in Falstria nostra observatum, sed friabiles illi fuere, non solidi aut densi. Grandiorum lapidum pluviam ita apud me concipio. Sunt in altissimis montibus & rupibus saxa malè cohærentia seu decidui lapides, qui cum pluviis eluuntur & decidunt, suborta verò tempestate cum pluviis vel nivi facile rapiuntur & aliorsum transferuntur, siquidem motu à ventis impresso non sursum, sed deorsum, quanquam immutata rectitudine, propelluntur.

HISTORIA L.

Variolæ Epidemicæ.

ÆState anni currentis 1656. inconstante, calore pluviisque & ventis australibus mixta, aëre prioris pestilentiæ reliquiis nonnihil adhuc inquinato multisq; puerperis exitioso, Variolæ ex

ex ſanguinis putridi ebullitione ingenti numero & fœditate non puerorum tantum corpuſcula deturparunt, ſed adultiores utriuſque ſexus, etiam qui antea immunitatem ſibi polliciti fuerant,& gravidas & puerperas & fœtus in utero infecerunt,cum febre maligna & petechiis,quibus infiniti vel primo invaſionis die, vel quarto, vel in declinatione variolarum in Libitinæ cenſum adſcripti ſunt. Quia variolæ iſtæ peſſimi erant moris & malignæ, varia ſymptomata viſebantur, in naturalibus functionibus vomitus & nauſea, in vitalibus cordis palpitatio, lipothymiæ, in animalibus delirium, quo multi dempta cruſta univerſam faciem ſibi deturparunt, reſpiratio difficilis, tuſſis: in excrementis, urina cruenta & dyſenteria, lachrymæ oculorum, qui variolis tam ſtrenuè expugnabantur, ut viſus ſit humor cryſtallinus exinde expreſſus. Quarto die vel ſumpto ſudorifero cardiaco ex lapide Bezoardico, Cornu Cervi, Unicornu noſtro Gronlandico, &c. vel ſponte ſua & robore naturæ erumpentibus, mitigata febre & ſymptomatibus ceſſantibus, ſanitas quibuſdam ſperabatur, niſi negligentiâ frigidi aëris ad interiora recurrerent, & vel alvi fluxu vel ſuffocatione ſtrangularent. Ingruente verò Autumno numerus ægrorum quidem æquabat æſtatem, ſed malignitas remiſit & innoxiè plurimi decubuerunt.

HISTORIA LI.

Lienis exsectio.

VEtus est traditio lienem eximi posse cursoribus, ut ad cursum expeditiores reddantur. *Plinius l. 11. c. 37. Peculiare cursus impedimentum aliquando in eo, quamobrem inuritur cursorum laborantibus, & per vulnus etiam exempto vivere animalia tradunt.* Chronicon Turcarum refert, cursoribus futuris lienem eximi modo Turcis secreto. Semper mihi dubia visa est relatio. Quippe ex *Celso* l. 5. c. 26. vix ad sanitatem perveniunt, quibus lien vulneratus, magis si prorsus auferatur. Nobiles ejus usus dissuadent, qui in sanguine acido depurando versantur, & fermento pro totius incolumitate, nisi vel Pancreati vel Hepati vel alij parti hoc officium resignet lien. Præterea metus sanguinis imminet in excisione. Abundat lien arteriis ex Cæliaca, & venis ex ramo splenico, quibus rescissis, & sanguinis cursus impeditus alias partes inundabit, & ingens hæmorrhagia provocabitur. Ad hæc tam arctè per peritonæi membranas & vasorum commercium partibus vicinus nectitur, ut sine metu imflammationis & vicinorũ damno eximi non posse videatur. Optandum tamen omni voto esset, ut tot malorum fomes extirpari

pari posset. Sed meo judicio parum proficeremus, si quidem humorũ pravorum est vitium, qui illo ablato aliam partem eodem damno inficerent. In scirrho tamen proficua foret illius exsectio, ubi pondere suo nimis est molestus, & sæpe hydropem advocat. Id tentavit *Leonardus Fioravanti* Eques, Medicus & Chirurgus Bononiensis, felixque Empiricus, qui Panormi in Sicilia cujusdam lienosæ mulieris ventrem dissecuit, atque lienem extraxit pendentem libras 32. sicque à maximo eoque interficiente scirrho mulierem liberavit. Post Fioravantium nemo in homine operationem ausus est aggredi, quia tument in scirrho vasa ad lienem patula, & vires raro constant. In animalibus facilius succederet negocium, quorum lien minor & liberior, in quibus experimentum minus periculi habet. Nuper in Anglia Medici periculum fecerunt, & sine noxa brutis animantibus, canibus, felibus, suibus, lienem exsecuerunt, sicut ad me perscripsit Doctissimus medicinæ Candidatus *Ioh. Christianus Agricola*, olim auditor meus & amicus dilectus. Modus autem à *Doctore Scarbourgh* Anatomico Londinensi & dignissimo magni Harvei successore ipsi communicatus hic est: Sumatur canis, felis vel sus, & sub diaphragmate in sinistro latere lienis vulnus oblongum infligatur, cui digitus immittatur & lien cum vasis attrahatur, factaque ligatura lien abscindatur prope vin-

vinculum: huic ligaturæ inungi poterit Balsamus Sulphuris tamdiu donec pus omne cum vinculo tandem effluxerit, postea consuitur vulnus. Alium modum aperuit ipsi *D. Iolivius* Clarissimus ibidem Medicus: Sumit enim canem, vulnusque oblongum eodem loco infert, postea separat lienem ab omento novaculâ, ita tamen ut sine læsione omenti fiat, postea lienem apprehensum cum vasis contorquet in modum convolvuli, sanguinem exprimit, & lienem unguibus abscindit. Nullo ille Balsamo utitur, sed canem fovet calido loco linteisque involvit ne aere externo vulnus lædatur, eumque à motu & ambulatione quietum servat; sic felici cum successu experimentum notavit *Agricola*; & frater meus charissimus *D. Erasmus Bartholinus* nuper redux, ibidem canem *D. Scharbourghi* vidit, cui lien exscisus fuerat. Difficilius in humano corpore exscinditur propter vasa ampliora, lienis magnitudinem, connexionem & necessarium usum. At quia in Eunuchis testiculi exscinduntur, uterus, & cæsarea sectio succedit, forsan & lien, quo sæpe carere possunt splenetici, hydropici & scorbutici: ea cautione supra proposita eximi posset accuratis manibus. Sed illius operationis difficultatem tempori reservamus. *Ballonius* l. 2. Ephem. p. 251. rarum hujus sectionis notat exemplum: cuidam vulnerato ad nothas costas splen foràs apparuit.

Igno-

Ignorabat tonsor splenem esse. Intumuit valde & vitium contraxit. Alter venit audacior, qui secuit prius superiore parte ligatum, convaluitque æger. *Fioravanti* fidem nonnulli suspectam habent. Fateor arrogantius subinde se gerere quam modestius. Hanc tamen operationem illis testibus, & aliis ad relationem fidam necessariis munivit, ut dubitare nequeamus. Extat historia in *Thesauro* Vitæ humanæ l. 2. c. 8. quam ex vernacula dialecto in Latinam transferam illorum in gratiam qui linguæ gravis sunt imperiti, vel operibus Fioravanti rarioribus carent.

Cura Mulieris, cui lienem exemit Fioravantius.

Anno 1549. mense Aprilis, vocatus sum ad mulierem Græcam, quæ habitabat Panormi prope hortum Marchionis de Terra Nova, uxorem Centurionis seu Capitanei Matii Græci, qui postea Anno 1551. in bello Africano occubuit. Nomen mulieris erat Marulla, nata annos 24. cui lien oppilatus, tanta mole increscens, ut corpus ampliorem non caperet, ex quo utrumque crus pessimè exulceratum, ut misera diutius non posset supervivere. Cum à variis Medicis viseretur, ipsi dictum fuit, si curari vellet, necessariò eximendum esse ex

corpore

corpore lienem, quod facile fieri posset & sine periculo, & aliàs factum. Misera mulier, olim pulcherrima totius urbis & multum dilecta, apud se deliberavit an moriendum, an isto medio curanda: tandem Capitaneum, maritum suum rogavit ut quæreret hominem, qui lienem sibi eximeret, tantoque urgentius rogavit, ut Capitaneus negocium hoc in se susceperit, quæsiveritque Medicum ad hanc operationem. Ad Me in ædibus meis venit, abduxitque secum ad proprias ædes ut viderem mulierem, hanc, quam vidi, cum ea loquutus sum, & quantum potui, consolatus eam sum. Interrogatus ab illa, an auderem eximere lienem, intrepidè affirmavi, quanquam nunquam antea ullum lienem corporibus extraxissem, sed postea Neapoli semel alium exemi, sicut (c. 53.) in loco describam. Ita dato hoc promisso, illa cottidie instare, & effectum urgere. Ego, ut verum fatear, quanquam promiserim, non magnopere curavi, ne me prostituerem. Sed hoc non obstante vocari jussi senem quendam ex Regno Neapolitano, ex urbe, quam vocant Palum, nomine Andrianum Zaccarellum, qui in eadem urbe herniosos excidit, & cataractas deposuit, magna artis suæ experientia. Advenienti subito ad meas ædes dixi, mi domini Andriane, cupido incessit mulierem Capitanei Matei Græci, lienem eximendi, scire vellem an sine periculo id fieri posset. Respondit

Senex,

Senex, ita domine, fieri potest, quia operatio est, quæ sæpius successit me vivente. Quum quærerem, an auderet id aggredi, respondit, se suscepturum, si me habiturus esset socium, alioquin non. Ita conclusimus junctas operas. Revisi mulierem, cunctisque cum muliere & marito ordinatis & compositis, adii curiam justitiæ, ut pro mortua seu desperata annotaretur, sicut moris erat. Impetrata ibidem licentia, simul ivimus ad ægram mulierem. Senex ille bonus novacula sumta, abdomen mulieris supra lienem secavit, statimque lien extra corpus prosiliit. A membranis separatum, extraximus totum, corpusque consuimus, solo spiraculo exiguo relicto, & ego curavi oleo hypericonis, & pulvere thuris, mastichis, mirrhæ & sarcocollæ, præscripsique potionem ex aqua cocta cum melle communi, consolida, hypericone, betonica, & carduo sancto, & singulis diebus exhibui portionem theriacæ. Ita perrexi mulierem curare, quæ misera spacio viginti quatuor dierum fuit sanata, missamque audivit in templo B. Virginis de Miraculis, sana & salva. Lien ex corpore extractus Uncias duas & triginta pendebat, deportatus ad hospitium Mercatorum, per dies tres ab universa civitate fuit visus, gloriæque tanti experimenti mihi consensu cessit cunctorum.

HISTORIA LII.

Dolores post partum.

PArtus juvenculæ mulieris lectissimæ difficilior fuit. Omnia tamen ex voto successere, fœtus masculus, secundinæ, lochia, quies. Sed sexta hebdomade dolere crus cœpit, cibos fastidire, noctes insomnes habere, hypochondrium incusare. Laxata uteri ligamenta credebantur, & uterus scatere humiditatibus. Injectis clisteribus, datis infusionibus Rhabarbari, &c. excrevit copiosam pituitam, sed sine levamine. Cataplasmata, Emplastra, suffumigia, inunctiones frustra tentatæ. Obstetrix uteri prolapsum ad latus dolens digitis animadvertit, quo reposito pessarioque indito, (quod subinde pure conspersum extrahebatur,) modo cessare, modo redire dolores. Tandem Medicis nobis clysteres suadentibus, vel blandam infusionem, repugnante obstetrice, metu uteri commovendi, Natura sponte sua solvit alvum. Nullæ fæces. Excreta materia albumini ovorum similis, inspersо pure, sine fætore. Statim levata, doloribus cessantibus, lecto surgere, cibos appetere, & quieti reddita. Forsan intestinis abscessus hic crystallinus adhæserat, vel mesenterij glandula aliqua materiam suggesserat.

HI-

HISTORIA LIII.

Spasmus Cynicus ex lue Venerea.

MIsere lues nefanda deturpat corpora, & symptomatibus affligit, quæ passim obvia sunt. In Romano athleta miserá faciem aliquando observavi Neapoli, quum ad illius curationẽ cum Magno Severino vocarer. Cachexia maligna pedes tumore œdematoso turgidi tangentium vestigia servabant. Penis veneno consumptus, successitque spasmus Cynicus, maxillâ sinistrâ cum oculis intortis ad dextram partem reflexâ. Versus talum sinistrum mollis ad tactum erat abscessus sua cavitate præditus. Capitis dolores ingentes, & cranii exostosis, cutisque depilis deformitatem auxerunt. Purgatus fuit potenti pharmaco ob alvi siccitatem, vomitusque ex vitro Antimonii provocatus, tandemque ad stuffam demissus. Ad abscessus ossium & maxillæ articuli ustio Arabica per fila accensa Ægyptiis usitata & frequens Severino adhibita, qua sensim noxii humores exsiccantur, & robur partibus redditur.

HISTORIA LIV.

Scombrus Monstrosus.

ANno 1650. mense Septembri in Regia Norwegiæ Præfectura Oensoën, prope Insulam Roën, cui præest Regio nomine Illustris *Ianus Bielke* Regni Norwegiæ Cancellarius, à piscatoribus captus fuit piscis Scombrus, nostris Makreel/ in cujus ventre caput extabat simile vitulino, & dorsi facies depressior, ut & ventris. Conjiciebat *D. Olaus Wormius* magnus olim Doctor noster, cui transmissa fuit piscis icon mecum deinde communicata, morsu cujusdam piscis grandioris exrrusa esse pisci viscera, & sive intestina sive lactes hanc vitulini capitis figuram mentiri, quod confirmare videtur compressus piscis, in medio vestigium vulneris ostentans, deinde rubicundus quidam circa caput vitulinum circulus. Sed quia ipse piscis ad nos non transmissus fuit, difficilius est judicium. Captum piscem in omen vertit Illustris Bielke, fore ut pisces & animalia terrestria simul in agris pascantur, quod statim quoque ibidem loci evenit. Inundatione enim aquarum pisces in terram expulsi, & animalia terrestria multa suffocata perierunt.

HISTORIA LV.

Tumor Vagus.

TUmore vago affligebatur non ita pridem minorennis Paſtoris Reverendi in Scania. Modo venter in tumorem attollebatur, modo hoc ſubſidente thoracem elevabat, quo ceſſante etiam caput faciemque diſtendebat, modo ad pedes reliquis ſalvis commigrabat. Materiam ſcorbuticam ſubeſſe ſuſpicabar, ſetumque flatulentum hinc inde incertis ſedibus vagare. Nullum remedii utilis genus admiſit, ſed naturæ parentes negocium commiſere. Tandem igitur quum ſingulas partes per vices tumor occupaſſet, circa dorſum ſubſedit, quo loci percurato tumore convaluit.

HISTORIA *LVI.*

Venarum intumeſcentia.

TUment venæ copiâ ſanguinis diſtentæ in Plethora. Subinde & nimio ſero turgent, quando vel copioſius ab arteriis recipiunt, vel receptum ad emunctoria expellere nequeunt. Per dies tredecim obſtructione meatuum urinariorum laborabat Juvenis, ut nihil per lotium

excerneret. Venæ omnes corporis intumuerunt, ut varus crederetur, & ruptionis videretur imminere periculum. At procurato medicamentis diureticis lotio, cessavit venarum distensio & metus rupturæ.

HISTORIA LVII.

Abortus revocatus.

OPpidana mulier tertia & decima hebdomade impraegnationis cerevisiæ cocturæ adsistens, situlamque pleniorem imprudentius tollens, abortum ferè rejecit, ruptis membranis & exitum embryone moliente. Forte Empiricus præsens, ad omnia audax, huic incommodo succurrere satagens, suasit sine mora & situ prægnantis & manus dexteritate reponendum fœtum. Capite igitur gravidæ declivi, elatisque cruribus obstetrix subtili manuum opera embryonem proditurum intrusit, statimque peracta operatione in lecto composuit matrem, ut fœtus repositus solitum locum repeteret. Fluxere tamen lochia ad tertium diem. Ad membranæ ruptæ generationem, suasit idem Empiricus congressum cum marito. Hinc retentus fœtus, justo tempore deinde fuit exclusus, adhuc superstes.

Historia LVIII.

Colica ex Sero.

SUperato catarrho Colicam passus est amicus noster summus, satis molestam, quæ circa vesperam incrementum sumpsit. Ante invasionem ab assumpto cibo per vomitum aliquot libras rejecit aquæ limpidæ, sine chyli crassioris admixtione. Causa colici doloris mihi visa est chyli crassities, quæ liquidi seri defectu, quum libero cursu per intestina ferri non posset, tormina concitavit. Apparet hinc liquidiorem chylum non necessario exspectare solidioris concoctionem, nec trahi semper & exsugi à liene. Non tamen credi velim assumi semper serum in colica passione. Vitio ventriculi & intestinorum vel colliquatur pituita, vel alimenta vitiantur. Presbyterum novi colicis doloribus divexatum, qui superveniente vomitu aqueæ materiæ, sanatus est. Unde hydragogorum usus non rarò advocandus in colicis torminibus, quorum beneficio sæpe per alvum liberavi ægros.

HISTORIA LIX.

Colica periodica.

PUella bimula ordinatis doloribus torquebatur circa inguina, ut nec cubans, nec ſedens nec ſtans, nec ulnis geſtata dolorum requiem ſentiret. Redibat iſte dolor ſtatis vicibus à decima veſpertina ad horam duodecimam. Interjecto tempore diurno nocturnoque ſana erat ſolitis ſuis crepundiis læta. Tertio paroxyſmo finito, nulla manifeſta criſi apparente, poſtea immunis vixit. Vermium nulla fuera indicia. Flatulentam igitur colicam fuiſſe nullus dubitavi in muſculis potius abdominis deliteſcentem, quam in colo. Alvus enim ex voto reſpondit, Ịnunctione abdominis ex oleo abſinthii & cumini diſtillato, & exhibita theriaca in aqua Cornu Cervini ſublevavi ægram.

HISTORIA LX.

Lien induratus.

MUlieris vi morbi profligatæ diſſectioni interfui. Sublata verò fuerat diuturna viſcerum obſtructione. Lienem in cadavere defunctæ invenimus tantæ eſſe duritei, ut vix

vix cultro cederet, nisi magna vi intruso. Inter secandum non dissimilis audiebatur sonitus quem in lignis spongiosis discissis animadvertimus, & si clarius loqui licet, & colore & duritie carnem fumo diutino induratam lien referebat, sive quod interceptis obstructisque vasis spleneticis exaruerit, sive quod atro succo repletus utriusq; fuerit induratus. Incurabiles illi lienes spem Medicorum ægrorumq; fallunt. Subinde extremus & tumor & durities summa ad tactum offertur. Siquidem verò congestus in splene sanguis tenuior est, patentq; venæ, curationem admittunt. Sic sudoriferis & laconico duritiem contumacem lienis emollivi. Vidi & ictero succedente imminutum. De hæmorrhoidibus notum. Nonnunquam per vas breve expurgatur largo sanguinis vomitu. Id sæpius à me aliisq; fuit observatum. Sed memoria dignus est amicissimus quidem & sanguine mihi conjunctissimus, qui splenis duritiem sæpe & molestè experitur. Ubi maximè intumuit lien, vomitu sanguinis liberatur, induciasq; habet donec recollecto sanguine fluido rursus turgeat. Senserat nuperrimè sinistri hypochondrij tensionem & duritiem. Subsequebatur post paulo vomitus sanguinis secundo tertioq; die recurrens, ut tridui spacio libras plus quam sexdecim rejecerit, animaque purpurea in labiis hæreret. Exinde quanquam pro mortuo habitus sit, sublevata

hypochondria, & tardæ vires rediere. An purus putusque sanguis fuerit, non ausim affirmare, quum in emaciato corpore vix sexdecim in universum libræ sanguis contineantur. Mixti fuere ichores, pituita, & alia ventriculi lienisq; liquida excrementa, cæterum maximam partem cruor conficiebat.

HISTORIA LXI.

Infans à glire erosus.

DE caprimulgis aliàs dictum, infantibus infestis. Majus verò illis à domesticis animalibus periculum, nisi nutricum diligenti cura cunæ custodiantur, quod malo suo experiuntur non pauci negligentiores. In vico S. Spiritus ante perpaucos annos infans 20. hebdomadas natus, in cunis securè dormiebat, parentibus in lecto vicino decumbentibus. Nutrice absente, luminibusque extinctis, & omnibus ad quietem compositis, clam glis irrupit, sicut ex excrementis conjiciebant, totamque infantis faciem erosit carne omni nudatam, ut biduo interjecto miserè diem suum clauserit infans.

Historia LXII.

Sudor vini rubri.

Magna celeritate per ductus lacteos thoracicos ad cor, exinde per arterias ad ambitum corporis potulenta materia excernitur, & sudoris specie exprimitur. Hinc potatores si cutem habeant patulam, vel exercitio vel calore externo copiosè & celeriter sudant, nisi vias urinarias eligant, referuntque externo corpore colorem, odorem, saporemq; assumptorum. A liberaliori potu vini Hispanici rubri quidã studiosus Hafniensis mihi notus, postridie à crapula languere sibi visus est, & in sudorem solvi rubro colore tinctum, similemq; illi qui vino hausto inerat. Timore perculsus sanguineum sudorem credidit, sed eodem die convalescens metum deposuit. Notavit *Salmuth* Cent.2. Obs. 28. nobilem Roth dum indulgeret potui cerevisiæ, atq; saltationibus corpus nimis commoveret, potum omninò crudum per sudorem evacuasse, ita quidem, ut & cerevisiam sapuerit, vestes tinxerit, & vestigia reliquerit. Observandum moneo, brevem esse ex ventriculo ad ambitum corporis hic transitum per vias pronuper detectas, deinde minus celeri transitu liquida alimenta in corde mutari, quam hactenus creditum, siquidem

ſiquidem & colorem ſervent & odorem, quod tamen de aſſumptis intelligendum, quæ copia exſuperant exitumq; urgent antequam immutari poſſint. Juvat expulſionem raritas texuræ. Obſervavit *Bennettus* Theat. Tabid. Veſtibul. Excerc. 29. allij intus aſſumpti odorem, & aceti aut ſucci limoniorum & aurantiorum acorem tertia aut quarta à comeſtionis hora exhalando pervadere ad cutem, & in fonticulis labra vellicare. De ſudoribus verò ſanguineis Hypomn. 4. de Cruce Chriſti olim diſputavi, nec actum ago.

HISTORIA LXIII.

Bubo Peſtilens.

MUlieri in vico S. Petri ex bubone peſtilenti dextrum inguen exulceratum, ex quo, præter malignam luis materiam, quidquid alimentorum aſſumpſerat, egrediebatur. Tandem quum tractu temporis curato bubone viam iſtã intercepiſſet Natura, tumor quidam remanſit carnis calloſæ vitio. Ita latè ſe malignus humor diffundit, ut inteſtina quoq; exulceret, quæ hic læſa fuiſſe, excreta alimenta teſtantur. In bubone Venereo nihil patiuntur, quia ſeminalis potius quam alimentalis materia prodit. Per ligamentum enim uteri in feminis cavum & in Viris per glandulas inguinis tumidis deducit *Riolanus* l. 2. Anthrop. c. 10.

HISTORIA LXIV.

Lapis in utero.

MAtrona Martini Bierwolffi Senatoris Regiomonti ſemper conqueſta de difficili reſpiratione, abdominis mole, ſuppreſſis uteri purgamentis, ante decennium fit Aſcitica. Nihil profuerunt medicamenta. Moritur, mortua exenteratur à D. *Chriſtophoro Tinctorio* Clariſſimo & Eruditiſſimo Viro. Ex exenterata 15. ſtoffas aquarum detraxit, invenitq; epar 23. libras pendens ſchirrhoſum, præterea duos tumores ſaxeos dependentes à ſuſpenſorio hepatis, alter librabat 16. alter 12. pondo. In utero lapidem quatuor librarum multis eminentiis lapideis, coloris fuſci deprehẽdit, quemadmodum nuper ad D. *Paulum Mothium* utriuſq; amicum ſcripſit.

HISTORIA LXV.

Dentes decidui.

INter omina ſiniſtra apud Oneirocriticos recenſetur caſus dentium, & rarò felicia ſibi ſpondet vulgus noſtrum ſi in ſomniis dens videatur deperditus. Veſpaſianus olim non vano augurio ſomniavit ſe Principem fore Romanorum,

rum, quando Cæsar Nero dentem amisisset. Nempe pro arcana principeq; parte Deus olim habitus, qui cremari non possit, & in quo semina futuræ resurrectionis delitescant, & ex quo robur cujusq; videatur æstimandum. Duas matronas honestissimas novi, quæ totiens dentem exspuunt, quotiens liberos pariunt. Infantibus decidere & renasci quotidie observamus, siquidem in alveolis dentium deciduorum appendices remaneant, ex quibus novi repullulent. Tardius illi vel celerius redeunt pro vario infantum robore. Trium dierum intervallo renatos non semel inter nostros pueros observatum. De genuinis nihil addam, quos 20. 30. 50. 70. ætatis & amplius anno erupisse memini. Mulieri 20. annorum aliquot successive annis exitum cum dolore dentientium molitur, ruptisque gingivis se ostendit dens genuinus, sed iterum obducta carne se subducit.

HISTORIA LXVI.

Luxatio Costarum.

MOnet *Fernelius* l. 5. Path. c. 12. palpitationis Cordis tantam esse vim, ut sæpe sit animadversa thoracis vicinas costas effregisse, sæpe & eas quæ supra mammam sunt de propria sede depulisse. Vicarias palpitationi operas præstant

motus quicunq; vehementiores, qui ex articulis costas dimovent. *D. Simon Paulli* Vir Clarissimus, superata febre maligna 1652. vocatus in Scaniam ad nobilissimum ægrum D. Henricum Huitfeldium, in itinere salebroso & saxoso, sive crebris concussionibus, sive à defluxu humorum post morbum ad spinam dorsi, dolore ingenti lateris sinistri pro spinam corripitur, cum sterni tumore & protuberantia. Eò latere recumbere non potuit, nec prorsus sedere, stans verò dextroque lateri incumbens dolorum expers fuit. Tumor sublatus latentem prodidit affectum, accurate enim pertentantibus semi luxatio visa est octavæ costæ veræ. Tandem istis cruciatibus aliquot hebdomadum spacio masculè superatis, apparuit quoque fractura costæ octavæ ejusdem lateris, integra cute hactenus occulta, quæ per callum paulatim coaluit.

HISTORIA LXVII.

Tela capiti inhærentia.

TEli residua frustula è capite ante evellenda sunt quã curatio sperari possit. Raro tamen hanc injuriam cerebrum concoquit, & heterogeneas partes amicè complectitur. Erat quidem Patavii, cui ex vulnere in osse auris petroso cuspis gladioli inflicti remanserat, qui tamen per menses

menses aliquot ibidem vixit, cum verò nulla arte extrahi posset, infectâ re discessit, quamdiu exinde mortis causam circumtulerit, ignoro. Ingeniosam hic se subinde præbet Natura, quando deficit medentium felicitas. De femina mihi narravit *Cl. Veslingius* amicus dum vixit magnus, cui amasius propter rivalis adventum, caput pugione vulnerarat. Quum cuspius pugionis extrahi nòn posset, cranium cui inhæsit, sponte in vicina solutum, ut forcipe apprehenderetur, quo cum cuspide elevato convaluit.

Retulit mihi *Io. Dom. Sala*, Præceptor in Re Medica meritissimus, in ipsa cerebri substantia gladioli impacti frustulum perpetuo cuidam, reliquo curatò vulnere, sine detrimento hæsisse, nisi quod Comitiali morbo frequentius convelleretur.

HISTORIA LXVIII.

Clysteres ad ventriculum penetrantes.

NOnnullis clysteres adeo adscenderunt, ut vomitione rejicerentur, quemadmodum & stercus per lethales volvulos, teste *Galeno* l. 3. de Sympt. Caus. c. 2. Hujus eventus plura extant testimonia apud recentiores, quos nolo compilate. In nephriticis doloribus colicisq; haud rarò evenit, quibus clysteres imperantur, ut vel clysteres ipsi, vel sapor clysmatum ad ventriculum pertin-

pertingant. Nuper amicissimus nephriticis doloribus miserè vexatus, clysterum usum nimis quam proficuum extimescebat. Aliàs enim observarat injecti clysteris saporem ad palatum pervenisse, jamq; in paroxysmi nephritici insultu injectum clysma vix continebat quin vomitu rejiceret, unde nausea statim oborta, & retentus in corpore clyster exitum per alvum non urgebat, cui ut occurreret, clysmati statim suppositorium super addidit. Attrahenti ventriculo adscribit *Galenus* l. c. si quidem vomitus in nephriticis doloribus concitatur, non mirum quod inverso intestinorum motu peristaltico sursum propellatur quicquid intestinis cõcreditur. Nec obstat valvula coli, quæ vel motu totius abdominis connivet, vel laxatur læditurq; humorum acrimonia, vel rariore textura facilè adscendentes vapores injectorum admittit.

HISTORIA LXIX.

Amuleta Epilepsiæ.

SEmina & radices Pœoniæ externo contractu Epilepticos insultus inhibere certa experientia didicimus. Aliud amuletum hactenus inter multos inter secreta servatum propalabo in commodum ægrorum, qui Medicos præsentes non habent, cujus vis indubitata fertur, & nunquam fallit, nisi inordinato victus, potusque

ratione & vehementioribus animi passionibus solâ ægrorum culpâ eludatur. Ramus est sambuci in salice antiquo nascentis, cujus frustula collo appensa felicissimo eventu Epilepsiam vel minuunt vel prorsus abigunt. Ne verò merita laude autores privemus, qui secreti ansam dederunt, ingenue fatemur extare amuleti hujus mirandi descriptionem, hactenus à multis neglectam, apud *Io. Hartmannum* Chymicum celeberrimum in Praxi Chymiatrica, qui & modum inveniendi & applicandi tradidit hoc nomine optime de mortalium salute meritus. Meminit etiam *Gabelchoverus* Cent. 4. Cur. 57. In antiquis salicetis diligenter inquirendi rami isti sambucini, à quovis facile dignoscendi, & colligendi mense Septembri & Octobri ante plenilunium, & usui deinde reservandi ad annos etiã duodecim. Vnde rami isti aliena in arbore pullulent, probabili ratione elicit. Nempe picus matura grana sambuci huc defert, quibus libenter vescitur, quæq; deinde surculorum sui generis in salice generationem procurant. Hinc prope hortos, ubi sambucus provenit, salices sunt sollicitandi. Picum autem, quia Epilepsia laborat, vim periapto inpressisse ad similem morbum curandum, existimat *Hartmannus*. Nos non tam de ratione, sine dubio occulta, solliciti, quam de experientiæ veritate hactenus certissima, usum amuleti, illius ductu, reapse in multis Epilep-

Epilepticis probatum, signabimus. Secandus surculus unus ex salice decerptus in taleolos tenues, quorum novem nodulo lineo vel sericeo inclusi, collo ad orificium usque ventriculi adpendantur sive ante sive post paroxysmum, & tamdiu gestentur donec sponte sua rumpantur decidantque. Nodulus delapsus non tangendus manu, sed forcipe apprehensus loco remoto sepeliendus, ne vel ab ægro transeunte vel aliis tangatur, inficiatq; convulsione. Transplantatione quadam videntur morbi miasmata nodulum occupasse, eademq; aliis posse communicare, si sine debita cautione tractetur. Ex surculis majoribus ejusdem sambuci excavatis solet laudatus Hartmannus cannas conficere, per quas tempore gestationis amuleti omnem potum hauriant adultiores ægri. Huic amuleto plurimi Epileptici salutem suam debent, quod in lucem jam protraho & multorum commodo repeto. Plurima sunt egregia à majoribus laudata, quæ negligimus, quia vel fidem superant, vel experientiâ confirmata non sunt. Arcano tamen hoc remedio mulierculas vidi feliciter cõvulsos percurasse. Et ut certius credamus, adducam communicata mihi exempla à D. *Ahasvero Payngk* Medico urbis nostræ & Chymico exercitatissimo, Amico in paucis charo, qui plusculos solo isto amuleto restituit, præmissis præmittendis, & intus quoq; exhibito oleo cranij humani, in liquore convenienti. Vxori

Vxoris consulis Nestediensis sexagenariæ, boni habitus & genio liberalius indulgenti nares hæmorrhagia copiosè stillabant, qua argilla aceto mixta & venæ sectione sedata, interjectis aliquot mensibus Paralysis dextri lateris successit. Aqua Apoplectica resolutioni profuit externis artubus & collo illita. Tandem supervenit convulsio horrenda, qui extrema minabatur ut ad aliam vitam migratura videretur. Accersitus laudatus Vir, appensò amuleto supra descripto, brevi desperatam restituit, nec exinde quidquam mali hujus perpessa est.

Sartor juvenis Hafniensis tumido ventre diu aquam inter cutem collegerat, & ægrè corpusculum circumferebat. Nullis adjutus medicamentis, transmisso ad cerebrum sero copioso, Epilepticus evasit. Vrgebat 24. horis paroxysmus & miserè torquebatur, sed appenso amuleto imminutus primum paroxysmus, mox planè remisit. Hydrops verò tractu temporis, alvi fluxu superveniente, detumuit. Alia exempla in urbe obvia silentio involvo, gratiam brevitate meriturus. Verbulo moneo non esse valde laborandum, an filum, quo nodulus consuitur, ab ipso ægro, vel alio sit tortum, modo usui sit aptum: Deinde si inducias largiatur morbus, internis medicamentis esse expurgandum corpus, ut amuletum conspectius fiat, deniq; antepilepticis ex cranio humano, ungula alcis, pœonia,

aqua huridinum, liliorum convallium, &c. per os sumptis augendam esse amuleti virtutem, ut quæ non prosunt singula, multa juvent.

HISTORIA LXX.

Gravida insomnis.

NIhil somno opportuno mortalibus utilius dulciusque, Deorum apud antiquos placidissimo & hominum delicio, quo fessa corpora mulcentur, & ad plures labores reparantur. Ægritudinis quoq; dulcis est medela, & malorum dolorumq; oblivio & levamen. Optatissimum accidit prægnantibus quod difficultates tumidi uteri sublevet, & robur pro futura partu firmet. Fulvis alis circumdatus fertur apud *Tibullum*. Nam celerrime homines occupat. Celerrimè quoq; eosdem deserit & alio detentus subinde reditum differt. Damno suo id experta fuit Nobilis Matrona, tertio mense gravida, quæ insomnes noctes diesq; & quadraginta transegit, unde insania oborta & Paralysis pedem crurumque, quibus prostrata vix partus operi sufficiebat.

HISTORIA LXXI.

Ventriculi depressio.

FIlia sexennis Viri Clarissimi post lentam tabem, doloribus hypochondriorum & inap-

petentia seu prostrato ciborum desiderio, viribus fracta exspiravit. In dissectæ cadavere hepar universum ferè occupabat abdomen, ventriculumq; adeò ad inferiora depresserat, ut quasi ab œsophago videretur separatus. Pulmo sinister consumptus, tabis dederat occasionem. Neque enim ex salute hepatis dependet nutritio, sed à cordis pulmonumque sano statu. Cor sanguinis officina. Per pulmones verò universus sanguis circulatur, ex quorum vitio, hic detrimentum capit. Pondere igitur hepatis increscentis propter impeditam circulationem, depressus ventriculus, cibos vitæ necessarios respuit.

HISTORIA LXXII.

Insecta in lotio.

URinam verminosam in puerpera Cent. 1. hist. 89. annotavimus, ex putrido fœtu ortam. Vermes in lotio natantes vel in renibus generantur, ubi non rarò vermes vidi præsertim in canibus, vel in ipsa matula ex materia putrida cum lotio excreta, sicut & in alvi fæcibus vermes nati conspiciuntur. Vermes innumeros in sanguine humano inveniri observavit *Athan. Kircherus* in illustri Arte Lucis & umbræ, & *P. Borellus* Centur. 3. Obs. 4. ut mirum non sit, si cum sanguine ad renes devolvantur. Ad illustranda ea, quæ supra protuli, afferam singulare exem-

exemplum Regiomonto nuper ad nos à *D. Christophoro Tinctorio* Archiatro Electorali missum: Nobilissimus Polonus nomine Binlobryski Cancellarius Episcopi Varniensis, homo plethoricus, carnosus, præterito anno gravissimè laborans scorbuto, in idem malum nuper incidit cum maximo lumborum dolore & calculi suspicione. Vsu medicamentorum Nephriticorũ à laudato Tinctorio exhibitorum, arenulas excrevit cũ vivis insectis nigricãtibus forma scorpionis, sed magnitudine minima. Initio suspicabantur cimices desuper in matulam delapsos, verum nec figura nec color respondebat, imò matulâ benè coopertâ aliquoties dicta insecta invenerunt, numero septem, octo, decem. Lotiũ redditurus semper in ductu urinario & circa lumbos deprehenderat æger dolorem vermiculantem. Vixerant hæc insecta per triduum.

HISTORIA LXXIII.

Filum purpureum in Angina.

De Transplantatione morborum in loco egimus. Videtur in Anginæ curatione quædã ejusdem indicia. Summis laudibus ad Anginam commendatur filum purpureum, quo viperæ strangulantur, in quem finem nonnulla intorta fila Patavio mecum attuli, quibus viperas

vidi ſtrangulatas. Ne pro novo ſecreto habeamus, producam veterum teſtimonia, qui effectũ ſua experientia confirmarunt in affectibus colli. *Galeni* eſt obſervatio l. 6. Simpl. Med. facult. lit. G. in Glycyſida: Si compluribus linis & maximè marinæ purpuræ collo viperæ injectis viperam præfoces, eaq; poſtea cujuſpiam collo obvincias, mirificè profuerit tum pariſthmiis, tum omnibus iis, quæ in collo expullulant. Conſentit *Ægineta* l. 3. de Re Med. c. 26. Filum lanæ purpura marina infectæ, quod obligatum eſt collo viperæ, ipſamq; ſtrangulavit, deinde pro amuleto appenſum eſt, mirificé quodammodo juvat tonſillas & colli affectiones, velut Galenus teſtatur. *Plinius Secundus* ad ſtrumas idem amuletum laudat l 30. c. 5. ſi circumligentur lino quo præligata infra caput vipera pependerit, donec exanimetur. Cui aſſentitur ſine coloris additione *Plinius Valerianus* l. 3. c. 29. Rationem ſi quæramus, in occulto latebit. Vel ex vipera emanat curãdi vis, vel à colore fili, vel ab utroq;. Vipera ſola affectũ expiat diſcutiendi vi & Alexipharmaca. Unde nonnulli caput viperæ torridũ pro amuleto collo appendũt. Imprimitur illa vis filo extremo ſtrangulationis conatu, quo ad extima colli latentes virtutes extruduntur. Fili color purpureus quid poſſit ad evocandum calorem ſedandaſque inflammationes tam calore quam ſimilitudine coloris attrahentis paucis ignotum.

tum. Ephithemata cordis rubro panno illinuntur. In extreno partium marcore fricationes ex eodem panno feliciter fiunt. Imbecilli ventriculo ſtragulâ occinea imponitur. *Marcellus Empiricus* c. 22. magdalia inducit phœnicio ſtomachoq; imponi jubet. Idem c. [illegible]. Hemicraniæ efficaciter mederi teſtatur herbam quandam in in capite ſtatuæ cujuslibet naſci ſolitam, ſi in panno rufo lino rufo ligata capiti vel temporibus alligetur. Ad ani vitia tollenda idem laudat c. 31. plantaginis radicem pellicula vel panno phœnicio obvolutam lumbiſque circumdatam. In variolis aliiſq; exathematis provocandis non ſine ſucceſſu ſtragulas rubras lecto ægriſq; applicamus. Mulieres pulchritudinis ſtudioſæ ſimili panno genas fricant ut ſplendido rubore facies niteat. Hinc oculis noſtris inimicus eſt color, quo evocantur ſpiritus lucidi & ex aliorum ſententia rubri, ut etiam in furorem animalia nonnulla adigat. Similitudine multi in natura adſcribendi effectus. Calida & urentia ambuſta curant evocantq; calorem, & congelata membra frigus glaciale ſanat. Rhabarbarum flavum, bilem trahit, Agaricus candidus pituitam. Igitur partim coloris ſimilitudine filum purpureum inflammationi faucium medetur, partim communicata à vipera ſtrangulata poteſtate, quæ tamen ſimilitudine quoque imputanda. Morbi ſtrangulatorii idea filo à viperis impreſſa vide-

tur, unde per transplantationem similis affectus ad cognati generis filum transfertur. Sunt qui magnis usibus expetant catenam, qua fures suspenduntur. Pro superstitiosis traducimus, an verò hinc subsidium inveniant, ipsi viderint. Qui notas causas expetunt, adeant *Galenum* l.6. Simpl. med. fac. ubi de amuleto pœoniæ disputat, cui rationi congruum videtur, aut partes quaspiam à radice defluentes ac deinde per inspirationem attractas, affectos ita locos curare, aut aerem à radice assidue mutari & alterari. Quod de lino nostro purpureo quoque dictum vult.

HISTORIA LXXIV.

Hirudo in aure.

Hirudines seu sanguisugas in hæmorrhoidibus sanguine delectari, vulgo notum. Hinc quum casu fortuito in ductum auris cujusdam Neapolitani hirudo irrepsisset, sanguine aurem externam perfudit *Severinus*, quo revocatus hirudo fuit & aurium latebras reliquit. Alias artes ex auribus evocandi vel enecandi vermes vide apud *Oribasium* l. 4. Loc. aff. cur. c. 39. 40. Ex hirudinibus admotis multi ulcera nacti Neapoli, me præsente, unde fistulæ aliaque mala ad Nosocomium miseros detruserunt. Phtisicum novi ibidem miserè exinde fistula ani tortum. *Chebibi*

Med.

Med. Ebræus l. de v. ſ. teſtatur ex his vulneribus complures fato ceſſiſſe, inflammatione, dolore, abſceſſu. Panormi eadem audacia affectibus quibuſcunque puerisque ſanguiſugas applicant ſtatim ante ullam corporis purgationem. Habent aliquid veneni hirudines, quod an aqua ſimplici elui poſſit, non facilè dixero, quum perpetuo in aquis degant. Adſcenderunt nonnunquam ad inteſtina, teſte *Zacuto*, & damna illarum in ventriculo recitat Dioſcorides l. 6. c. 3. Certè tot tantiſque caſibus permotus *Severinus* magnus ille Chiron, maluit ſemper ferro hæmorrhoidas aperiri, ſi ægri ferrent, quos alioquin aſtu quodam cogendos & decipiendos cenſuit. Indi aculeis ex cane Hoitztlacuatzim hirudinum loco utuntur, ut ex *Hiſtoria Mexicana* didici.

HISTORIA LXXV.

Tumidus venter poſt partum.

MUlier Hafnienſis in vico S. Antonii edito legitimo partu, poſt ſex hebdomadas alium enixa eſt, ſed mortuum. Poſtea venter adeò tumidus permanſit quaſi plures fœtus ſupereſſent, ſicut & thorax abdomen æquans. Scilicet gemello partu debilitata viſcera colluviem humorum congeſſerant. Noſtris puerperis familiare, ſi frigido potu nimium delecten-

lectentur, nec moderato tepore corpus semper madeat, tumidum ventrem referre. Molam in utero superfuisse, suspicio nobis nata. Cum Lunæ incrementis venter augebatur. Habita tamen fuit pro Hydropica. Suffocationibus sæpe obnoxia tandem miserè animam creatori reddidit. Consilium nostrum fuit dissecto corpore in causam tumoris curiosius inquirere, sed amicis illius repugnantibus, à suscepto destitimus.

HISTORIA LXXVI.

Timore mortui.

TImoris damna non pauci experti sunt, quorum passim exempla prostant. Metus mali sæpe pejor ipso malo, & mortis formidine quàplures moriuntur ante mortem. Fugiendus timor vel eo nomine, ne torpidus metu sanguis ingruentia male facilius admittat. Corripiuntur multi hoc tempore pestilentia, quam forsan constanti animo & sereno evaderent. Viduam novi primariam solo metu concepto, fati necessitatem sibi accelerasse. Vetula enim domestica timidiuscula visum sibi funus ex ædibus efferri narrabat, quo perterrita vidua statim lectum petiit & ad mortem devoto animo se composuit. Romæ mortuus est me præsente Vir eminens, cui in thorace circa cor san-

guis concretus mortis causa credebatur, natus ex timore in mari concepto, quum iniquitate ventorum agitatus Genua solveret in Sardiniam trajecturus.

HISTORIA LXXVII.

Vermes ventriculi.

OB præteriti anni humidissimi intemperiem corrupto fœno, quo vescebantur pecudes, initio veris 1649. strenue & catervatim in Dania moriebantur. In dissectis bobus visæ in ventriculo vesiculæ plurimæ vermibus scatentes, à quibus erosus credebatur ventriculus illis, quæ sua sponte moriebantur. Anthor est *Trallianus* l. 7. c. 9. frequenter lumbricos sursum ad os ventriculi adscendentes, cardiacos affectus, immodicas animi defectiones, syncopas excitare, ut nonnulli statim cum à lumbricis roduntur, intereant. Hinc sæpe mors inopina infantes adultioresque opprimit, sine causa manifesta, ex ventriculo à vermibus perforato, præsertim si ad stomachum pertingant.

HISTORIA LXXVIII.

Urina ſuaviter olens in moribundo.

RAro ſuavi odore ſpirat lotium niſi poſt aſſumpta aromata, terebinthinam, &c. neque id ſemper, ſed in ſanis tantum ubi corpus purum tranſeuntes per venas odores non inficit, alioquin bene olentia aſſumpta fætent quando excernuntur. In morboſo tamen corpore & mortis candidato gratiſſimum naribus noſtris lotium vidi excretum. Civis Hafnienſis ſcorbuticus & calculoſus tandem imbecillitate ventriculi aucta cum vomitu materiam æruginoſam, & ſeroſam frequenter rejecit; ſingultus ſupervenit, noſque terruit. Urinæ claræ ſine ſedimento, colore aureo, interdum aqueæ, ſubinde ſuppreſſæ, cum pulſu debili & virium impotentia, frequentique diarrhæa. Odor initio urinæ fætens erat, quemadmodum excreta alia, ſequentibus verò diebus gratiſſimus ſentiebatur odor quaſi violarum. Suſpicio nobis nata terebinthinam fuiſſe inconſultis Medicis exhibitam, ſed neganti ægro, uxori, aſtantibuſque credere ſumus coacti. Nihil tamen profuit odoris ſuavitas, pulſus enim intermiſit, & quanquam ſubinde recurreret, ſuperveniente Angina, totiuſque faciei ingenti tumore, brevi poſt exſpiravit. Cauſam odoris ſuavis affer-

re

re in morbido corpore difficile, si quidem Terebinthinam excludimus. Sali volatili urinæ adscribit *Borellus* Cent. 2. Observ. 33. quia violarum odorem optime redolere salem gemmeum marinum observavit, qui sale Terebinthinæ junctus augeat urinæ odorem. Cur autem putrescentibus humoribus non sit inquinatum, hanc causam credo, quod vomitu & diarrhæa aliò diverterit, & per vasa languentia liberè commearit.

HISTORIA LXXIX.

Uroscopia elusa.

VUlgus nimis subinde sollicitum in urinarum divinatione, Medicorumque hinc auctoritati struit insidias, vel astu vel simplicitate deceptum. Quomodo verò impostorum dolus animadvertendus, propositis dubiis summatim exponit *Fr. Ioël* l. 4. sect. 3. c. 48. Imprimis absentes peccant, qui Medici judicium pertentant & lotium impudenter transmittunt, quibus semper infensus fui contemptu potius quam responsione dignis. Sæpe ego peregrè ad me delatæ urinæ judicium inhibui, vel Scorbuto malo inquilino imprægnatum remisi. Placuere impensè facetiæ *Ewaldi Screvelii* Medici Professoris Leidensis, quem summa cum voluptate docentem audivi. Huic rusticus quidam Belga urinam hominis

casu improvisio læsi attulit ut divinaret an ex curru quatuor rotarum, vel rheda duarum, esset lapsus. Statim ille, quasi arti suæ confisus, ex rheda excussum pronunciavit. Rusticus ex curru quatuor rotarum lapsum regessit. Quæsivit Screvelius, an omnem urinam in matula secum attulisset. Illo negante, quia aliquid in itinere fuerat effusum, hem! respondit Medicus, in effusâ urinâ reliquæ duæ rotæ inerant, nam in superstite lotio duæ tantum videntur. Ita stultam de urinis exoticis elusit quæstionẽ. Similem ferè historiam lege apud *Forestum*, & alia hujus census apud *Thonerum* l. 6. Epist. 21.

HISTORIA LXXX.

Auris perforatio.

STalagmia lobis aurium appendere veteri consuetudine usitatum. Utrique sexui luxus ille communis. *Plinius* l. 9. c. 35. *Parum fuerat in gulas condi maria, nisi manibus, auribus, capite, totoque corpore à feminis juxta virisque gestarentur.* Hinc annulatæ aures apud *Plautum* in Pœnulo. Displicuit tamen hic mos sapientibus: Censori morum *Senecæ* l. 7. de Benef. c. 9. *Video uniones, non singulos singulis auribus comparatos, tam enim exercitatæ aures oneri ferendo sunt, junguntur inter se, & insuper alii binis superponuntur.*

Lau-

Laudat conjugem alter *Seneca* Tragicus in Herc. Oet. cui lapis Eoa lectus in unda gemmiferas aures non detrahit. Turpe mulieri putat *Iuvenalis* Sat, 6, quum

Auribus extensis magnos commisit elenchos.

Maximè in viris luxum istum exsecrati sunt, *Servius* l, 1. Æn. de Achille apud Sigæum ejus statuam fuisse memorat, quæ imâ auris parte elenchum more femineo habuit. Exprobat id Paganis *Tertullianus* de Pallio: *Achilles aurem foratu effeminatus, quod illi apud Sigæum statua servat.* Nolo luxum aurium gemmiferarum defendere. Nudam perforationem laudo & sanitati proficuam commendo. Me juvene familiare plerisque meminisine pompa auribus perforatis annulos gestare. Viam intento digito monstravit Natura. Foraminulum in lobo extare stalagmiis seu inauribus destinatum ex *Casserii* observatione monet *Hofmannus* l. 2. Inst. c. 84. t. 1. hoc nomine à *Riolano* in Animadv. notatus, qui tamen non omnium aures vellicavit. In aliquibus hujusmodi foveolam vidit *Lindanus* Med. Phys. c. 11. art. 1. t. 4. Perforatæ aures fontanellæ vicem gerunt, ex toto evacuantis. Mirus enim lobi auris cum corpore reliquo consensus, sive per nervulos, sive per arteriolas à carotide, sive per venas exjugularibus. Veteres auriculam vellicabant in adulatione propter toti-

us titillantem sensum. Memoriæ quoque sedes credebatur. *Plinius* l. 11. c. 45. *Est in aura ima memoriæ locus, quem tangentes attestantur.* *Horat.* l. 1. Sat. 9. *licet attestari : ego verò*

Oppono auriculam, rapit in jus.

Acron. Porphyrius, Erasmus, Lipsius, legunt ubique antestari : In antestatione memoriæ causa actor auriculam imam tangebat antestati, cum hoc verbo *Momento*, deinde injecta manu in jus trahebat. Tactus auriculæ lobus in consensum ttahit reliquas partes. Summo æstu si frigidam lobo aspergas, universum corpus senties refrigerari & refocillari, quod non simplici vice in me expertus sum. Perforatur innoxiè, & propter arteriolas carotides, venulasque jugulares, capitis vasa, genas gingivasque perreptantia, non capitis solum, sed oculorum, dentiumque affectibus prodest, ut valdè mirer cur Bubulcus ille in Taurinis apud *Scaligerum* de Subt. Exerc. 13. n. 1. cui auricula perforata fuerat fulmine, amens atque attonitus, nunquam recte aut sapere aut loqui valuerit, nisi extra auriculam inquiramus tantæ stoliditatis causam. Testis est P. *Alpinus* l. 3. Med. Ægypt. c. 1. in Ægypto familiarem esse aurium scarificationem, præsertim prima æstatis parte, quo tempore è centenis quibusque pueris quadraginta vix reperiantur, quorum aures ob scarificationem gossipia non gestent. *Vallesius* l. 6. Epid. Sect. 5. part. 21. Empiricos quosdam vidit

vidit iſciaticis omnibus internam auriculæ partem, qua cartilago velut replicata tumorem quendam habet, cauterio urere, & eorum quoſdam eſſe juvatos. Cauſam addit, quod multis Iſchiaticis ex capite fluat materia, & ejus loci uſtione intercipiatur. Idem didicit à Sarracenorum filiis, quos Philippus devicta rebellione à Granatæ finibus ſecedere imperavit. Ad dentium dolorem periodicum nihil præſentius habuit Patavii *Spigelius*, quam ferro candente eam Antelicis partem incidere, quæ ſupra concham immediate ſuperiorem Tragi partem contingit, deinde vulnus conſolidare. Singulare ophthalmiæ remedium ab amico mihi communicatum, lectoribus non invidebo. Auris lobulus lateris affecti perforetur, perque foramen factum trajiciatur turunda longiuſcula ex inverſo & convoluto cortice radicis Laureolæ. Sinenda eo loco turunda, donec auris & vicinæ partes intumeſcant, tum leviter turunda commoveatur, ut aquæ copia collecta effluat, qua exhauſta detumeſcet auris, & opthalmia ſedabitur.

HISTORIA LXXXI.

Artificioſa Venarum Separatio.

ACcuratas Anatome manus requirit, ut pulcrior nitidiorque emergat. Divinam artem proſtituunt, qui omnia incautè lacerant, & cani-

no more discerpunt. Venarum artificiosa separatio multorum exercuit conatus. Dici non potest quantum & prosit & delectet. Rudes sunt qui sola viscera spectantium oculis exponunt, quæ laniis quoque obvia sunt. Separato parenchymate hepatis, lienis, &c. vasorum inter se communiones seu anastomoses patent, obscuræ alioquin & dubiis ignorantium involutæ. Usum quoque habet in scirrho hepatis & lienis, quem facilius emollimus, si parenchymata viscerum noverimus dissolvere. Exhibet plusculis hæc operatio negocium. In Theatro Anatomico compacta viscera rectè primo exponuntur, sed & separata vasis suis sunt spectatoribus in tabella exhibenda. Qua id arte fieri debeat, quia plurimis vel ignota, vel per invidiam tecta, non gravabor sine invidia detegere, si quidem publicè non semel in corporum artificiosa dissectione feliciter mihi successit opus. Coquo leviter hepar & lienem, vel in aqua sola macero, deinde detracta facili negocio suaque sponte recedente membrana bacillo lato super lapidem concutio donec parenchyma friabile excutiatur, quod reliquum est digitis abraditur. In liene citius perficitur, quia totus ferè fibrillis constat. Nitidior modus cum aceto, quod concretum sanguinem dissolvit, hinc utile spleneticis acetum, & in contusionibus collectus concretusque sanguis aceto infringitur. Alii lac aceto addunt. Nos aceto primas deferimus partes, cui in-

incoquimus parenchymata. Operosior est venarum, arteriarum, nervorumque ex universo corpore separatio, qua memoriæ fugienti impensè consulimus, & in expansis tabellis omnium vasorum ordinatam continuamque seriem repræsentamus. Sceleta hujusmodi venarum, arteriarum, & nervorum sibi confecit olim *Spigelius*, postque eum *Veslingius*, *Leonicenus* perfectiora reddidere. Consobrinus meus fraternis nominibus amandus *D. Henricus Fuiren* elegantes tabellas quatuor possidet, publico Academiæ nostræ Musæo dedicatas, quibus venæ, arteriæ, nervi ex cadavere exsecti & exsiccati justa magnitudine & serie agglutinantur. Quibus volupe idem imitari, caveant diligenter ne festinata & ponderosa manu fibrillas lædant, patientes præterea laborum sint & putridi cadaveris odoris. Elegantius enim opus emerget, si ex unico homine eximantur, ita enim sine lacunis, sine additamentis & laciniis omnium series servabitur. Initio ab abdomine facto ad reliquas partes omnes progrediendum, nec ullius ratio habenda præter vasa, quæ junctim omnia separanda prout occurrunt. Peracto difficili & fætoris pleno laborisque negocio, invicem cohærentes venæ, arteriæ & nervi totius corporis jam à cadavere libera spiritu vini immergantur & macerentur, cui aloe & myrrha immixta. Postea repetito labore venarum truncus cum suis propaginibus ab arteriis nervisque

ſeparandus, & arteriæ à nervis, ut disjuncta in tabulis explicari poſſint ligneis. His primum aciculis affigenda vaſa eo ordine quo in cadavere locata ſunt, quantum plana tabulæ facies permiſerit. Deinde ubi probe diſpoſita fuerint, remotis aciculis glutine temperato ex aloë, ſpica, &c. agglutinanda, ſolique ad exſiccationem exponenda. Exſiccata moderato aëris repore, illinantur oleo ſpicæ, ut diutius à carie defendantur. Diverſas tabulas ſibi poſcunt Vena Portæ, Venæ lacteæ & Lymphaticæ, nervus ſexti paris, & vaſa Pulmonaria, quia ob vaſorum confuſionem reliquis ſociari non poſſunt. A carne ſua quoque plantas, inprimis folia, curioſo labore nonnulli reſolvunt. In ficus Opuntiæ folio id tentavit *M. Aur. Severinus*, mihique partem ſeparatam concredidit. Fusè deſcribit hunc contextum fibrarum ſeparatarum in *Zootomia* part. 1. c. 6. p. 64. ſed modum reticuit, quem mihi aperuit. Simplici infuſione aquæ tamdiu macerat folia, donec fibris lignea duritie reſiduis, omnis carnea portio per ſe exſolvatur.

HISTORIA LXXXII.

Senſus abolitus.

JUvenis quidam ſenſum tactus & guſtum amiſerat, nec fame ulla premebatur, comedebat

tamen ut sibi vitam servaret, ambulabatque scipione fultus, quia ubi pedes essent ignorabat. Aliam virginem sanam in Anglia novit *D. London* Medicus, amicus olim meus, quæ ustiones in collo non sentiebat, acumque & fronti impressam & unguium radicibus intrusam sine ullo doloris sensu admisit. Membranarum cerebri stupor vel nervorum vitium ibi incusandum. Hic verò sensus forsan membranis nervisque inerat, sed non dijudicabatur dolor inflictus, quod spiritus non figerentur in partibus, sive consuetudine sive alia causa, quemadmodum dolor major minorem sedat apud *Galenum*; non quod non sit, sed quod non sentiatur seu dijudicetur. Alioquin ex *Hippocratis* decreto in statu p.n. dolentes dolorem non sentientes, h.e. qui dolorem discernere nequeunt, mente laborant. Aliàs notavi volam manus subinde callum obduxisse, ut ignitos carbones innoxiè contrectaret.

Historia LXXXIII.

Trimellorum partus.

UXor Pastoris Hafniensis 1646. ad annum 50. vergens, octavo mense enixa est puellas tres vivas, sed brevi post baptismum defunctas. Alia mulier paupercula hic oberrat, totidem liberis uno partu productis stipata. Circa finem anni 1656. plebeji uxor prope portam Orientalē tres

quoque peperit. Quorum primus totus benè formatus & vitalis sacro fonte tinctus, alteri quoque ad perfectionem nihil defuit, nisi quod occipiti carnea massa, mitræ instar, insterneretur. Tertius informis mole molam potius quam fœtum referebat. Rarò enim nostro cœlo trimelli perfecti sunt aut vitales, ob alimenti necessarii defectum in corporibus cacochymicis. Quanquam singuli suos habeant funiculos, unicæ tamen placentæ nonnunquam inseruntur, ex observatione *Mich. Rupert. Besleri*, Medici Noribergensis Clarissimi in Obs. Anat. Med. singulari: nonnunquam binis, quod obstetrix nostra vidit apud puerperam in platea Boreali.

HISTORIA LXXXIV.

Mola singularis.

Mulier in vico studiosorum post triduanos parturientium dolores, elegantis fœtus spe delusa, peperit molam perraram, obstetrice aliisque mulieribus præsentibus & admiratione attonitis. Caput ovillum maxima similitudine referebat, & forma & magnitudine. Dentes multi in maxilla prominente, pilosa cutis universa, & oculi ovilli, sed sine sensu ullo, vita cassi.

HISTORIA LXXXV.

Cerasi ossiculum deglutitum.

INnoxiè sæpe deglutiuntur cerasorum nuclei,& per alvum immutati dejiciuntur, ubi in cœco non rarò moram traxerint, ut plurimorum sectio docuit. Nonnunquam tamen,ut spinæ,partes quas transeunt, lædunt, si acutis suis eminentiis in via hæreant. Malo suo id experta est nuper matrona Helsingburgensis. Ossiculum cerasi per imprudentiam elapsâ æstate deglutivit, vel deglutire voluit. Substitit id ipsum in faucibus per plusculas hebdomadas non sine acerbis doloribus ob partim sensibilium ruptam unionem. Tumor modo ovi columbini,modo pomi mediocris magnitudine succrevit, sæpicule nonnihil detumuit, ad suppurationem tamen nunquam pervenit. Tandem ossiculum limoso & tartareo involucro sensim obductum noctu per tussim expuit in pelvim, nihil inde mali amplius perpessa. Ossiculum cum rupto cortice tartareo ad me transmisit cum actæ rei historia Vir experientissimus D. *Christophorus Rostius* Poliater Helsingorensis,amicus æstimandus, qui integrum misisset, nisi ipsa ægra malleo contrivisset, exploratura quid esset. Cortex verò undique quidem nucleo inductus fuit, sed inæqualis & asper, acu-

tis hincinde cuſpidibus, lapidea duritie, colore ad viridem vergente. Nempe alimentis liquoribuſque ſumptis, qui tartarus inerat, oſſiculo adhæſit, quemadmodum dolio affigi ſolet ex venis, & dentibus quoque agglutinatur. In duritiem verò calore inflammatæ partis concrevit, ſicut alii in corpore lapides denſantur.

HISTORIA LXXXVI.

Apoplexia ex tumore cranii.

MUlier Leidenſis tumorem in dextra ſincipitis parte geſtavit externum. Ablatus ille fuit celeri chirurgi periti manu, & ſine ullo gravioris mali metu tres dies effluxerunt. Sed quarto die ſubito invadente Apoplexia moriebatur, ut prædixerat aliis motus ſimilibuſque exemplis Cl. *VValæus*, quia in hujuſmodi capitis tumoribus læditur pericranium, quumque hærentes matres internæ dilatantur, concidit cerebrum comprimitque ventriculos.

HISTORIA LXXXVII.

Bregma apertum.

TEſte *Plinio* l. 11. c. 37. Uni hominum infantia palpitat, nec corroboratur ante primum

mum ſermonis exordium. Nonnullis citius bregma clauditur, aliis ſerius. Puella mihi oblata quinque annorum, cui adhuc apertum erat, nec fari potuit. Excreverat illo hiante ingens caput in latitudinem conſpicuam, ſed palpitans cerebrum non obſervabatur. *Bauhinus* c. 2. de Ext. Corp. Part. mulierem novit, annorum viginti novem, cui nondum induruit, & ſi quando capite doleat, ea pars dilatatur, ſine dubio ab humorum affluxu. Obſervavit *Parens* meus memoriæ beatæ, in Viro quadragenario membranoſam illam partem & infantum more hiantem.

HISTORIA LXXXVIII.

Pulmonum remedia quo modo adhibenda.

NIhil difficilius in ulceribus pulmonum aliisque thoracis affectibus, quam ad partem affectam medicamenta producere, quæ ob viæ longitudinem vix quicquam proficiunt: intercipit enim pleraq; ventriculus per patentes œſophagi meatus, & antequam ad pulmones pervadant, vel imminuitur vis vel prorſus obliteratur. *Plato* quidem ad pulmones tam prompta via exiſtimavit aſſumpta deferre, quam ad ventriculum. Sed epiglottis remoram oppoſuit qua larynx clauditur. Per rimulas tamen aliquid deſtillat potulentæ materiæ, quod experimento nos docuit *Hippocrates*

ex mactato recenter porco, in cujus pulmonibus liquor coloratus reperiebatur, quem antea hauserat. Et *Iulius Iasolinus* l. de Aqua in Per. in nobilissimi cujusdam Viri cadavere quærens causam mortis, invenit pericardium adeo humore distentum, ut eo presso aliquid humoris per os effluxerit. Consultum igitur est, ut pectoralia medicamenta, sive tabellæ, sive linctus, sive alia fuerint, diutius in ore contineantur, ut sensim per laryngis latera destillent. Tardum tamen hinc auxilium: Ut confertim irruant ad pulmones, artificium respirationi erit sociandum. Decoctum ex herbis vulnerariis, pectoralibus, aliisque pro medentis scopo, parandum est, cujus vaporem æger inspirans cum aëre continuo recipiat. Hinc enim vapor integris viribus & brevi via ad pulmones delatus, ægritudinibus illorum medebitur. Eo pacto universus aër in commodum ægri inficiatur, nec cum Galeno in Ægyptum navigandum. Musæum nobis Ægyptus erit.

Historia LXXXIX.

Vulnera digitorum lethalia.

Periculo neutiquam carent digitis inflicta vulnera propter tendinum nervorumque contextum, quibus etiam leviter punctis convulsio concitatur. Si per transversum rescindantur, minus

subest

ſubeſt periculi, quod remedium laudat *Celſus* in convulſionibus à ſemi ſecto nervo ortis. Tumultu orto inter ſtudioſos & Nobilium aulicos, ſuperiori anno menſe Decembri, Nicolaus Andreæ Theologiæ ſtudioſus inſons portam Regentianam ingreſſurus triplici in digitis manus dextræ vulnere ſauciatur. Curatur à Chirurgo & dextrè quidem obligatur, ſed ſequenti die orta convulſio, quæ indies exacerbata undecimo die miſerè juvenem literatum boniſque moribus præditum extinxit. Cum præſciſi nervi tendineſque convulſiones concitare non poſſint, ſuſpicabar nervum tendinemque ſemiſectum has juveni turbas creaſſe. Neque enim inflammatio partes læſas corruperat, quia exſangues, ſed tam ſana vulnera, etiam poſt mortem, viſebantur, quaſi nuperrimè inflicta. Juſſu ſuperiorum D. *Simon Paulli*, D. *Paulus Moth*, & D. *Chriſtianus Oſtenfeld*, Collegæ mei honoratiſſimi, me ægrotante, cadaver luſtrarunt, & tria ibidem deprehenderunt vulnera, quorum primum ſatis amplum conſpiciebatur in flexoribus ſecundi internodii pollicis manus dextræ, nerviſque amputatis, ad ipſum os primum pollicis & metacarpo proximum penetrabat paulo infra flexuram ſecundam. Alterum erat ejuſdem manus medii digiti, qui in ſecundo internodio amputatus erat prominente oſſe. Tertium denique vulnus in ejuſdem manus anularis junctura ſecunda, & præter ea in toto

toto cadavere nullum observarunt. Interrogatis insuper ijs, qui frequentes ægro adfuerant, adeoque exquisitis ijs omnibus quæ decumbenti acciderant, æstimataque memoratorum vulnerum constitutione, censuerunt atque pronunciarunt, vulnus pollicis ut ut non sua natura lethale, periculosissimum tamen & ob insecuta symptomata gravissima, veluti convulsiones vehementes totius, ægro lethale extitisse.

HISTORIA XC.

Fucus mulierum Groenlandicarum.

TAm Græcis quam Romanis mulieribus, pulchritudinis studiosis, olim usitatum accepimus, supercilia nigrore fucare, vel ex stibio, acacia, fuligine, aliisque pulveribus nigris inducto colore. Sequentibus seculis apud Græcas mansit fictus iste ornatus, & ad Turcas deinde transiit teste *Bellonio* lib. 3. c. 35. qui collyrium vulgatum Turcis describit, ex ære, galla & aqua compositum, quo sibi feminæ supercilia tingunt. Alius fucandi modus in Groenlandia frequens, quod ex feminis ad nos delatis nuper didicimus. Barbaræ illæ quidem, inest tamen & his suus fastus. Non pingunt faciem nativo colore fuscam, sed cicatricibus impressis hinc inde compungunt semper, ut operæ parcant, conspicuis. Non tam ad ornatum aut pompam hæc spectant stigmata, quam ut nu-

biles feminæ nuptæque à puellis impuberibus aliqua nota distinguantur. Duæ ad nos delatæ mulieres grandiores natu stigmata hæc ostendunt, tertia juvencula 16. annorum caret. In mento, barbæ virilis instar, ab infimo labio ad menti extremum lineæ descendunt nigræ & profundæ, parallelæ, numero 13. & 15. quales supra nasum in superciliorum confinioquoque visuntur, & sub palpebris oculorum inferioribus. Quantum ex relatione Capitanei Davidis Tenelli intellexi, qui navi sua illas abduxit, filum rudius sævo balenarum inductum cum acu per faciei cutem traducunt, cujus vestigia impressa relinquantur, nigra & cicatricibus profundis simillima.

Historia XCI.

Camphora olfactui nocens.

Subtilium partium est camphora, ut etiam collo febricitantium puerorum appensa tractu temporis consumatur & in auras evanescat. Ingrato sapore multorum palato est molesta, ut ex Aqua Analeptica Rulandi saporis gratia, à nonnullis eliminetur. Olfactum lædere, pauci observarunt. Pharmacopæus Nicopiensis industrius & artis suæ peritus Christophorus Heerfard, de se nuper mihi referebat, à nimio Camphoræ usu in officinis præparato & contrectato, olfactum prorsus sibi esse læsum & ablatum, ut sensu hoc neces-

necessario carere exinde debuerit, reliquis sensibus ad artis suæ & vitæ cōmodum salvis integrisque: Nempe molles sunt nervi olfactorii facileque exsiccantur vel prorsus diffluunt, quod alias observatum. Mirum autem mihi semper visum, nec causam scio manifestam, cur quidam benè olentia olfaciant, fœtida verò non feriant sensum, nec percipiantur, quod proprium est Avunculo meo honoratissimo *M. Iacobo Finchio*, Physices Professori Regio & Academiæ nostræ seniori.

HISTORIA XCII.

Cuculi nutrix Curruca.

DEcantata est apud veteres cuculi ingrati historia, non procul fabulis. Supponere nempe ova in curruсæ nido, & exclusos cuculos à curruca tamdiu ali, donec adultiores cibis quærendis apti nutricem devorent. Cui volupe, consulat *Gesnerum*, *Aldrovandum*, *Ionstonum*, aliosq.. Pauci tamen inducti sunt ut crederent, vera esse quæ de cuculo magno veterum cōsensu traduntur. Quid his oculis viderim, perituræ chartæ committam. In ædibus Religiosissimi Episcopi Scaniæ D. Petri Winstrupij Magni Theologi, æstate præterita, cum negociorum causa Londini Scanorum apud Cl. V. M. Vitum Beringium Historiographum Regium, amicum veteri necessitudine & constantia suspiciendum, commorarer, vidi

cucu-

cuculum juniorem caveæ inclusum, & in horto ejusdem suspensum. Nulla esca à domesticis unquam oblata fuit nec aqua, sed statis vicibus avicula passeri similis advolans per patulum foramen caveæ cuculo escam potumque adportavit. Ter quaterque redit curuca, & adventum sibilo nunciat, quem cuculus in cavea simili sono excipit, & hiante rostro præstolatur. Alieno hoc victu ultra hebdomadas octo vixit, nec alia nutrice indiguit. Ita multa quæ falsa credidimus & exoleta, inter vera sæpe se commendant observantium diligentia. An verò nutricem currucam adultior cuculus devoret, videre nequivimus. Curruca enim oberrante nescioquo fato mortua, cuculus quoque ob alimenti defectum interiit.

HISTORIA XCIV.

Cranium monstrosum.

Cerebri in humano cranio insignis est magnitudo, & si ad corporis molem conferatur, duplo pondere excedit bovinum. Exercentur enim copiosæ hic animæ functiones, brutis denegatæ. Præterea ad erectam corporis figuram pondus confert. Miraculo vel monstro simile est cranium animalis cujusdam ex Scaniæ prato prope fluviolum ad magnum nostrum *VVormium* allatum, cujus iconem nobis exhibuit in Musæi sui historia l.3.c.26. Figura est globosa instar humanæ, sed

tenue, leve, magnitudo duplo ferè superans humanum. Hominis verò cranium non esse ex proboscide & dentium constitutione laudatus Vir divinavit. Nasus enim prominet proboscide similior quam naso. Dentes molares duo supersunt in maxilla, figurâ ab humanis & animalium aliorum diversâ: nam quilibet dens parte qua extat, prominentias quinq; semilunares habet. Quum igitur nec ad humanum cranium, nec ad alterius animalis similitudinem accedat, pro monstro interpretor, & lusu naturæ, tam magnitudine quam formâ ludentis, inter aquas generatum. Auget suspicionem apud me, quod orbitæ oculorum nulla supersint vestigia, quibus tamen nullum animal ejus magnitudinis, si naturale sit, carere potest. Fuit cum crederem ossa crescere posse, & hinc sæpius ex terra ossa gigantibus similia erui, & consuetam magnitudinem excedere.

HISTORIA XCV.

Scorpiones deglutiti.

FAtuus quidam Patavij araneas omnes obvias devorabat. Sunt multi qui innoxiè hauriant aquam vinumque in quo araneæ fuere immersæ & suffocatæ, de quo disputat *Salmuth.* Cent.2. Obs.22.48. Innoxium ætera animalculum telis texendis industrium, quibus feliciter in febribus depellendis utimur, carpo applicatis. Romæ alius inte-

integræ mentis, ſcorpiones ſine damno deglutivit, prius tamen accurato modo complicatis chelis caudæque ſpiculo, ne linguam & fauces deglutientis læderet pungeretque aculeus. Nempe indemnes ſcorpiones ex ſe nihil damni inferunt niſi lædantur, cum vim vi per aculeum retorquent. In Italia ſæpe dormienti mihi accubuerunt, ſed à me non læſi, innoxij fuere. Aculeo chelisque explicatis nocent, quum ex ipſo corpuſculo oleum conficiatur ſcorpionum adverſus venenatos morſus. In ventriculum demiſſi, ſi aculeũ exſerere non poſſint, nihil mali inferunt, quia humiditatibus lentis involvuntur, & ventriculi actione ſtatim tranſmutantur. Ita externa multa, ut ſinapi, muria, allia, oleum vitroili, cutem exculcerant, internè ſumpta non ulcerant partes. Quatuor hujus rei cauſas affert *Galenus* l. 3. de Temp. quibus non acquieſcit *Steph. Rodericus Caſtrenſis* l. 4. Quæ ex Quib. c. 10. qui legi meretur. Scorpiones non homines tantum læſi aculeo figunt, ſed in ſui generis alios ſæviunt. Elegans ſpectaculum fuit in Muſæo Conſobrini mei *D. Henrici Fuiren*, cum Patavij degeremus. Commiſſi invicem ſcorpiones, ſingulis vitris ante ſecluſi, in mutuum exitium conſpirarunt. Qui magnitudine ſuperabant, minores totos devorabant, exceptis aculeo & chelis, ſine dubio aliquot dierum inediâ ad hanc lanienam armati.

HISTORIA XCVI.
Mesenterij Abscessus.

LOngæ molestæque ægritudinis in Nobilissimo Viro nuper defuncto, compendium faciam. Abscessibus scatebat mesenterium à longo viscerum vitio, nativa dispositione, continuatis studijs, & obstructis hæmorrhoidibus. Continuo per alvum purulentam materiam excrevit, subinde eandem per lotium, ut jurares renes esse infensos. Semper tamen fæces alvinæ puræ prodiere, unde extra intestinum rectum, cujus sphincter dolebat, & exiguo foramine tuberculi patebat, sedem affectam suspicabamur. Nempe glandulæ mesenterij apostemata congesserant, quibus maturis ruptisque pus eructabatur. Remittebant subinde dolores expurgato copiosè pure, sed coacervata materia & ad suppurationem maturante, dolores & febris in dies singulos oriebantur, ex Coi præsagio, tumque pure ad librarum pondus prodeunte, levabatur, donec idem malum quasi per circulum rediret. Tormina circa umbilicum & ruptio quasi vesiculæ in abdomine ante sentiebantur, quam pus efflueret. Dolorum, puris, patientiæ ægri constantis nullus modus. Omnium remediorum successum pertinax malum & locus abstrusior frustrabatur. Oneratis vexatisque ita interioribus, natura tandem copiâ pressa puris, exitum

exitum moliebatur. Inter os sacrum & coxendicis in musculis femoris macula orta, mox tuberculum cum tussi protuberans ad tactum flatu pureque plenum. Quia alia nil profuerunt, ferro apertum. Pus copiosum effluxit tanti fætoris, tantæ acrimoniæ, ut scutellæ argenteæ qua excipiebatur, aquæ Regiæ instar, nigrorem induxerit. Hinc pertingebant dolores ad scapulam ejusdem lateris sinistram, forsan per lacteum thoracicum ex abdomine ad axillas protensum; computruerant enim interiora pleraque, ut compressa digito chirurgi scapula secundum dorsi longitudinem, per patulum in glutiæis musculis foramen, pus spumans cum sibilo egrederetur. Toto morbi decursu nulla quies, nisi à quotidiano laudani Opiati usu. Dolores incredibiles, purisque effluvium demum cum vita cessarunt.

HISTORIA XCVII.

Sanguineus fluxus rupto umbilico.

PUer bimulus optimi & Nobilissimi Viri, sanus hilarisque ulnis nutricis gestatus subitò sanguineo fluxu comprehenditur, quo per alvum ubertim sanguis purissimus velut secta vena prosiliit, & spacio horarum paucarum, sine alio symptomate, morti dedit. Dysenteriæ nulla suspicio, quum torminibus caruerit, & maturatum funus reclamet. Neque ex hemorrhoidibus

prodiisse, præsentes testantur. Lien vitio immunis. Examinatum cadaver nullum vulnus, nullas contusiones, nullaque signa dubia monstrabat; quibus nutrix accusaretur. Umbilicus verò mortis causam videbatur illustrasse. Retractus ille erat, & quasi ruptus, ut digito immisso non attingeretur, forsan obstetricis culpa post partum nimium rescissus, qui saltu & motu quocunque corporis facilè rumpebatur. Antiqua est traditio, vasa umbilicalia disrupta subitam mortem afferre. Unde verò sanguis? Dysenteria apud Ægyptios, teste *P. Alpino*, sanatur digito in umbilicum intruso, eoque pluries circumducto. Certè rupto umbilici fune inter abdominis partes continentes & intestina collectus sanguis in tumorem exsurgeret. Natura tamen sæpe vias ignotas nobis eligit. Si rectè conjicio, hepar ligamento laxato concidit, vasaque sua comprimendo, sanguinē per ductū cholidochicum ad intestina propellit.

HISTORIA XCVIII.

Lotium ex scroto.

TOrbernus Borresen emeritus nauta Regiæ classis, extra portam orientalem Hafniæ habitans, herniosus olim & calculosus, miserè decumbit. Non tam auxilii fiducia quam misericordiæ testandæ gratia hominem invisi, vidiq; obturatam urethram, usuque cessante flaccidam. Lotium non

per

per consuetum canalem reddit, sed per alia foraminula callosa in scroto dispersa. Duo observavi in scroto, unum antica parte, alterum postica. Præterea tertium in canali ipso circa radicem ad latus sinistrum. Hinc omnis urina excernitur, subinde cruore mixta. Ad summam atrophiam jam pervenit, ciboſque se aversari solidos testatur, & sitis depellendæ gratiâ lympham modico vino temperatam amat.

HISTORIA XCIX.

Sexennis puella sine voce.

PUellula Nicopiensis ad tertium usque ætatis annum sana & ad loquendum facilis. Subito tamen illi sublata vox, cum fatuitate, linguaque intumuit, ut ore contineri nequeat, deglutiendisq; cibis impedimento sit, quos avidè satis appetit. Corpore reliquo imbecillis, ut sola stare nesciat agens jam annũ ætatis sextum. Solliciti parentes, supernaturalẽ causam subesse suspicati, judicium meum per amicum expetiere, an naturalis causa dari possit hujus ἀφωνίας, & quid de recuperanda salute inposterum sperare debeant. Ego verò in responsione, nullus dubitavi superfluis in capite juvenculæ humiditatibus mali originem deberi, quibus & nervi & cerebrum copiosius irrigantur, ut sensibus necessarijs non sufficiant, linguamque velut spongia iisdem oppletam tumidamque nec

oris anguſtiis contineri, nec voces dentium alliſu formare: imminere verò majus ex lethargo vel Paralyſi periculum, niſi maturis remediis & abundans liquor evacuetur & derivetur, & caput cum nervoſo genere roboretur.

HISTORIA C.

Leonis Anatome.

LEo Africanus novem menſium à Clementiſſimo Rege noſtro Studioſis Medicinæ conceſſus, in Theatro Anatomico privata exercitatione naturæ cultorum 19. Dec. 1656. ſecabatur. Si quidē verò non ubivis obvia eſt Leonis Anatome, non gravabor viſa ibidem à me aliiſque in animalium Principe annotare, neutiquam Leoni mortuo inſultaturus, ſed fortitudinis roboriſque decantati deſiderio. Abdomen feræ primo intuitu tumidum videbatur, quaſi aqua inter cutem lateret, quæ copioſè per os demortui effluxit. Tumorem inteſtina craſſa prodebant, quæ tumida & fætentia, liquidis excrementis nigris plena univerſum abdomen duobus gyris tegebant, magnitudine ventriculo ovillo ſimilia. His ſubjacebant tenuia, verè tenuia & exilia, prorſus vacua. Omentum ad ſe ventriculus traxerat ferè ſine ſevo, marſupio vel rete conficiendo peraptum. Cæcum inteſtinum amplitudine cum craſſis inteſtinis certabat, à

quibus

quibus discerni non potuisset, nisi inpervia extremitas quasi indice digito nobis monstrasset, iisdem excrementis ad satietatem scatens. Valvula coli eleganti mitræ capacis figura se commendabat. Ventriculus capax, sinistra parte, seu fundo, tumidus, media constrictor, dextra pariter prope Pylorum latior. Pylorus parum aberat quin ad duodedeni medium totus esset cartilaginosus Interna ventriculi facies ordinatis plicis seu laciniis velut membranulis distinguebatur, quarum 21. numerabantur justa serie per circulos æqualiter distantes dispositæ, singulæ nectebantur aliis exilioribus, quasi valvulæ cordis suis columnis. In his loculis alimenta diu asservata felicius concoquuntur Hepar grande satis subfuscum, octo lobis divisum. Vesicula fellis ingens, plena bile atra. Audax enim & iracundum est animal. Vmbilici funis non hepati, sed medio mesenterio inserebatur, duplici diversaque origine. Lien lividus linguam vitulinam forma & magnitudine referebat. Pancreas ab humano nihil diversum, nisi quod durius esset. In Renibus, capsulis, vasis sparmaticis nihil peculiare. Omnia tamen homini similiora quam canibus; vesiculæ seminales, plenæ seminali materia candicante.

Thorax compressus & angustus. Sternum erat singulare. Ad medias costas extensum per cartilagines demum separabatur. Musculis ster-

ni utrinq; longus latusque. Minor pectoralis medium sternum sex ossibus circularibus constabat media cartilagine junctis, quæ grandioribus in unum os solidantur. Pericardium densius pinguedine abundabat. Cor humano persimile; magnitudine & forma. Grumosus sanguis in dextro ventriculo, ut in suffocatis assolet. In utroq; ventriculo concrementum adipo glandulosum offendimus, simile polypo cordis supra nobis descripto. In dextri ventriculi sinu altero trianguliare hoc coagulum castaneæ magnitudine per fibrillas annexum latebat, sua membranula tectum, quod sensim attenuatum vasis instar adscendebat ad venam arteriosam, ibiq; in trifidum ramum in pulmonibus dividebatur. In sinu primo ventriculi sinistri similis substantia hærebat; quæ totidem ramis arteriam venosam ingrediebatur, quot ipsa arteria venosa. In principio aortæ tertium concrementum adiposum conspiciebatur, profundius cum trunci divisione disseminatum. Impeditus hic ibique sanguinis fuerat circuitus, unde viscerum cachexia, & aquosi liquoris in corpore congestio, sanguis præterea crassus alibi in venis comparuit, sed calidus, more canum, digitosque corrugans. Accedebat peregrini hujus humidi aëris frigidi vitium, insuetum leonibus imprimis junioribus.

Ad organa vocis progredientes, vidimus asperam arteriam insolitæ fabricæ, Cartilagineos circulos

culos integros ſed ampliores, ut invicem implicarentur, & unius circuli extremitas ſub altera inflecteretur; mobili tamen & compage ſoluta, niſi quod membrana conſueta jungerentur. Hoc artificio ad mugitum utitur Natura, explicantur circuli inflexi mobiles in mugitu, ſono extenſo repletique copioſo aëre, redeunt deinde minuſque ſpacium occupant in ſilentio. Spectaculo hoc ſpectatores omnes impensè afficiebantur, inprimis Illuſtris atque Generoſiſſimus Vir D. Evaldus Kleiſt, Electoris Brandenburgici Conſiliarius & ad Regem Daniæ Auguſtiſſimum Legatus, magnus Naturæ artiumque fautor, in cujus præſentia illuſtri ſacra hæc tractabantur. An cum ætate integri hi circuli expandantur & ſimicirculum efforment, dubito, cum omnia pariter increſcant & augeantur. Amygdalæ oblongæ propendebant, rubentes, octo digitos transverſos longæ, latæ duos, oblique per aſperæ arteriæ latera ſerpentes. Nervus recurrens conſpicuæ magnitudinis. Larynx cum Epiglottide, rima, cartilaginibus cõjunctis ab homine non deviabant, ſed majora omnia. Lingua aſperrima, ſetis brevioribus obſita, quæ digito tacta aculeos quaſi habebat, ut lambendo enecare animalia ad paſtum poſſit, cruoremque deraſa cute eliciat.

In capite dentes caninis ſimiles, ſed pauciores, Muſculus temporalis amplus & fortis, quia mordendo leo valet, obſervante quoque *Galeno* l. 9.

Uſ.

Us. Part. c. 19. Cranium crassissimum & porosum, necdum in os condensatum. Cerebrum & cerebellum humano simile, si magnitudinem excipiamus, vix enim decimam partem illius æquat. Ventriculi nitidi & satis ampli pro proportione cerebri. Ventriculus verò quartus nobilis capacitate humanum superat, quia plurimis spiritibus animalibus indiget leo ad robustos sensus. Robur artubus debet brevioribus & musculis compactis, & validissimis tendinibus Ad hos copiosi spiritus confluunt in amplo ventriculo nobili generari, quos largus corporis sanguis ubique tumidis venis conspicuus alit. Parum ossa conferunt, quæ solida non sunt, sed cavitatibus prædita manifestis, quod viderunt quoque *Columbus* & *Severinus*, cum medullæ ubertate, nec solida sine ingenti pondere & corporis gravitate esse potuerunt. Nolo de ossibus plura referre, quæ ex sceletis Leonum in magnatum Musæis petantur. Sufficiat in hac sectione vidisse & monuisse contra veterum credulitatem, & ossa Leonum esse medullosa, & collum vertebris distingui ad facilem cervicis motum.





INDEX HISTORIARUM.

Numerus prior Centuriam, posterior Historiam notat.

A.

Cranium

Menstrui

N.

O.

P.

Tela

T.

V.

FINIS.

Cl. Viri


PETRI PAWI

OBSERVATIONES ANATOMICÆ SELECTIORES,

Jam primum editæ,

Curante

THOMA BARTHOLINO.



HAGÆ-COMITIS,

Ex Typographia ADRIANI VLACQ.

M.DC. LVII.

TH. BARTHOLINUS

Lectori S.

Promiserat Academiæ Leidensis Curatoribus Petrus Paw Anatomicus suo tempore paucis comparandus, in Operum catalogo Observationum Medicarum & Anatomicarum Tomum: Sed fidem exsolvere non potuit, morte sine dubio præventus. Ubi interea signatæ Observationum chartæ hæserint, ignorare cogor, nisi penes Filium Johannem Pavium delitescant in situ, quem Clarissimus parentis discipulus Henricus Florentius, de Peste aliàs sollicitaverat. Nonnullæ illarum ad me beneficio D. Henrici Fuiren, Medici Excellentissimi, Consobrini loco amandi, pervenerunt, manu cujusdam Discipuli negli-

gligentius exceptæ, ex quibus selectiores Bibliopolæ, in meis Historiis Anatomicis edendis occupato ad prælum concessi, ne mea culpa diutius cum blattis tineisque luctarentur. Manibus tanti Viri grata in bene meritos memoria id debui, quod meis optarem. Vale. Hafniæ XXIV. *Decemb. Anno* CIↃ. IↃ. CLVII.

P. PA-

P. PAWI

OBSERVATIONES ANATOMICÆ.

OBSERVATIO I.

Anatome gravidæ.

VTerus in gravidis in eam aſſurgit molem, ut dextra ſui parte jecur, ſiniſtra ventriculum attingat, uti Anno 1590, Die 8. Jan. vidi in gravida, cui aperto abdomine diſſecui uterum, fætumque jam ante mortuum & planè morbidum extraxi. In apertione reperi placentam ſeu uterinum jecur quod χωρίον membranæ incumbit, nilque niſi affuſio ſanguinis eſt, quem per umbilicum attrahit fœtus. Examinavi & umbilicum, qui ulnam facilè in longitudine æquat, nodi autem illi quibus inſignitur, nil niſi reduplicationes venarum & arteriarum ſunt, inter ſe, hoc eſt, iis locis venæ & arteriæ in ſe convulvuntur. Examinavi Arteriolas umbilicales, reperique eas inſeri in truncum arteriæ aortæ, ubi inguina perreptat, & ad crura inferius tendit, idque jam infra ipſius arteriæ aortæ bifurcationem. Vena umbilicalis in jecur

inseritur, quæ hic pervia manifesta erat (uti & arteria) licet in provectis nulla interna cavitas deprehendi possit. Urachus verò umbilico hic non erat affixus, verum infra fundum vesicæ exigua eminentia conspicua erat, quæ minimi digiti crassitiem in longitudine non æquabat, nec vel diligenter diuque mihi inquirenti pervia esse ullo pacto deprehendi poterat. Animadverti ossa capitis quamdiu perfectus non est fœtus non esse conjuncta, verum qua suturæ sunt ibi dissoluta fluctitabant, & non nisi pericranio vincta detinebantur.

OBSERVATIO II.

Anatome Diabetis & cœci.

ANno 1590, die 25. Octobris, Voorsanti (qui est pagus duobus circiter milliaribus Leida distans) dissecui filiam præsidis Hollandiæ Zusii 18. annor. Hæc aliquot ante obitum annis Diabete laborarat, adeoque sitibunda extiterat, ut unico die non raro urnas duas tresve potus assumeret, nec minore quantitate urinam indies reddebat. Paucis ante obitum diebus cœcitate hæc correpta fuit, qua uterque oculus clarus quidem existebat, nec aut in membranis aut humoribus vitii aliquod apparebat, ipsa tamen nec lumen quidem candelæ oculi admo-

tæ percipiebat. Huic aperto cranio reperi insignem vesicam, quæ nervos opticos occuparat circa crucifixionem: hac novacula pertusa circiter lib.ſ.aqueæ materiæ limpidissimæ effluxit. Vtpote materia potus præ renum imbecillitate attrahi amplius cum non posset ἀναῤῥοπῶς facta, ad caput regurgitarat, eumque locum occuparat. Renes huic non absumpti, verum flaccidiores solito, figura cinericea non impensè rubra.

OBSERVATIO III.

Anatome Calculosi.

ANno 1591, die 16. April: dissecui (præsente D. Heurnio & D. Exalto) senem septuagenarium, qui ardente febre eadem die exstinctus fuerat. Hic viginti amplius ante obitum annis de intolerabili laterum dolore conquestus fuerat, nimirum infra costas nothas, mucosam substantiam una cum urina diu excreverat, nunquam tamen aut arenulas aut calculos. Huic sinistri Renis substantia carnea intus absumpta planè erat, in eoque hærebat calculus duas habens radices satis insignes. Dexter verò Ren à calculo quidem immunis erat, attamen à naturali constitutione abiens, dum substantiam flavidam magis obtineret, coloremque subfuscum. Vreteres huic mirum in modum ca-

paces apparebant. Vesica admodum distenta, extusque in fundo liquor apparebant vesiculæ ei adnatæ. In interna vero capacitate magnum reperi calculum pendentem Vnc. ii cum Dr. ii. Hic levis etsi æqualis ex parte existebat, non asper aut inæqualis, uti qui in Vere extrahebatur. Ventriculus huic interius in fundo concreto sanguine conspersus apparebat, sumpserat enim non diu ante obitum ab imperito temerarioque medico pilulam ex præcipitato.

OBSERVATIO IV.

Anatome pueri ventrem dolentis.

ANno 1591. die 25. Julii, aperui (præsente D. Heurnio, D. Exalto) puerum circiter 10. annorum. Hic aliquot ante obitum annis continuè de dolore in sinistra abdominis parte, universoque ventre conquestus fuerat, variusque Medius, hic Jecur, ille Lienem, tertius Renes in vitio esse dicebat. Reperi ventriculum admodum exiguum, adeò ut nullam ex omnibus intestinis esset, quod non mole eum excederet: naturale autem hoc erat vitium primæ conformationis. Intestina autem omnia mirum in modum distenta, & veluti inflata, quod ventriculus nunquam ritè concoquens, semicocta ad intestina transmitteret, quæ in flatus

tus ibi conversâ continuis fermè colicis doloribus infestatum testabantur. Pancreatis corpus glandulosum reperi adeò durum & exsiccatum, ut primo tangens, ingentem me percipere calculum existimarem. Ren sinister huic plane & omnino pure consumptus erat: totus namque abscessibus scatebat, ita quidem, ut simulac vel digitis vel durius premerem, rupto abscessu purulenta emanaret substantia. Eo autem dissecto magna semicocti (nihil incruenti habens) copia effluxit. Præterea & ingentem inæqualem in eodem rene album deprehendi calculum ex illuvie illa purulenta procul dubio natum. Oppositus dexter Ren adeò exiguus erat, ut vix reperiri posset, nec figuram obtinebat naturalem nec substantiam, fungosus namq; & flaccidus admodum tangenti occurrebat.

OBSERVATIO V.

Anatome Hydropica.

ANno 1591. die 6. Novembr. in templo publicè secui fœminam octogenariam Hydropicam. Huic mirum in modum turgebat abdomen, existimabantque è vulgo non pauci eam fascino laborasse: simulac cutis separata esset, copiosa serosa materia in latere dextro emanavit, quæ præ nimia copia à natura eo deposi-

ta fuerat. Pertusis abdominis musculis protinus copiosa erupit aqua, quæ universum repleverat abdominis spatium. Quin & in Thorace omnia vitalia viscera aquosæ Materiæ largiter innatabant. Ablata quoque calvaria ventriculi aqua repleti erant, affatimque cerebrum aquam profundebat. Peritonæum huic cum Omento prorsus absumptum cernere erat: nam simulac musculi abdominis dissecti erant, cernere erat in inferna abdominis capacitate copiosa filamenta nervea, eodem fere modo, uti in ventriculis cordis; ast copiosiora hæc erant, & hinc inde vesiculas fecerant, quibus pertusis aqua effluebat. Hæc corpora nil nisi reliquias peritonæi & omenti notabant. Omnia huic ferè viscera non naturali erant statu. Vesica reperiebatur nusquam. Intestina omnia in unum conglomerata, & veluti in globum acta, qui globus exterius undiquaque peculiari eaque satis crassa cingebatur membrana, uti videbatur ex excrementis aquosæ substantiæ nata. Jecur solito multò durius, nihil tamen lapidei intus continebat, nec ei dolor naturalis, ast albidus, seu pallidus. Lien durus admodum & solito multo major, ponderosusque figuram mutarat suam, dum & in longitudine & latitudine accreverat. Ventriculus tamen, Pancreas, Mesenterium sana omnia. Renes solito multo flaccidiores, tum & versus dorsi vertebras plus solito

to retracti. In cordis dextro ventriculo substantiam quandam pituitosam viscidamque reperi vitellum ovi colore & substantia referentem ex pituita lenta & viscida ibi concretam. Aqua quæ huic effluxit vix duabus urnis (Emmers nostratibus) capi poterat.

OBSERVATIO VI.

Anatome gravidæ.

ANno 1592. die 6. Januarii, aperui fœminæ gravidæ uterum, quæ semestrem fœtum utero gerebat: huic abdomen mirum in modum turgebat, quod tamen ab utero non erat, verum omnia intestina & ventriculus mirum in modum flatibus distenta erant, adeò ut simulac leviter solummodo tam ventriculum quam intestina pertudissem, magna vis flatuum exiret, ipsaque confestim subsiderent, (quodsi huic injectus fuisset clyster procul dubio vitam servasset.) Uterus sex mensium fœtum ferens etiam nunc sub intestinis ac omento demersus latebat, quibus amotis in conspectum quidem prodibat, sed non tali aut figura aut colore præditus, uti sit cum maturus est fœtus. Color ille talis qualis in Virginibus, aut non gravidis, sanguineus nimirum ad nigrorem vergens, nec æqualiter distans apparebat, sed hinc

hinc inde inæqualitates planas oſtendebat, ne fundi extremitate locum umbilici excederet. Eo diſſecto in conſpectum prodiit fœtus ſuis membranis involutus, ita ſitus, ut incurvatus licet, caput tamen inferiora verſus os uteri convolutum haberet, nates ſuperiora, dextrum uteri reſpiceret latus. Facies ac corporis pars anterior latus uteri ſiniſtrum cruribus flexis genubus oculos utrinque tangebat, calcibus verò nates, brachia reflexa caput verſus, ubi in fronte manus conjunctas habebat. Umbilico enim cingebatur, niſi quod bis in ambitu dextrum ei brachium cingeret. Magnitudo corporis univerſi in longitudine talis erat, ut duos palmos cum dimidio, id eſt, octo digitos longus exiſteret, longitudo tamen umbilici accedebat ad palmos ſex, ſeu digitos tranſverſos 24. Caput reſpectu reliqui corporis maximum: cujus omnia oſſa fluctuabant iis locis, ubi in adultis per ſuturas conjuncta ſunt, nec ſibi invicem aliter hærebant, niſi quod cutis capitis ea conjuncta teneret. Aperto pectore fœtus vidi os ſternon integrum eſſe, nec ulla ex parte vel minimum apparebat veſtigium transverſarum ſuturarum aut harmoniarum, quibus ſeptem, è quibus conſtare volunt, oſſa connecti videbantur. Cor, Pulmo, tum & omnia abdominis viſcera integrè formata erant. Jecur reſpectu reliquarum partium longè maximum. Ventriculus diſſectus chylum colore albo præditum effundebat. Veſica

urinaria

urinaria mirum in modum urina diſtenta apparebat, quâ compreſſâ per penem exiliebet urina. Urachum pervium eſſe nulla arte perſpici poterat. Cutis fœtus adeò tenera, ut vel leviter ſolummodo tacta digito excoriaretur, & à ſubjectis partibus diſcederet. In matre aperto Thorace, vidi pulmonem in dextro latere per valida filamenta nervea aliquot locis coſtis adnatum, tum & in utroque latere non naturali colore pulmonem inſignitum: aſthmatica enim fuerat fœmina. Cutis matris in abdomine mirum in modum rugoſa exiſtebat, innumeriſque plicis prædita. In cordis gravidæ dextro ventriculo ſimilem reperi ſubſtantiam, uti in hydropica paulò ante dicta fœmina, nimirum ſubſtantia erat pituitoſa, conſiſtentia lubrica, eodem planè modo, ac ſi vitellum ovi membranula etiamnum ſua incluſum videas, eundem namque luteum vitello ovi ſimilem repreſentabat colorem. Sectio hæc habita fuit præſente D. Heurnio, D. Johanne Exalto, D. Johanne Arly, aliiſque ſpectatoribus.

OBSDRVATIO VII.

Anatome Jecoris ſuppurati.

Anno 1593. die 30. Octob. Juvenem publicè diſſecui; qui ex Jecoris ſuppuratione obierat. Huic ſimæ Jecoris partis ea portio quæ in dextro eſt hypochondrio incumbens reni dex-

tro sphacelo correpta erat, tota livida ad nigredinem accedens apparebat illa portio, intusque tanta puris albi & concocti continebatur copia, ut viginti libras pus effluens æquaret. Huic Ren dexter totus quoque purulentus erat, & planè consumptus, nihil præter membranam externam superstite. Eidem diaphragma, qua parte in sinistro latere Jecori accumbit, magno foramine exesū erat, adeo capaci, ut duos pugnos admitteret.

OBSERVATIO VIII.

Anatome Phrenitidis & Convulsionis.

ANno 1593. die 18. Nov. in Nosocomio D. Catharinæ præsentibus M. Johanne Simonis & M. Alberto Chirurgis, Viro ablato cranio caput aperui. Hic per biennium conquestus fuerat de dolore in occipite, tandem hic phrenitide ac convulsivis motibus correptus subito interiit. Huic crassa cerebri membrana aliquot locis exesa erat variis foraminibus, idque potissimum in bregmate sub sagittali sutura, ubi ea cum corporali jungitur. Ex iis foramininulis effluebat & per membranam dictam effusus erat sanguis fermè concretus, ater ac adustus, admodum fœtens. Tali quoque sanguine distenta erant vasa per exteriorem crassæ meningis superficiem discurrentia, quin & ea quæ numerosa per tenuem disseminata sunt. Huic intra Cerebellum abscessus hu-

humore non naturali ſcatens, repertus fuit. Erat is humor colore excitrino ad pallorem vergens: Pallida bilis nimirum. Ipſa cerebelli ſubſtantia flaccida omnino, molliorquè multo quam cerebri ſubſtantia.

OBSERVATIO IX.

Anatome Tabifici.

ANno 1593. die 26. Nov. Juvenem publicè diſſecui:is in Noſocomio obierat. Huic utràque pulmonis pars validè coſtis adnata erat. Hinc in utraque pulmonis parte varii abſceſſus purulenti, quia & variis locis pituita adeò in pulmone concreta cernebatur, ut calculi tangenti eſſe viderentur, imò perfectam calculoſam duritiem non paucis locis obtinebat. Hic tabe quamvis conſumptus, vixque hæreret oſſibus, copioſam tamen aquam pericardio continebat. Vidimus in hoc Venam cavam eodem fermè loco oriri ex Jecore, quo venam Portæ, quamvis una ſui parte ex gibba Jecoris parte prodire videntur. Tum & ferri potius recto ductu per Jecoris ſuperficiem, quam ex eo prodire, veramque eſſe hanc ad rem picturam Veſalij p.458. Nec verum eſſe, quod nonnulli dicunt, duobus truncis ſeu ramis è Jecore emergere hanc venam, quorum alter ſtatim reflectitur inferiora verſus. Eandem venam vidimus non mittere ramum ad cordis

dextrum

dextrum ventriculum, uti Galenus ſcribit, ſed eo modo ſejungere, ut Vaſalius, Columbus aliique ſcribunt. Spinali medulla examinata in hoc ſubjecto, obſervavi extremam ejus membranam, ſpacio vacuo intermedio diſtare à ſubjectis uti in cerebro membrana dura; ex quo ſuſpicio mihi eſt moveri & ſpinalem medullam. Eadem ſpinali medulla diſſecta, eam ſolidam intus, nec ullo modo bifidam eſſe vidimus.

OBSERVATIO X.

Anatome Cuniculi.

ANno 1593. præſentibus omnibus Studioſis Medicinæ in loco Anatomico ante meridiem diſſecui Cuniculum. Quos vidi in multis convenire cum cane ac homine, ſed carent omento. Suſpenſorio Jecoris ligamento eodem modo uti homines (ſecus verò ac canes) donati ſunt. Inteſtina habent copioſiſſima, præcipiè vaſtum inteſtinum colon. Maximè conſpicuum habent inteſtinum Monoculum ſeu cœcum, adeò ut id oſtenſurus cuniculum meritò diſſecuerim. Quum & Meſenterium venæque Meſeraicæ, tum & omnes fermè rami venæ portæ. Cætera eodem modo ut in homine ſe habent, Ventriculus inquam, Jecur, Renes, cũ vaſis Emulgentibus, Lien, Veſicula bilis, Pancreas, Diaphragma, Cor, Pulmo, quin inſuper Vena cava, Arteriáq; Aorta eodem modo Ramis ſuis per corpus diſtribuuntur, uti in cæteris.

OB-

HISTORIA XI.

Anatome Viri cultro interempti.

ANno 1594. die 4. Mart. Virum publicè secui, qui sibi ipsi cultro violentas intulerat manus. Hic vulnus sibi ipsi inflixerat in abdominis regione dextra, statim sub costis, quo vena cava tam magna sanguinis copia in capacitatem effluxerat abdominis. In viro hoc observavi terminos musculi temporalis, qui tales sunt. Anterius hic musculus attingit partem illam protuberantem ossis jugalis quæ orbitam oculi in facie constituit, posterius circiter pollicis latitudinem ultra auriculam se effert; metiendo versus os occipitis, terminus ejus seu circumferentia extrema, qua sagittalem suturam spectat, & dimidia longitudo ejus spacii, quod ab extremitate seu pinnula nasi est ad concursum usque sagittalis coronalisque suturæ, nimirum sume mensuram ejus spacii, quod ab extremitate nasi per ejus longitudinem perque medietatem ossis frontis ad concursum usque duarum suturarum excurrit, ejus lineæ dimidium collocatum una sui parte in bregmate, seu suturarum concursu, altero sui extremo, tanget extremam circumferentiam musculi temporalis. Quin & eadem mensura apex seu summitas suturæ Lambdoidis deprehenditur.

Huic tres inerant venæ Emulgentes, atque spinalis medulla manifestè à pia Matre in duo

latera divisa apparebat. Quin & eadem in lumbis non nisi ex multis velut loris seu chordis sibi invicem junctis constare conspiciebatur (uti in cunctis fit hominibus.) In eodem maximum corporis examinavi nervum, quem nervi ex osse sacro prodeuntes constituunt, undique eo per longitudinem dissecto etiam substantiam interiorem nihil medullosi continere, sed similem esse substantiæ spinalis medullæ in lumbis, hoc est, ex multis veluti filamentis nerveis oblongis constare, cinctis duplici membrana. Quin & conspicuè ostendi in hoc supra omnia septem vocata paria nervorum cerebri oriri ex spinali medulla, intra cranium etiam ipsos nervos opticos.

OBSERVATIO XII.

Anatome veneno demortuorum.

ANno 1594. die 21. Junii, præsente D. Heurnio, & D. Trelcatio, puellulā annuam in foro Boario aperui, quæ fascino laborasse ex eoque obiisse dicebatur. Huic abdomen admodum intumuerat, maculæ purpureæ circa claviculas apparebant. In Thorace huic omnia integra. Jecur pallidum imò albicans ex valida intemperie frigida conspiciebatur. Intestina omnia præsertim colon turgidum admodum flatibus. Ventriculo aperto ejus orificiū superius duobus locis erosum apparebat, ita ut venenum ei exhibitum potius videretur.

Anno

Anno 1594. die 10. Novembris, præsentibus D. Heurnio, Bontio, Chirurgis M. Johanne Simonis, & M. Alberto Nosocomii præfectis, aperui virile cadaver jacens in ædibus M. Jacobi van Werckhorst in't Noorteynde. Hic cum ei curandum à lue venerea tradiderat, jamque sanitati ubi videbatur restitutus, de abitu cogitaret, subitò exclamare cœpit, venenum sibi propinatum fuisse, postmodum phrenitide correptus aliquot post horas obiit. Jussu magistratus præsente prætore hujus dissectus œsophagus cum ventriculo. Vidimus oris ventriculi superioris internam substantiam erosam ac exesam, præterea universam internam ventriculi membranam ita exesam, erosam ac putridam, ut ligneo cultello, imò digito simulac tangeretur facillimè disrumperetur. Colore tinctus ventriculus intus ex purpureo nigro erat, procul dubio causticum corrosivum aliquod pharmacum is hauserat.

OBSERVATIO XIII.

Anatome Hydropici.

ANno 1595. die 6. Januarij: Virum publicè secui è Nosocomio Amsterodamensi. In hoc frontis musculi omni ex parte tegebant musculum temporalem, ita ut nulla sui parte is conspici posset, nisi dictis ablatis. Tam venæ quam arteriæ emulgentes tres erant numero. Æqua-

ſem habebant renes ſitum. Lien huic adeò intumuerat, ac induratus erat, ut tres libras lance libratus penderet. Pulmo fermè centum locis, coſtis ac pleuræ arctiſſimè adnexus hærebat. Hydropicus obierat: Fluctuabant namque ac aquæ innatabant omnia quæ in abdomine erant. Erat aqua flavi coloris, fœtoris peſſimi.

OBSERVATIO XIV.

Anatome febris Hecticæ.

ANno 1595. die 16. Jan. præſentibus D. Trelcatio, Heurnio, Trutio (in een dwers ſtraet gaende vande Hooge Woert na 't Levendeel) puellam annorum undecim aperui, incantata quæ credebatur, adeò miris ſympomatibus per octennium correpta fuerat. Hinc Cor intra Pericardium aquæ virulentæ innatabat, cui color viridis ac ſi marinam vidiſſes aquam. Cauſa mortis pancreas erat, quod mirum in modum intumuerat, jecoris cavæ parti arctiſſimè adnatum erat, ita ſcirrhoſum ut lapidem tangere te exiſtimares. Diſſectum candido plene intus conſpiciebatur colore, haud aliter ac ſi albam pituitam admodum induratam tractaſſes, extenuata omnino erat extincta febre hectica.

OB-

OBSERVATIO XV.

Anatome Viri publica.

ANno 1595. die 16. Febr. In virili cadavere publicè diſſecto veſiculæ fellis duos ductus obſervavi, quorum unus ad ventriculum tendebat. Vena portæ non uno trunco ſed tribus ſurculis è jecore prodibat, qui conjuncti tandem ipſum truncum conſtituebant. Vena ἄζυγος tam in ſiniſtro quàm dextro conſpiciebatur latere, ramus dexter jungebatur cum ramo è trunco cavæ infra emulgentem. Variis locis ductus per interiora pulmonis obſtructi erant à craſſa melancholica materia cui calculoſa ferè durities. Venæ emulgentes tres. Vena adipoſa non à trunco cavæ, ſed ab Emulgente oriebatur. Cerebrum bifidum, hoc eſt ſingulæ cerebri partes dextra ac ſiniſtra iterum ſectæ erant.

OBSERVATIO XVI.

Variæ in Anat. obſervationes.

ANno 1595. die 12. Aprilis, præſentibus M. Joh. Simonis, M. Alberto, puerulum triennem aperui, cui Pancreas induratum, vehementerque adnatum ventriculo ac Jecori, tum & venæ portæ. Jecur valide adnatum peritonæo latere ſiniſtro & diaphragmati, lien admodum induratus.

 Anno

Anno 1595. die 16. Decembris in corpore virili publicè diffecto, in quo dexter Ren vena carebat Emulgente, nilque præter arteriam Emulgentem ei inferebatur.

Anno 1596. die 24. Jan. In subjecto virili quem Amstelodamenses ad nos miserant, à gibba jecoris parte filamenta multa nervea, quæ ligamenti suspensorii in modum jecur nectebant peritonæo. In eodem vesiculæ bilis ductus bifidus erat, unaque sui parte in intestinum jejunum, altera in colon inserebatur.

OBSERVATIO XVII.

Anatome Monstri.

ANno 1596. die 4. Febr. Infantem primum natum (vixerat 24. horas) publicè, præsentibus D. Scaligero, Heurnio, Merula, Bontio, D. Arty, magna spectatorum corona dissecui. Huic mola adnata erat occipiti, quæ capitis humani justæ ætatis molem æquabat. Cingebatur hæc cute, tum & intra illam duabus membranis, quarum altera à dura, à pia matre erat altera. Hisce dissectis, sanguinem concretum tum & ramum paulò quam coagulatus sanguis duriorem ex multis inæqualibus frustulis (condilomatum instar) constantem vidi, per quem venæ ac arteriæ copiosæ etiam discurrebant. Informis hæc massa radices egerat in ipsa cerebri substantia, nam occipitis

os orbiculare habebat foramen, è quo prodibat moles hæc, imò ad ventriculos Cerebri usque, cerebrum corruptum omninò erat. Cranii figura mirè in hoc infante vitiata erat, nam frontis os planum ac depressum erat, adeò quidem ut fronte carere eum omnes dicerent. Sincipitis ossa depressa in se considerant, duasque ostendebant cavitates conspicuas, occipitis os in acumen prominebat, ac protuberabat acuminata illa pars foramen ostendebat. Sub frontis osse aliud secundum os enascebatur. Cutis cranium hoc cingens adeò crassa existebat, ut adulti hominis cutem superaret, quæ ea parte qua mola ei annexa, non densos solum, sed prolixos habebat capillos. Aliud in hoc infante monstrosum, quòd scrotum vacuum ac testibus carens esset. Intus retracti aperto abdomine utrinque in lumbis collocati videbantur à natura eo loco, quo fœminarum testes siti. Habebant tum vasa seminaria præparantia quin & deferentia, quæ (quod visu mirum) projiciebant se extra abdomen loco in Viris solito, extremitatibusque suis in ipsum penis corpus terminabantur. In hoc infante Umbilicum cum examinarem, vidimus conspicuè venam umbilicalem in jecur terminari. Ast arteriæ umbilicales extendebant se vesicam urinariam versus, & in ipsum truncum arteriæ aortæ paulò supra lumborum vertebras se infigebant, ut à Const. Varolo illud benè notatum, qui has arterias in fœtu radices dorsales

fœtus appellat. Etiam Urachum hic examinavimus, quem sive per longitudinem sive per transversum dissecarem, solidum, nec ulla ratione fistulosum intus deprehendi. Revera itaque nil nisi ligamentum existit, quo vesica fœtus ab abdomine pendula sustinetur; etenim vesica mirum in modum distenta erat. Ad intestina quod attinet, diversitas inter intestina tenuia & crassa hic evidenter apparebat, nam tenuia rubicundo colore tincta erant. Ast crassa atro ac ingrato utpote stercoribus, corruptoque menstruo referta.

OBSERVATIO XVIII.
Anatome pueri veneficio interempti.

ANno 1596. die 26. Aug. petitione D. Trelcatii, infantem dissecui decimestré, qui veneno à venefica osculo inflicto interfectus dicebatur. Huic omnia quæ intra thoracem sana ac integra, solum in abdominè jecur pallidum ac non naturalis coloris. Cui appendens vesicula bilis multo quã per naturam major capaciorque, tum & limpidissima aqua replera, imò distenta, in qua nihil lutei coloris conspiciebatur. Ast diaphana planè apparebat vesicula.

OBSERVATIO XIX.
Anatome Jecoris inflammati.

ANno 1596. die 14. Sept. petitione D. Trelcatii Virum quinquagenarium dissecui, cui D. Heur-

Heurnius medicinam fecerat. Hic inflammatione jecoris laborarat, quod viscus torrido ac adusto conspiciebatur colore. Pertusa autem ejus membranula parenchyma universum in putrilaginem abierat, maximamque puris copiam effundebat, potissimum ea sui parte gibba quæ diaphragmati adhæret. Adfuerat cõtinua febris, quæ cordis succulentiam nativam ita consumpserat, pyri in modum uti contractũ conspiceretur, flaccidum planè, haud aliter ac si pulmonem tetigisses. Huic pulmo variis locis adnatus costis conspiciebatur.

OBSERVATIO XX.
Intestina erosa.

ANno 1596. die 26. Octobr. In virili subjecto Delphis strangulato ac à me publicè dissecto, vidi pulmonem in dextro Thoracis latere valide adnatum diaphragmati. Costis verò multis locis variis fibris. Huic intestina variis locis superficie seu membrana externa, erosa ac exesa, punctisq; nigris respersa. Ren dexter huic corrugatus planè, ac in duos velut tresve renes sectus.

OBSERVATIO XXI.
Anatome veneficio mortuæ.

ANno 1596. die 13. Decembris, petitione D. Trelcatii præsente D. Heurnio, septuagenariam aperui, quæ veneficio tacta dicebatur, quod ipsum confirmavit autopsia. Etenim huic Cor

triplo, quam pro consuetudine & proportione subjecti majus, adeò enim intumuerat, parte sui dextra, ut universum Thoracis latus dextrum repleret, distentum una pericardium. Ea parte qua auricula cordis dextra venam excipit cavā ingens aneurisma in cava vena conspiciebatur. Dissecta auricula dextra reperta in ea materia concreta coloris flavi, condensata admodum. Aperta verò vena cava, ipsoque corde, magna copia concreti planè sanguinis nigerrimi se effundebat: Nec solum illa cavæ parte, quæ cordi se jungit, sed & omnes corporis venæ concreto sanguine plenæ erāt. Quod nobis suspicionem fecit, venenum frigidissimum ei fuisse exhibitum, quod adeo extinxerit calorē ut sanguis congelatus fuerit, præterquam quod cordi adeo fuerit inimicum, ut naturalē ejus conformationem perverterit. Aperuit venam cavam in lumborum vertebris, ubi bifurcata petit crura, at qui exibat sanguis concretus erat. Mirū, in vivente corpore sanguinem concrescere posse: dissecta fuit hora pomeridiana secunda, cum eodem die hora 7. matutina obiisset. At caput non fuit apertum licet videremus universam veneni vim in agone mortis ad caput translatam. Etenim facies mirum in modū inturguerat, labia tumida, palpebræ ita distentæ, ut bulbi oculorum omni ex parte retracti intra orbitas essent. Tanta autem malignitas ac acrimonia veneni erat, ut variis locis cutis faciei exesa esset, emanaretque sanies fulva.

OB-

OBSERVATIO XXII.

Abscessus pulmonis.

IN corpore muliebri publicè dissectoAnno 1597. die 30. Jan. jecur pallidum planè,& quocunq; pungeres loco exsangue, cum tamen scirrhosum non esset. Pulmo (miserabile visu) variis locis pleuræ innumeris ligamentis annexus,pericardio quoque; & diaphragmati non uno loco. Sinister pulmo ingentem ostendebat abscessum (qui radicem habebat sub clavicula sinistra) aquosa sanie tabeque plenum , qui plus quam quatuor libras saniei effundebat. Præter magnum hunc abscessum plus quam 30. locis hinc inde exigua habebat apostemata vero ac cocto pure albo referta. Tum & variis locis scirrhosus erat pulmo.

OBSERVATIO XXIII.

Tumor oculorum.

ANno 1597. die 7. April. Præsentibus Chirurgis M. Johanne Simonis & Alberto, pueruло trienni aperui caput. Hic aliquot mensibus ingenti laborarat tumore ex oculo sinistro, adeo quidem ut integer bulbus ocularis cum musculis omnibus foras protuberaret,in tantamque accrevisset molem,ut duos pugnos protuberantia æquaret. Huic duabus ante mortem septimanis alius tumor ortus fuerat,prope musculum temporalem sini-

ſiniſtrum, quem ablata cute vidimus peculiari (eaq; craſſa ſatis, membrana obductum intra cutem, craniumque hærere. Cranium exiguum habebat foraminulum, per quod materiam ejecerat natura. Ablato cranio vidimus ocularis tumoris materiam intra cranium & duram matrem collectam univerſam integro planè & illæſo cerebro. Aperto utroque tumore vidimus eos ſubſtantia cerebro planè ſimili repletos, permixto ſanguine concrèto, haud aliter ac ſi molæ ſubſtantiam vidiſſes.

OBSERVATIO XXIV.

Anatome Hydropicæ.

ANno 1597. die 28. Aug. Præſentibus D. Joh. Arſenio & M. Cornelio Chirurgo abdomen fœminæ aperui Hydropicæ, quæ credebatur gravida. Huic magna aquæ flavæ ac fœtidæ effluxit copia. Jecur corruptum. Hujus utero exterius circa fundum adnata cernebatur excreſcentia candida, magnitùdine Verrucæ, quæ diſſecta nil intus continebat, ſed ſolida omni ex parte erat.

OBSERVATIO XXV.

Anatome Atrophiæ.

ANno 1597. die 8. Sept. petente & præſente D. Trelcatio fæminæ pectus aperui, cui totus pulmo intus purulentus erat, ita ut quacunq; eum tangeres parte, ſeu novacula pungeres, pus album

erum-

erumperet. Hæc lenta macie ac atrophia consumpta Scheleton planè referebat. Referebant malũ illud familiæ hæreditarium, ex quo fratres etiam obierant.

OBSERVATIO XXVI.

Dissectio Virilis cadaveris.

ANno 1598. die 28. April. In subjecto virili publicè dissecto 1. dexter musculus pectoralis divisus erat, membrana tendinosa per eum excurrente. 2. Ex illa jecoris parte, quæ sinistrum versus se extendit hypochondrium aliquot per intermedias conjunctæ cernebantur venulæ in ventriculum insertæ. 3. Tertium & quartum nervorum cerebri par huic desiderabatur. 4. Arteriis hic carebat spermaticis, earũ loco in utroq; latere duas venas spermaticas videre erat. Loco autem arteriarum seminalium produxerat natura ex ipso trunco Arteriæ aortæ paulò supra ejus bifurcationem ad crura conspicuam amplamque Arteriam, quæ recta deorsum exporrecta in parastatas glandulas, penisque radicem se terminabat.

OBSERVATIO XXVII.

Anatome inflammati jecoris.

ANno 1598. die 10. Octobr. Præsentibus D. Bontio, Heurnio, nonnullisque Studiosis, Danus Studiosus apertus ex inflammatione jecoris qui obierat. Gibba jecoris pars duobus locis ulcus osten-

oſtendebat penetrans ad jecoris interiora. Iecoris parenchyma conglomerata velut cernebatur ac avulſa à membrana jecur cingente, ita ut cavitas conſpicua in jecore cerneretur, è qua dimidia urna puris fœtidi ſe effundebat.

OBSERVATIO XXVIII.
Anatome Raphelengii Hydropici.

ANno 1601. Initio, aperui Chriſtophorum Raphelengium, aperto abdomine reperimus magnam ſe effundentis ac corruptæ flavæ aquæ copiã. Omentum abſumptum, Iecur ſchirroſum ac induratum valdè & cujus Parenchyma planè croceum. Veſicula bilis turgida, qua diſſecta ater ac cænoſus effluxit craſſus fœculentuſque ſanguis. Inteſtina, Meſenterium, livido ac aduſto colore tincta. Venæ Meſeraicæ craſſa obductæ membrana, adeò ut earum nulla conſpici poſſet.

OBSERVATIO XXIX.
Anatome Hydropicæ.

ANno 1601. die 24. Ian. Mulierem aperui adjutus M. Cornelio vocato Meleman Chirurgo, cui abdomen ita inturguerat, ut tres haberet in ambitu ulnas. Aperto abdomine effuderunt ſe 56. pintæ aquæ. Omentum totum conſumptũ. Iecoris, lienis, renum (dictu mirum, veriſſimum tamen) ne veſtigia quidem. Diaphragma multis locis exeſum ac conſumptum, Uterus in eam molem

lem elatus conspiciebatur, ut in ambitu sesquiulnam haberet. Apertus, conspiciebatur intus mola ex multis duris schirrosis condilomatis constans, quæ multis locis in pus mutata erant, color molæ erat albus, adenosam substantiam in scirrhum conversam dixisses.

OBSERVATIO XXX.

Anatome Heurnij Calculosi.

ANno 1601. die 12. Aug. Aperui vesicam Clarissimi Viri D. Iohannis Heurnii, in qua reperi calculos septem, quorum singuli magnitudine erant nucis juglandis, pendebant autem singuli drachmas duas, ita ut simul omnes pondus efficerent drachmarum 14. cum dimidia, aut duarum Unciarum, detracta semidrachma.

OBSERVATIO XXXI.

Anatome Hydropicæ.

ANno 1602. die 20. Martii, petitione & in præsentia D. Trelcatii, & quoq; Iunioris Trelcatii, præsentibus nonnullis ex Medicinæ Studiosis in foro boario, hydropicæ fœminæ ventrem aperui, è quo aquæ crassæ & amurcæ similis, pintæ se effuderunt 36. Iecur huic totum consumptum, venosis solūmodo ductibus iisq; perpaucis superstitibus. Consumptus Lien, Renes. Ventriculus prassina, viridi bile plenus. Diaphragma aliquot locis sphacelo correptum. Uterus molam intus habe-

habebat, quæ in materiam melli similem conversa erat, effundebatque se simulac uterus pertunderetur. Fœmina 34. annorum hæc erat.

INDEX
Observationum selectarum
P. PAWII.

FINIS

